ACTORUM ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR, SUPPLEMENTA.

TOMUS III.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes, THOM. FRITSCHIUM & FRID. GROSCHUF.

Typis CHRISTIANI GÖZI.
A. MDCCII.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. I.

HISTORIA SALISBURGENSIS, AUCTORE R.P. JOSEPHO MEZGER.

Salisburgi, ex typographeo Jo. Bapt. Mayr, A. 1692. in fol.
Constat alphab. 14. plag. 21. & aliquot fig. æn.

Qui antiquissimæ celebratissimæque Ecclesiæ Salisburgensis Historiam digno illustrarit commentario, vix quisquam hactenus repertus est. Equidem de rebus Salisburgensibus scribere inter alios Hundius suscepit; verum is quodammodo per transennam eas inspexit, calamo ad aliarum quoque Ecclesiarum fundationes summarum prosequendas festinante. Chronicas quasdam compilationes vernacula conscriptas passim in manibus habebant Salisburgenses, sed iis ad perfectionem alicubi integritatem, alicubi fidem & auctoritatem deesse ipsi sentiebant. Ast Chronico tamen ex fide dignis documentis condendo primus animum adjecit Franciscus Dukerus, nec infelici cum successu laborem perfecit, nisi quod solam ejus brevitatem Eruditi taxent. Quæ cuncta ex indicio illorum, qui præsentem evulgarunt Historiam, referimus, nulli dubitantes, quin notatos hactenus in aliis defectus Volumine hoc abunde compensatos Lector inventurus sit. Cum enim undecimi anni secularis festivitatem celebraret A. 1682. Reverendissimus tunc Salisburgensium Archi-Episcopus Princeps, Maximilianus Gandolphus, operæ duxit pretium monere, ut acta Ecclesiæ suæ in justam historiam ampliori paulo & magis completa forma redigerentur. Quod consilium exequendum in se suscepit

 Admo-

Admodum Rev. P. *Josephus Mezgerus*, Prior monasterii ad S. Petrum, Doctor, Professor, & Universitatis Salisburgensis Pro-Cancellarius, qui tamen in Ernesti Archi-Episcopi temporibus, seculique adeo decimi sexti dimidio ob mortem intervenientem substitit. Ne ergo mutilum relinqueretur opus, manum ei admoverunt, Historiamque ad annum 1687 perduxerunt germani ipsius fratres *Franciscus* atque *Paulus*, Professores ac Doctores in eadem Universitate Theologi, quibus adeo curantibus factum est, ut vitas Episcoporum & Archi-Episcoporum Salisburgensium, Abbatumque monasterii S. Petri, quod ibidem habetur, integras evolvere, ac quæ per illos undecim seculorum decursu gesta fuerunt, enarrata legere possimus.

Antequam vero in ipsam Historiam intromittatur Lector, in limine prius exhibere visum fuit Dissertationem de antiquitate Ecclesiæ Salisburgensis & Monasterii S. Petri, cujus cognitio cum ab ætate S. Ruperti fundatoris unice dependeat, idcirco de hac curiosius dispicitur. Et primo quidem Auctor Aventini aliorumque opinionem redarguit, qui jam circa A. 540 Rupertum ponunt in Bavaria, ac multo magis ab iis dissentire se profitetur, qui in Actis, quæ divulgant, Sanctorum longius adhuc regredientes, ipso seculo quinto intra A. 466 & 483 labores Ruperti collocant. Neque facit cum Joanne Mabillonio, qui S. Rupertum ad A. C. 700 & ultra statuit; neque cum Velsero, Brunnero & sequacibus, qui eundem ad A. 616 in Bojariam introducunt. Sed potius eam esse ait antiquissimam traditionem a patribus acceptam, insitamque, imo innatam S. Petri & Salisburgi incolis, circa A. C. 580 conversionem Bojariæ per S. Rupertum baptizato Theodone Duce cœpisse, ac non multo post circa A. 582 fundamenta Ecclesiæ Salisburgensis jacta fuisse. Hanc igitur statuminare, ac difficultatem, quæ de ætate Theodonis velut huic asserto parum conveniente ab aliquibus movetur, modis enervare omnibus annititur. Inde Jubilum, quod audit, Jubilæum sequitur, chronosticha nempe & panegyrici qua prosa qua versa oratione concepti, in quibus singulorum, per quæ Salisburgensis floruit Ecclesia, seculorum genius describitur.

His præmissis ipsa nunc historica relatio se pandit, totusque in eo Auctor est, ut libro *primo* vitam S. Ruperti emetiatur. Quamobrem non brevem modo illius descriptionem in frontispicio apponit,

nit, quam Amandus, Abbas S. Petri, ex MSS. sui monasterii aliisque auctoribus collegit, sed proprium quoque eumque multo prolixiorem commentarium subnectit. Franco-Germanum eum facit, quicquid secus scribant alii, sed parentes ejus ignorari dicit, nec satis certum esse, quo præcise anno lucem hanc aspexerit; non a vero tamen multum aberrare istos existimat, qui circa A. C. 540 eum editum conjiciant. Nomen ejus primitus fuisse Rhuodbertus, seu Rhudbertus, quod deinceps pro diversitate scribentium modo in Robertus, modo in Rutbertus transierit, hodie vero ad Latinorum morem magis elimatum Rupertus efferri innuit. Post memoratam ejus peregrinationem, ad Episcopatum Wormatiensem promotum ipsum sistit, unde tamen post iterum ejectum, eaque occasione a Theodone Duce in Bavariam vocatum perhibet. Heic vero exantlatos ejus in religione plantanda labores prolixius recenset, auspicatus ab informatione & baptismo Theodonis. Mox Gisilarium & Chunialdum, discipulos Ruperti introducit Conversionem dehinc vicinæ Bavariæ, originemque monasterii S. Georgii in Weltenburg, & Capellas Ratisbonæ ac Oetingæ Divæ Virgini a Ruperto sacratas persequitur. Nec omittit susceptum ab eo passim alibi Evanngelii præconium, usquedum demum commemorat, quomodo Juvavium pervenerit, locumque illum occuparit, qui hodienum Salisburgi nomine cognitus decantatusque habetur. Extructum ibi refert monasterium S. Petri sub regula S. Benedicti, allatumque corpus S. Amandi Episcopi, quem Ecclesiæ Wormatiensis antistitem ordine secundum, sed nomine primum constituit. Juvavium autem, utut urbs olim famosa fuerit, Ruperti tamen ævo penitus collapsum narrat, ast restauratum mox post illius accessum, & Salisburgi nomine ob ditionem illam salis fertilissimam donatum fuisse memorat, fortunam quoque fundatæ inibi Ecclesiæ multis modis auctam celebrat, ac Rupertum latius progredientem, & varia passim erigi curantem monasteria introducit. Nec parcus est in evehendo ejus spiritu prophetico, & in prædicanda singulari præparatione ad mortem, quæ ipsum, incertum quo anno, post tot labores pro religione toleratos sustulerit. Tacemus, quæ de ejus sepultura miraculisque & canonizatione sub finem hujus libri Auctor narrat. In *secundo* libro gesta Ecclesiæ & Monasterii Salisburgensis ab A. C. 623 usque ad 785 exhibet, potissimumque

ACTORUM ERUDITORUM,

QUÆ

LIPSIÆ PUBLICANTUR,

SUPPLEMENTA.

TOMUS III.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ.

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes, THOM. FRITSCHIUM & FRID. GROSCHUF.

Typis CHRISTIANI GÖZI.

A. MDCCII.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. I.

HISTORIA SALISBURGENSIS, AUCTORE R.P. JOSEPHO MEZGER.

Salisburgi, ex typographeo Jo. Bapt. Mayr, A. 1692. in fol. Constat alphab. 14. plag. 21. & aliquot fig. æn.

QUi antiquissimæ celebratissimæque Ecclesiæ Salisburgensis Historiam digno illustrarit commentario, vix quisquam hactenus repertus est. Equidem de rebus Salisburgensibus scribere inter alios Hundius suscepit; verum is quodammodo per transennam eas inspexit, calamo ad aliarum quoque Ecclesiarum fundationes summarum prosequendas festinante. Chronicas quasdam compilationes vernacula conscriptas passim in manibus habebant Salisburgenses, sed iis ad perfectionem alicubi integritatem, alicubi fidem & auctoritatem deesse ipsi sentiebant. Ast Chronico tamen ex fide dignis documentis condendo primus animum adjecit Franciscus Dukerus, nec infelici cum successu laborem perfecit, nisi quod solam ejus brevitatem Eruditi taxent. Quæ cuncta ex indicio illorum, quæ præsentem evulgarunt Historiam, referimus, nulli dubitantes, quin notatos hactenus in aliis defectus Volumine hoc abunde compensatos Lector inventurus sit. Cum enim undecimi anni secularis festivitatem celebraret A. 1682. Reverendissimus tunc Salisburgensium Archi-Episcopus Princeps, Maximilianus Gandolphus, operæ duxit pretium monere, ut acta Ecclesiæ suæ in justam historiam ampliori paulo & magis completa forma redigerentur. Quod consilium exequendum in se suscepit

Admodum Rev. P. *Josephus Mezgerus*, Prior monasterii ad S. Petrum, Doctor, Professor, & Universitatis Salisburgensis Pro-Cancellarius, qui tamen in Ernesti Archi-Episcopi temporibus, seculique adeo decimi sexti dimidio ob mortem intervenientem substitit. Ne ergo mutilum relinqueretur opus, manum ei admoverunt, Historiamque ad annum 1687 perduxerunt germani ipsius fratres *Franciscus* atque *Paulus*, Professores ac Doctores in eadem Universitate Theologi, quibus adeo curantibus factum est, ut vitas Episcoporum & Archi-Episcoporum Salisburgensium, Abbatumque monasterii S. Petri, quod ibidem habetur, integras evolvere, ac quæ per illos undecim seculorum decursu gesta fuerunt, enarrata legere possimus.

Antequam vero in ipsam Historiam intromittatur Lector, in limine prius exhibere visum fuit Dissertationem de antiquitate Ecclesiæ Salisburgensis & Monasterii S. Petri, cujus cognitio cum ab ætate S. Ruperti fundatoris unice dependeat, idcirco de hac curiosius dispicitur. Et primo quidem Auctor Aventini aliorumque opinionem redarguit, qui jam circa A. 540 Rupertum ponunt in Bavaria, ac multo magis ab iis dissentire se profitetur, qui in Actis, quæ divulgant, Sanctorum longius adhuc regredientes, ipso seculo quinto intra A. 466 & 483 labores Ruperti collocant. Neque facit cum Joanne Mabillonio, qui S. Rupertum ad A. C. 700 & ultra statuit; neque cum Velsero, Brunnero & sequacibus, qui eundem ad A. 616 in Bojariam introducunt. Sed potius eam esse ait antiquissimam traditionem a patribus acceptam, insitamque, imo innatam S. Petri & Salisburgi incolis, circa A. C. 580 conversionem Bojariæ per S. Rupertum baptizato Theodone Duce cœpisse, ac non multo post circa A. 582 fundamenta Ecclesiæ Salisburgensis jacta fuisse. Hanc igitur statuminare, ac difficultatem, quæ de ætate Theodonis velut huic asserto parum conveniente ab aliquibus movetur, modis enervare omnibus annititur. Inde Jubilum, quod audit, Jubilæum sequitur, chronosticha nempe & panegyrici qua prosa qua versa oratione concepti, in quibus singulorum, per quæ Salisburgensis floruit Ecclesia, seculorum genius describitur.

His præmissis ipsa nunc historica relatio se pandit, totusque in eo Auctor est, ut libro *primo* vitam S. Ruperti emetiatur. Quamobrem non brevem modo illius descriptionem in frontispicio apponit,

nit, quam Amandus, Abbas S. Petri, ex MSS. sui monasterii aliisque auctoribus collegit, sed proprium quoque eumque multo prolixiorem commentarium subnectit. Franco-Germanum eum facit, quicquid secus scribant alii, sed parentes ejus ignorari dicit, nec satis certum esse, quo praecise anno lucem hanc aspexerit; non a vero tamen multum aberrare istos existimat, qui circa A. C. 540 eum editum conjiciant. Nomen ejus primitus fuisse Rhuodbertus, seu Rhudbertus, quod deinceps pro diversitate scribentium modo in Robertus, modo in Rutbertus transierit, hodie vero ad Latinorum morem magis elimatum Rupertus efferri innuit. Post memoratam ejus peregrinationem, ad Episcopatum Wormatiensem promotum ipsum sistit, unde tamen post iterum ejectum, eaque occasione a Theodone Duce in Bavariam vocatum perhibet. Heic vero exantlatos ejus in religione plantanda labores prolixius recenset, auspicatus ab informatione & baptismo Theodonis. Mox Gisilarium & Chunialdum, discipulos Ruperti introducit Conversionem dehinc vicinae Bavariae, originemque monasterii S. Georgii in Weltenburg, & Capellas Ratisbonae ac Oetingae Divae Virgini a Ruperto sacratas persequitur. Nec omittit susceptum ab eo passim alibi Evanngelii praeconium, usquedum demum commemorat, quomodo Juvavium pervenerit, locumque illum occuparit, qui hodienum Salisburgi nomine cognitus decantatusque habetur. Extructum ibi refert monasterium S. Petri sub regula S. Benedicti, allatumque corpus S. Amandi Episcopi, quem Ecclesiae Wormatiensis antistitem ordine secundum, sed nomine primum constituit. Juvavium autem, utut urbs olim famosa fuerit, Ruperti tamen aevo penitus collapsum narrat, ast restauratum mox post illius accessum, & Salisburgi nomine ob ditionem illam salis fertilissimam donatum fuisse memorat, fortunam quoque fundatae inibi Ecclesiae multis modis auctam celebrat, ac Rupertum latius progredientem, & varia passim erigi curantem monasteria introducit. Nec parcus est in evehendo ejus spiritu prophetico, & in praedicanda singulari praeparatione ad mortem, quae ipsum, incertum quo anno, post tot labores pro religione toleratos sustulerit. Tacemus, quae de ejus sepultura miraculisque & canonizatione sub finem hujus libri Auctor narrat. In *secundo* libro gesta Ecclesiae & Monasterii Salisburgensis ab A. C. 623 usque ad 785 exhibet, potissimumque

vitas Episcoporum & Abbatum, qui per illum tractum temporis regimine ecclesiastico defuncti sunt, delineat. Hos inter duo præ reliquis laudantur, Vitalis alter, quem A. 646 obiisse dicit; & alter Virgilius, quem A. 754 Salisburgense fastigium adiisse, istudque A. 784 morte postulante iterum deseruisse perhibet, Hic autem cum in Ducatum Carinthiæ excurrens religionem studiose ibi propagarit, hinc varia immiscet Auctor, quæ ad jactorum ibidem fidei fundamentorum historiam penitius noscendam faciunt. *Tertius* liber Ecclesiam Salisburgensem ad metropolitanam dignitatem exaltatam monstrat, primumque ejus Archi-Episcopum Arnonem ob res præclare gestas celeberrimum prolixus extollit. Episcopatus etiam Archipræsulatui Salisburgensi subjectos enumerat. Leonem Papam A 802, & Carolum M. Imperatorem anno subsequente Salisburgum sua dignatos ait præsentia. Concilium provinciale A. 807 ab Arnone indictum habitumque describit, & more suo vitas reliquorum Archi-Episcoporum Arnonem insecutorum usque ad Themonem recenset, quem postremum A. C. 1101 in urbe Galilææ Corozaim a barbaris martyrio coronatum innuit. De cætero uti in hoc libro diversas Sanctorum reliquias Salisburgum diversis temporibus allatas repræsentat, ita inprimis sacra Martini Turonensis lipsana e Turonum urbe huc transportat, eademque ab Ottone M. Imp. concredita primum Heroldo Archi-Episcopo, ac postmodum frustra repetita fuisse, commemorat. Liber *quartus* eadem methodo Archi-Episcopos Salisburgenses & Abbates S. Petri ab A. 1101 usque ad 1555 claros secundum seriem successionis nominat, singulorumque res gestas declarat. Multa heic præ cæteris Conradi I. Archi-Episcopi elogia occurrunt, multa etiam de actis Matthæi Langii Cardinalis ad Pontificatum Salisburgensem postea promoti in medium afferuntur. Finito autem libro hoc, vivendi quoque finem fecit illius æque ac trium præcedentium Auctor, & proin, quæ restant in hoc volumine, fratribus illius, quos ante diximus, debentur. Hi libro unico, *quinti* titulum qui præfixum gerit, statum Ecclesiæ Salisburgensis ab A. 1555 ad annum usque 1687 stylo historico adumbrarunt, vestigiisque antecessoris sui insistentes, Archi-Episcoporum imprimis & Abbatum hæc tempora attingentium vitam & res gestas enarrarunt. Videas heic inter alia fusius describi fundationem Universitatis Salisburgensis,

quæ

quæ A. 1623 ab Archi-EpiscopoParide suscepta dicitur, prout & illius progressus statusque postea insecutus in gratiamLectoris curiosi non ineleganter sistitur. Videas memoratam sepulcri S. Ruperti & S. Vitalis apertionem, translationemque corporum Ruperti & Virgilii ad basilicam Salisburgensem. Videas originem instituti in Vitalis honorem festi. Videas alia sub eodem Paride in decus & splendorem Ecclesiæ Salisburgensis solicite peracta. Satis etiam prolixa est descriptio solennitatis secularis A. 1682 celebratæ, quam ita informant Nostri, ut nihil facile eorum, quæ tunc observata fuere, omisisse videantur. Arcus quoque triumphales, quos vel Archi-Episcopus, vel Status Provinciales, vel civitatis Magistratus, vel alii in honorem sive Martini, sive Ruperti, Vitalis aut Amandi, sive aliorum erigi curarunt, non verbis modo perspicuis delineant, sed æri etiam incisos in tabulis peculiaribus conspiciendos exhibent. Tandem vero post relatum obitum Archi-Episcopi Gandolphi, cujus auspiciis cuncta hæc solennia peracta fuerunt, in electione succedentis ei Joannis Ernesti, e Comitibus de Thun, cui & inscriptum est hoc opus, libro huic terminum constituunt.

Sed nondum integri Voluminis comparet terminus. Nec enim historicæ narrationis series passim hiulca redderetur, frequentioresve interpolationes Lectori crearent fastidium, consultum visum fuit, documenta instrumentaque antiqua varia, una cum nonnullis parergis junctim Historiæ jam absolutæ subjicere. Et hæc contenta sunt libri *sexti*, qui tamen iterum in tres classes subdivisus est. In prima collocantur documenta Archi-EpiscopatumSalisburgensem concernentia. In secunda ea, quæ cœnobia Salisburgensia erectamqne ibi Universitatem respiciunt, ubi multæ quoque ordinationes de S. Martini, Ruperti, Vitalis, Amandi, Virgilii, Hermetis, pluriumque aliorum sepulchro, allatione, translatione, actibusque similibus in medium proferuntur. Ut uberem templorum sacrarumque ædium aliarum in & prope civitatem Salisburgensem catalogum, & reliquiarum ibi asservatarum indicium nunc taceamus. In tertiam classem rejecta sunt nomina Episcoporum, Archi-Episcoporum, Præpositorum, Decanorum & Canonicorum Salisburgensium; tum Episcoporum quatuor Episcopatuum, ad collationem Archi-Episcopi Salisburgensis pertinentium; Abbatum porro, Præpositorum & Abba-

tiſſarum, tam exemtorum quam non exemtorum diœceſi Salisburgenſi, vicinorumque in Styria & Carinthia exiſtentium; ut adeo nuspiam reperiat Lector, quod jure deſideret.

Quin imo inſerta quoque libris ſingulis varia hinc inde ſunt, quæ qualicunque duntaxat cognatione Hiſtoriam Salisburgenſem viſa fuerunt attingere, civilia etiam non pauca, quæ non aliam ob cauſam trahere huc lubuit, quam quod iſtis, ad quæ delati fuerunt Noſtri, ſeculis contigere. Talia ſunt in libro primo commentatio de vita & morte S. Trudperti, cap. 4; de origine, gente & Principibus Bojorum, c. 9; de vita & martyrio S. Maximiliani, Archi-Epiſcopi Laueracenſis, c. 15, de morte Ducis Theodonis, c. 25; de vita & ſanctitate S. Erentrudis, c. 27. In libro ſecundo de Ducibus Bavariæ, Theodeberto, Hucberto & ſucceſſoribus c. 5; de S. Bonifacio, Apoſtolo Germaniæ, Archi-Epiſcopo Moguntino, c. 7; de Rege Pipino, ejusque fratre Carolomanno, & mutatione regni Franciæ, c. 10. In libro tertio de Caroli M. geſtis, religione, virtute, teſtamento, morte, c. 2. 12; de Alcuini Caroli M. præceptoris ſanctitate & doctrina, c. 9, prout & poemata quædam hujus Alcuini eccleſiam, capellas & altaria cœnobii S. Petri Salisburgi concernentia, ex antiquiſſimo MSto lib. VI p. 1131. apponuntur; de Ludovici Pii Imp. vita, pietate & morte, c. 14; de S. Wolfgango, Epiſcopo Ratisbonenſi, c. 23; de gemina expeditione Chriſtianorum in Terram ſanctam contra Saracenos & Turcas, c. 34. In libro quarto de origine & imperio Domus Auſtriacæ, c. 26; de Lutheraniſmi progreſſu & rebus geſtis, usque ad initium Concilii Tridentini, c. 54; de indictione Concilii Tridentini & belli Smalcaldici, c. 55; de exitu belli Smalcaldici, deque viciſſitudine & translatione Concilii Tridentini, c. 56; In libro quinto de tragico rerum in Europa ſtatu poſt abdicationem Caroli V. c. 2; de continuatione Concilii Tridentini, c. 3; de Puritanis in Anglia, Hugonottis in Gallia, Geuſiis in Belgio, aliisque illorum temporum hæreticis, c. 4; de Turcarum ſeculo ſuperiori contra Chriſtianos progreſſibus, c. 5; de prodigio dentis aurei, A. 1593 in pago Sileſiæ Vegelsdorſio in ore filii ſeptennis fabri cujusdam lignarii obſervato; ſupplicio Ducis Bironii & Comitis Eſſexii; expugnata Oſtenda, &c. c. 13; de motibus Bohemicis bellique Germanici initiis, c. 17. 19; de Maximiliani, Bavariæ Ducis, Septemviratu, c. 21; de agreſſium in

Au-

Austria superiori seditione A. 1626. agitata, c. 23; de bello Danico circa idem tempus exardescente, c. 24; de primo secundoque bello Suecico, c. 27. 29; de vario Imperii Romani statu & rebus gestis ab A. 1642 usque ad armistitium Bavaricum, c. 31; de origine devotionis & peregrinationis ad Virginem consolatricem in Plain, c. 37; de electione Leopoldi I. Cæsaris, c. 38; de Novarini amissione, Canisæ obsidione, morte Serinii, c. 40; de statu Germaniæ sub bello Gallico superiori, c. 47; de obsidione & liberatione Viennæ novissima, progressibusque Fœderatorum adversus Turcas, c. 53. 54. Ut plura hujus generis & inter hæc frequentissimas imprimis relationes, quas de variante pro diversis temporibus statu Ordinis S. Benedicti passim inspergere Auctoribus nostris placuit, silentio prætereamus.

AN ESSAY TOWARD A NATURAL HISTORY OF THE EARTH, &c.

Hoc est:

TENTAMEN CIRCA NATURALEM HISTORIAM TELLURIS corporumque terrestrium, in specie mineralium, nec non maris fluminum & fontium, cum recensione universalis diluvii effectuumque, quos illud in terra produxit auctore JOH. WOODWARD M. D. Prof. Physic. in Collegio Greshamensi & Regiæ Societatis Socio.

Londini apud Richardum Wilckin 1695. 8. plag. $18\frac{1}{2}$.

PRopositum est clarissimo Auctori telluris conscribere historiam naturalem, operæque sibi pretium facturus visus est, si hoc in libro ejusdem formam animo comprehensam delinearet. Cum autem observationes fide & industria debite peractæ, omnium jam fere consensu, fundamentum sint, cui realis philosophia est inædificanda, primo loco recenset, quantum operæ his faciendis impenderit, non solum totam fere Angliam peragrando, cryptas, fodinas, fontes, flumina, mareque solicite perlustrando, corpora in illis contenta eorumque figuram & situm, una cum illis, quæ in exteriori occurrunt superficie, diligenter annotando, sed etiam ope virorum, quorum perspectus ipsi candor & curiositas, dispositionem telluris in aliis orbis terrarum regionibus, quam similem illi, quæ in Anglia occurrit, comperit, exquirendo. Reservantur autem hæ observationes majori operi, cujus præsens, ut diximus, exiguum specimen & parva quasi idea est, quodque, quam primum licebit, cum publico communicabitur.

Dis-

Distribuentur autem in duas generales classes, quarum prima comprehendet observationes circa materiam omnem terrestrem, quæ in strata naturaliter disponitur, quo pertinent lapis arenaceus, marmor, carbo fossilis, creta, omnia terrarum genera, marga, lutum, arena, sabulum &c. altera particulares observationes complectetur circa metallica & mineralia corpora. Et primum quidem observata sistentur circa lapidem arenaceum, quæ scilicet hujus sint diversæ species, quomodo differant duritie, colore, textura & materia constitutiva; in specie vero, quomodo hic lapis in terra sit dispositus, & in strata ope fissurarum parallelarum divisus, quis ordo & numerus stratorum, eorumque situs aspectu horizontis, quæ singulorum crassities, profunditas &c. quomodo se habeant interruptiones stratorum, seu perpendiculares fissuræ, quæ horizontales intersecant, quænam earum capacitas, intervalla, quæque mineralis & metallica materia communiter in illis contineatur. Hic quoque recensebuntur, quæ circa corpora heterogenea immersa & inclusa huic lapidi, testas nimirum ostrearum, mytulorum, concharum aliasque productiones marinas observavit, quantum scilicet attinet ad magnum illorum numerum, diversas eorum species, ordinem, modum quo disponuntur, diversas profunditates, in quibus reperiuntur, materiam quam continent, & qua illorum cavitates solent esse repletæ. His succedent similes observationes circa marmora, lithanthraces, cretam, eorumque fissuras, situm stratorum, conchasque & alia heterogenea corpora, quæ in illis reperiuntur. Sequentur quæ pertinent ad margam, lutum, varias terrarum species, arenam, sabulum similiaque fossilia, conchas similiaque his corpora in iis disposita, stratorum positionem, ordinem, distinctionem, qua ab se invicem ope diversæ materiæ differentisque consistentiæ & coloris sejunguntur, cum strata hujus laxioris materiæ non dividantur ordinarie a se invicem interpositis horizontalibus fissuris. Tandem quæ referuntur ad superius aut exterius stratum, quo terræ globus undique tegitur quodque seminarium quasi & promptuarium est unde materia ad formationem & incrementum animalium & vegetabilium suppeditatur, & in quod ipsa successive tandem rursus convertuntur. Antequam vero ex præmissis observationibus Cl. Auctor consequentias deducet, explicaturus

rus

rus quomodo marina illa corpora fuerint in terræ visceribus recondita, peculiari dissertatione confutabit hypothesin, qua corpora illa terræ suam debere originem, in iisque locis, ubi reperiuntur, nata statuuntur; præsertim cum pro illa pugnent non contemnendæ rationes, quales sunt, quod reperiantur inter belemnitas, selenitas, marcasitas, silices aliaque hujus generis, quæ absque controversia fossilia sunt naturalia, atque, ut supponitur, in loco suæ formationis; quod reperiantur corpora formam similitudinemque cum conchyliis habentia, cum tamen talia revera non sint, sed tota consient partim lapide arenaceo, partim silice aut alia minerali materia; quod inveniantur, quæ figuram quidem referunt echinorum &c. nihilominus tamen adhærescentem habent materiam metaillicam exteriori superficiei, vel eadem ita suis partibus interioribus imbuta sunt, ut plane aliam faciem præ se ferant, quam conchylia, quæ in mari hodie reperiuntur; quod inter conchas, quæ pulchræ, non mutatæ & liberæ a metallica materia deprehenduntur, sint, quæ ad nullam speciem testaceorum piscium hodie occurentium referri possunt; quodque tandem hodie in littoribus obviæ sint testæ, v. g. buccina largiora, conchæ Veneris &c, quæ in terra non occurrunt. His objectionibus ut occurratur, ostendet Cl. Auctor, corpora, de quibus jam agitur, revera in mari fuisse producta, belemnitas autem, selenitas & id genus alia, quæ una cum illis effodiuntur, non ibi, ubi repiuntur, esse formata, sed absoluta fuisse antequam illum locum situmque requirerent; mineralia conchyliis similia primum formata fuisse in cavitatibus illarum testarum, quas referunt, cum in solutionis adhuc statu existentia his quasi modulis fuissent infusa; partes autem metallicas aut minerales testis adhærentes, vel insidentes earum poris, adventitias esse, & a testaceis microscopiorum ope distingui posse; longe etiam plures reperiri testas ab omni minerali contagio liberas, quæ in littoribus hodie reperiundis plane similes, ratione figuræ, substantiæ & texturæ; quippe cum eadem in utrisque sit tendentia fibrarum & striarum, eadem compositio lamellarum quæ ab his fibris componuntur, eadem vestigia tendinum, eædemque papillæ & suturæ prætereaque iisdem sint obnoxiæ accidentibus, dum scilicet minores cum majoribus concrescunt, habent balanos, tubulos vermiculares, uniones, corallia & his similia in iis crescentia, eandem gravitatem specificam, easdem in Medicina

vires, iisdemque menſtruis & eodem modo ſolvuntur. Quamvis etiam negari non poſſit, conchas effodi quæ ad nullam littoralium ſpeciem referri poſſit, dubitandum tamen non eſſe, exuvias marinorum eſſe animalium, eum ejusdem cum aliis ſint ſubſtantiæ, texturæ & gravitatis ſpecificæ, partinentes ſcilicet ad conchas illas, quas pelagias vocant, quasque in oceani fundo ſemper degere, ex urinatorum relatione conſtat. Quod autem nonnullæ conchæ aut cruſtæ animalium marinorum rarius inveniantur in terra, hujus rei cauſam eſſe, quod ſint ſpecie leviores lapide, marmore & reliqua ordinaria materia terreſtri, atque adeo univerſalis diluvii tempore, (cum terræ lapides mineraliaque omnia ſoliditate ſua fuiſſent privata atque inter ſe confuſa, tandemque ſubſiderent rurſus globumque noſtrum terraqueum componerent, idque tardius aut citius pro ratione gravitatum ſpecificarum, teſtæque illis ſtratis includerentur, quorum materia eandem cum ipſis habet ſpecificam gravitatem, ita ut lapidi arenaceo tantum immergerentur pectines, cochleæ & conchæ graviores, non autem oſtreæ, echini & conchæ leviores, quæ magno numero in ſtratis cretaceis deprehendantur) conchæ illæ leviſſimæ & cruſtæ animalium, nec non dentes & oſſa cartilagineorum & ſquamoſorum piſcium ultimo ſubſederint, in ipſaque fere terræ ſuperficie diſſeminata fuerint, ubi continuis expoſita aeris aliisque injuriis non potuerint non corrumpi. Huic diſſertationi jungetur appendix pluribus ſectionibus conſtans, in quibus agetur de unicornu foſſili, lapide Judaico, entrocho, aſteria, nec non de bufonite, gloſſopetra & cornu Ammonis, probabiturque hæc una cum multis aliis quæ gemmæ lapidesque habita fuerunt, nihil eſſe niſi dentes, oſſa aliasque partes marinorum animalium, diluvio univerſali in terra derelictas.

Jam ad ipſum Opus quod attinet, in ſex illud Cl. Auctor partes tribuet, & poſtquam in diſſertatione jam dicta probaverit, vere eſſes corpora marina, quæ pro foſſilibus habentur, disquiret in *parte prima*, quonam modo ex oceano in terram tranſlata fuerint, rejecturus conjecturas doctorum virorum, qui v. g. ad inundationes particulares, mutationem centri gravitatis, alveum maris mutatum, inſularum ope terræ motus exortum, & his ſimilia confugiunt. Qua etiam occaſione ſpecialius confirmabit, quamvis revera globo terraqueo nonnullæ accidant alterationes, eas tamen leves eſſe,

ac fere imperceptibiles, talesque ut potius tendant in beneficium & conservationem terræ ejusque productionum, quam ad earum destructionem, probabitque ex claris indubiæque fidei monumentis antiquitatis, historia & geographia, ac consideratione præsentis status earum regionum, quas olim oceano sepultas fuisse, & paulatim ex eo emersisse perhibent, aut a terræ motibus repente supra ejus superficiem evectas, imaginarias esse illas mutationes & nunquam contigisse, sed statos fixosque mansisse terminos terræ & maris, eodemque fere in statu esse globum terraqueum hodie, quo fuit post finitum diluvium universale. Solicite quoque excutiet, quæ veteres pariter ac recentiores auctores de origine Ægypti, Thessaliæ, Mysiæ, Lydiæ, Ioniæ, &c. fallo referunt, fontemque erroris aperiet. *Pars secunda* præcipue versabitur in sequentibus propositionibus confirmandis. (1) Marina hæc corpora in diluvio universali ab oceano abrepta, & cum aqua reverteretur in suos alveos, in terra derelicta fuisse. (2) Tempore diluvii, cum terrestris globus aquis cooperiretur, omnes lapides & marmora terræ antediluvianæ, omnia ejus metalla mineralesque concretiones, uno verbo, fossilia omnia quæ antea soliditatem aliquam obtinuerant, plane fuisse dissoluta, ita ut cohæsio, qua minima ipsorum corpuscula junguntur, plane cessaret, minimasque eorum partes, una cum particulis terræ, arenæ, corporibusque animalium & vegetabilium promiscue aquæ innatasse. (3) Massæ hujus in aqua hærentis partes denuo fuisse præcipitatas ac subsedisse, secundum gravitatis leges, quantum scilicet in tanta rerum confusione fuit possibile, ut scilicet graviora prius subsiderent, leviora posterius, diversaque strata constituerent; atque hinc factum, ut diversissimæ res, sed ejusdem pene gravitatis specificæ, eidem strato includerentur, corpora autem lapide cretaque leviora, (v. g.) partes terræ, animalium & plantarum, exceptis illis, quibus adhæserat mineralis materia gravioresque reddiderat,) extremum stratum efficerent, ibique successu temporis illa corrumperentur, quæ non bituminosa materia delibuta se ab interitu vindicarent, semina vero germinarent, faciemque terræ complerent herbis, arboribus atque fruticibus. (4) Strata marmoris, lapidum &c. soliditatem suam obtinuisse, simul ac arena, vel alis ex quibus consistunt materia, ad fundum pervenerat, particulæque sibi denuo incubuerant, atque hæc strata, quæ jam solida

sunt,omnia tunc fuisse orta. (5) Strata hæc, cujuscunque sint materiæ, omnia primum fuisse inter se parallela, plana & regularia, superficiemque terræ non asperam sed plane sphæricam; continua etiam, nec interrupta fuisse aut fracta, ipsisque totam aquæ massam incubuisse & constituisse sphæram fluidam terræ globum cingentem. (6) Post aliquod tempus strata hæc fuisse contracta in omnibus globi partibus, situmque eorum variarum, ut nonnullis in locis elevarentur, in nonnullis deprimerentur. (7) Agens illud, seu vim hanc disruptionem efficientem, intra ipsam terram fuisse. (8) Omnes irregularitates & inæqualitates globi terrestris huic causæ deberi, atque illo tempore montes, valles, cavernas, insulas, alveumque maris suam cepisse originem, totumque adeo globum terraqueum eum in statum redactum, qui jam oculis nostris observatur. Quæ omnia ne quis putet cum divina vel sapientia vel bonitate aut providentia pugnare, probandum suscipiet Cl. Auctor, quamvis scopus diluvii fuerit pœna justissima generi humano infligenda, principaliter tamen destructionem quoque & alterationem telluris huc pertinere, quæ olim condita pro hominibus innocentibus, requirebat jam constitutionem aliam, accommodatam fragilitati terricolarum. Ante diluvianam enim terram generaliter fertiliorem fuisse nostra, majorique in copia & puritate fructus edidisse, absque omni fere cura & cultura, ut homo tempus nobilioribus occupationibus posset impendere; post lapsum autem Adami hanc fertilitatem homines in luxuriam generalemque adeo corruptionem convertisse, ac proinde divinum Numen spatium, quo vixere homines antediluviani, non contraxisse tantum, sed terræ quoque constitutionem ita immutasse, ut cessaret illa fertilitas, qua olim abusi homines, tantusque solum esset ejus proventus, qui humani generis inopiæ satisfaceret, neque is sine labore & agricultura, otii remedio, acquireretur. Ne vero quis existimet, quæ de fertilitate antediluvianæ terræ fuerunt dicta, non congruere cum relatione Mosaica, peculiari digressione confirmabit, hanc hypothesin pulchre cum illa conspirare. Nempe Adami lapsum terræ maledictionem divinam contraxisse quidem, sed perinde ut mors Adamo interminata non statim eidem inflicta fuit, ita plenariam maledictionis terræ executionem ad diluvium usque dilatam fuisse: neque obstare huic sententiæ mentionem agriculturæ a Mose factam; concedi

cedi enim posse, partes terræ quasdam cultura eguisse, & probabile esse, Deum expulisse Adamum ex Paradiso in maxime sterilem globi partem; neque tamen hinc effici, fuisse modum colendi agros nostro plane similem aut æque laboriosum. Alia quoque huc pertinentia uberius explicabit, v. g. quodnam illud fuerit immediatum instrumentum sive medium, quo lapides reliquaque solida materia terræ antediluvianæ fuerunt dissoluta? Cur conchæ, dentes, ossa reliquæque partes animalium, nec non trunci, radices &c. plantarum, non æque fuerint dissoluta? Cur, cum juxta terræ centrum fuerit cavitas, continens totam aquæ terram inundantis molem, terrestris materia primum subsidens illam non repleverit, sed sphæricum quasi arcum circa illam efformarit? Quomodo aqua illa tempore diluvii, & ex quibus emissariis eruperit? Quid ejus occuparit locum, & qua via in sedes pristinas redierit? Qua ratione [strata] lapidum & marmorum statim post subsidentiam tantam acquisiverint soliditatem? Quid disruperit strata & dislocarit? Inquiret quoque in conjecturas doctorum virorum, circa formationem lapidis arenacei, & originem montium & insularum, suæ hypothesi contrarias; ostensurus, lapides illos jam existentes non esse ortos in creatione mundi, neque ab illo tempore magis magisque consolidatos; non crescere etiam per juxta positionem aut majorem acquirere temporis successu soliditatem; montes nostros non productos in creatione, neque excitatos a terræ motibus; insulas magnitudinibus notabilis non fuisse a continente abruptas, vel vi terræ motuum, vel furore oceani. Junget huic secundæ parti *Discursum de arboribus subterraneis* seu ligno fossili, quod evincet nullo alio medio, quam ab universali diluvio, ita fuisse in terra plerumque bituminosa repositum. *Partis tertiæ prima sectione* ea pertractabuntur, quæ pertinent ad præsentem & naturalem statum fluidorum in terra. Nimirum docebitur, (1) terræ visceribus inclusam vastam sphæram aqueam, quæ a Mose abyssus dicitur. (2) Hujus aquas communicare cum oceano per certos hiatus, esseque illius superficiei concentricas. (3) Perpetuam esse aquarum in atmosphæra circulationem, ut tantum, si globum totum spectes, ascendat sub vaporum specie, quantum in pluvia, rore, grandine, nive descendit. (4) Aquas illas descendentes partim in flumina & mare effundi, partim a superioribus terræ stratis absorberi, partim augere

 fon-

fontium aquas. (5. 6. 7.) Neque tamen fontes pluviis aut vaporibus totam suam originem debere, sed magnæ potius abysso. (8) Ignem fere uniformem & constantem disseminatum per terræ partes omnes, qui in vapores solvat abyssi aquam, ut undique versus superficiem globi ascendant, pervadantque non solum fissuras & intervalla stratorum, sed ipsa quoque strata firmissima & densissima lapidis arenacei & marmoris. Procedere autem vapores illos directe versus globi superficiem, nisi densius stratum objiciatur, efficiatque ut per horizontale strati superioris & inferioris intervallum diffundantur, donec ad perpendicularia intervalla deveniant, altiusque evecti & condensati fontes & flumina efficiant, quorum aquæ nunc augentur nunc minuuntur, pro diversa caloris exterioris ratione. (9) Has aquas denuo mediantibus fluminibus & pluviis reverti ad suam originem, dum labuntur in oceanum, qui cum abysso communicat. (10) Finem hujus aquarum distributionis perpetuæque circulationis esse propagationem corporum animalium, vegetabilium & mineralium. (11) Vaporem ex abysso adscendentem continuo, & strata sabuli, arenæ, terræ, lapidum pervadentem, sensim destruere ossa, conchas, dentes, aliasque partes animalium, nec non arbores aliaque vegetabilia, quæ diluvii tempore in terra fuerunt recondita; eidem quoque adscribendam corrosionem dissolutionemque corporum, quæ aëri perperam tribui soleat. (12) Ignem subterraneum, si aliqua terræ in parte propter meatus obstructos majori congregetur copia, efficere magnam rarefactionem & intumescentiam aquarum abyssi, simulque vim suam exercere in terram superfaciem abyssi expansam, eamque agitare & concutere, esseque adeo causam terræ motuum. (11) Ætnam, Vesuvium, Heclam, reliquosque Vulcanos, esse totidem spiracula, per quæ subterraneus ignis præternaturaliter congregatus erumpat, majorem alias stragem daturus, si illa forent obstructa. (14) Thermas fontesque calidos calorem suum non acceptum referre colluctationi aut effervescentiæ mineralium, sed igni subterraneo. His, postquam contra Burnetium ostensum, structuram hujus terræ argumentum esse summæ sapientiæ Numinis divini, accedet instar appendicis (1) *Dissertatio de fluxu & refluxu maris*, nec non de æstu aliisque non vulgaribus phænomenis quorundam fontium; (2) *Discursus de maris salsedine*; (3) *Discursus de vento* ejusque ori-

gine

gine & usu. In *sectione hujus partis secunda* demonstrabitur (1) Diluvium hoc fuisse universale, & altissimos quoque montes aquis fuisse coopertos. (2) Diluvii tempore oceani aquam primum in terram irruisse, & huic successisse aquam abyssi. (3) Cum strata fuissent rupta, massam hanc aquæ in partes terræ inferiores, lacus aliasque cavitates, alveum oceani, tandemque per hujus fissuras in abyssum descendisse. (4) Inter creationem & diluvium necessario non contemnendum temporis intercessisse spatium, & tot annos probabiliter, quot Moses literis consignavit; (5) Diluvium cœpisse verno tempore. (6) Non homines solum & animalia terrestria, sed maximam quoque piscium & aquatilium partem in diluvio interiisse. (7) Non accidisse hoc diluvium concursu naturalium causarum, sed inductum a Deo maximam sapientiam & potentiam exerente. Concludetur hæc sectio *duobus discursibus* accessoriis, quorum primus aget *de migratione nationum*, speciatim in Americam, alter *de universali diluvio*, a gentilibus unanimi fere consensu credito,

Quarta pars de origine & formatione metallorum & mineralium exponet, quantum hujus rei difficultas patitur, quippe cum neque ex colore, neque figura, neque situ aut loco certum possit de illis ferri judicium, mixtaque utplurimum & confusa, quæ ad diversissima genera pertinent, reperiantur, mineraliumque in species accurata distinctio adhuc desideretur. Præcipue autem ostendere satagit doctissimus Auctor, (1) mineralia & metalla, quæ in stratis reperiuntur, ibi fuisse universalis diluvii tempore reposita, ita ut quæ jam in intervallis perpendicularibus reperiuntur, ex illis successu temporis ope motus aquæ abyssi potuerint colligi. (2) Plurimas mineralium & metallorum particulas cum subsiderent, sibi invicem adhæsisse, & in unam massam, seu minerales & metallicos nodulos, qui jam reperiuntur, concrevisse, atque ita tum qui irregularem, tum qui regularem obtinent figuram, fuisse formatos. Quandoque autem particulas ejusdem generis, quandoque diversi in unum corpus coivisse; imo nonnullas aut adhæsisse lateribus ossium, dentium, testarum animalium, aut etiam illorum subiisse poros; quasdam cavitatibus echinorum, cochlearum, concharum quasi pro plasmatibus infusas constituisse corpora, quæ echinitæ, cochlitæ & conchitæ a Physicis appellantur. (3) Materiam metallicam una cum materia stratorum

rum

rum, cui admixta, directe subsedisse, & cum diversa hæc fuerit in diversis regionibus, ipsæque particulæ metallicæ uno in loco copiosiores quam in alio, hinc factum, ut metalla & mineralia eadem nunc in hoc nunc alio strato reperiantur, & quædam jam terræ partes sint metallis & mineralibus gravidæ, quædam steriles. (4) Quæcunque jam mineralia & metalla reperiuntur in perpendicularibus intervallis stratorum, olim in ipsis stratis jacuisse. (5) Aquam ex abysso ascendentem versus terræ superficiem, & stratorum poros pervadentem, decerpere particulas stratorum metallicas, secumque abripere & deferre ad intervalla perpendicularia, ibique relinquere aquam etiam pluviam, dum exteriora permeat strata, idem efficere. (6) Hoc modo omnem materiam metallicam, quæ jam in intervallis perpendicularibus reperitur, eo delatam fuisse, sive rudis & indigesta sit, sive regularem figuram habeat. (7) Nihil extraordinarii occurrere in productione & formatione metallorum illorum & mineralium, neque in subsidium vocandam virtutem plasticam, sed omnia phænomena ex configuratione particularum minimarum ex quibus consistunt, & motione aquæ has particulas congregantis, explicari posse, ad eum fere modum, quo crystallisationes corporum in suis menstruis declarari solent. (9) Stratorum, quæ copiose sunt particulis metallicis repleta pori cum sint Strictiores difficulter illos pervadi a vaporibus abyssi, atque hinc eorum intervalla perpendicularia parcius repleri metallis & mineralibus, secus ac fit in stratis laxioris texturæ. (10) Mineralia & metalla in perpendicularibus intervallis stratorum hærentia tamdiu crescere, donec sint repleta, vel promptuarium mineralium & metallicarum particularum in stratis continuis plane sit exhaustum; neque tamen hodie hoc incrementum, post tot seculorum decursum, admodum esse sensibile. (11) Materiam mineralem & metallicam, quæ in ipsis stratis jacet, nunc non crescere, sed a tempore diluvii potius diminutam fuisse; contingere etiam quandoque translationem materiæ hujus ab una parte strati in aliam. (12) Bitumen cujus massæ quandoque in fontibus reperiuntur, aut quod olei forma superficiei aquæ innatat, nec non sal quo salinæ, & reliqua mineralia, quibus acidulæ aut fontes medicati abundant, originaliter locata fuisse in stratis lapidum, lithanthracum, terræ &c. & hinc ad fontes ope vaporum educta. (13) Quando aqua fluminum

aut

aut fontium erumpit ex aperturis suis, cum majori quam ordinaria agitatione & rapiditate, secum vehere partes stratorum per quæ movetur, easque motu imminuto denuo deponere, adeoque hinc petrefactiones vulgo sic dictas esse derivandas. (14) Cum calor exterior auctus est, non tantum aqueas particulas, sed terreas quoque & minerales in aerem attolli; idem contingere in eructatione montium ignivomorum, eruptione thermarum, terræ motibus: imo exiguo satis calore, qualis ab animalibus procedit, nitrum in stabulis, præsertim in quibus stercus congestum, elevari, Solis autem intensiorem æstum vel maxime excitare halitus minerales. Hos in aerem evectos causam esse meteororum igneorum, ab animalibus autem cum aere haustos procreare febres pestilentiales morbosque alios, præsertim si sint arsenicales, stagnentque circa terræ superficiem in nebulis. Sequentur hanc quartam partem *tractatus* varii ad explicationem & confirmationem quorundam ejus locorum facientes, v. g. (1) *Regulæ & directiones pro detegendis mineralibus & metallis* in terra latentibus, cum disquisitione, cur illa superficiei terræ quandoque adeo vicina jaceant, nec in generali illa subsidentia locum magis profundum petierint. (2) *Examen* communis *doctrinæ de generatione metallorum & mineralium*, speciatim illius, quam Chymici fovent, cum appendice de *metallorum transmutatione*, in qua imposturæ Chrysopoetarum detegentur, evinceturque artis quam profitentur impossibilitas facillimis simplicissimisque rationibus physicis, probabitur quoque non dari talem naturalem gradationem & conversionem unius metalli aut mineralis in aliud, qualem nonnulli finxerunt. Agetur porro de *mineralibus succis* in terra, quos nonnulli Scriptores pro seminibus mineralium habuerunt, ostendeturque, maximam partem illos nihil esse aliud, nisi aquam minerali materia valde impraegnatam. (3) *Relationes circa statum mineralium & metallorum in regionibus peregrinis*, præsertim illorum, quæ in Anglia non reperiuntur. (4) *Observationes circa succinum* Anglicanum & Borussicum, cum discursu demonstrante succinum non esse gummosam aut resinosam substantiam, ex arboribus calore Solis eductam & concretam in aqua maris aut fluminum, sed esse fossile naturale, & ab aquis tantum detegi, dum abluunt & a littoribus decerpunt partes illius strati, cui infixum jacet, ut in aliis quoque mineralibus usu venire solet. *Parte quinta*

C perse-

perseq uetur Cl. Auctor alterationes, quæ terraqueo globo acciderunt inde usque a diluvii tempore. Rejectis autem illis, quas miram terraqueo globo varietatem inducentes nonnulli finxerunt, planum faciet, exiguas illas admodum esse, neque ad destructionem globi terraquei aut generis humani, sed ejus potius bonum comparatas. Reducentur autem ad sequentia capita. (1) Exterius terræ stratum in perpetuo fluxu esse & mutatione, dum ex eodem animalia & vegetabilia formantur, & in idem redeunt corrupta. (2) Rupes, montes aliasque terræ elevationes, inprimis illas, quæ fodiuntur aut arantur, continue decrescere & humiliores fieri, dum partes earum superficiales ab aqua pluvia in plana vallesque devolvuntur. (3) Has tamen non sensibiliter depressiorum locorum augere altitudines, cum partim in aerem eleventur, partim in flumina ipsumque mare deferantur, partim in hiatibus rupium aut circa eorum radices deponantur. (4) Dissolutione & defluxione arenæ detegi corpora marina in montibus sepulta. (5) Eadem externis injuriis exposita corrumpi & frangi, lapidesque cavitatibus eorum tanquam modulis inclusos venire in conspectum. (6) Lapides hosce testis spoliatos, iisdemque injuriis obnoxios, sensim quoque atteri & corrumpi. Eodem in loco ostendetur, omnes has mutationes cum reliquis, quæ a terræ motibus, eruptionibus ignivomorum montium, &c. oriuntur, necessarias & excellentes adferre utilitates. *In sexta parte* Cl. Auctor retro respiciens, statum terræ antediluvianæ contemplabitur, confirmaturus (1) Faciem terræ antediluvianæ non fuisse lævem, uniformemque, sed inæqualem, & in montes, valles, plana nec non mare, lacus & flumina distinctam. (2) Quantitatem aquæ in superficie globi fere eandem fuisse, oceanum ejusdem magnitudinis & terras interfluentem. (3) Aquam maris salsam fuisse, perinde ut nunc est, agitatamque fluxu & refluxu, procellis, aliisque commotionibus. (4) Mare abundasse omnibus piscium generibus, tam cartilagineorum & squamosorum, quam testaceorum & crustaceorum; lacus quoque & fluvios repletos fuisse piscibus fluviatilibus & lacustribus. (5) Terram consitam fuisse uberrima herbarum, fruticum, arborumque copia, instructamque undique maximo animalium, quadrupedum, insectorum, avium &c. numero. (6) Animales & vegetabiles productiones terræ antediluvianæ nullo modo discrepasse a præsentibus. Extitisse tunc eadem animalium & vegetabilium genera, easdem-

easdemque subordinatas species. Fuisse quoque ejusdem staturæ & molis, ejusdemque figuræ, earundemque partes ejusdem texturæ, compositionis & coloris, cum jam existentibus. (7) Tam metalla quam mineralia fuisse in terra antediluviana. (8) Terraqueum globum eundem habuisse situm & positionem respectu Solis, atque nunc habet, ejusque axem eodem modo fuisse inclinatum, eosdemque quoque obtinuisse vicissitudines caloris & frigoris, humiditatis & siccitatis, nec non anni tempestatum, quales nunc locum habent. Sed hæc prolixius commemorare nobis non licet, cum jam brevitatis limites nobis constitutos transiliisse videri possimus.

מסכת תענית
ID EST:
CODEX TALMUDICUS DE JEJUNIO, EX HEBRÆO sermone in Latinum versus, Commentariisque illustratus a DANIELE LUNDIO, Sueco.

Trajecti ad Rhenum, apud Franciscum Halma, 1694. 8.
Plag. dim. 9.

CLarissimus Lundius bene de literarum Ebræarum studio mereri voluit, doctam versionem Codicis Talmudici de jejunio adornando, eandemque selectis observationibus illustrando. Ne specimen desit, nonnulla delibabimus. De Præcentoribus observat, non uno eos in Talmude designari nomine. Quatuor tamen quæ illis tribuuntur, maxime illustria esse atque frequentia. Interdum enim, qui Præcentoris munere fungitur, שליח צבור vocatur, nonnunquam חזן הכנסת dicitur, quandoque פורס על שמע audit, sæpius quoque עובר לפני התיבה appellitatur. Hæc nomina reipsa a se non adeo differre autumat, ut non unum pro altero usurpetur. Vim singulorum tamen edisserit. Legatum Synagogæ sive שליח צבור eum esse docet, qui totum negotium religiosum in Synagoga peragit. Amplum hunc esse honoris titulum addit, adeo ut de Pontifice summo etiam usurpetur, quod esset instar Legati inter Deum populumque. Vocari præterea huncce Præcentorem missum monet, quod nunquam antea preces potuerit inchoare, quam a Præside Synagogæ de eo mandatum accepisset peculiare. Minister vero Synagogæ, qui curam gerit ornamentorum arcæ, & totius templi חזן הכנסת nuncupa-

Annot. ad Cap. 1. p. 4.

cupatur. Uti vero a videndo & inſpiciendo nomen habet, ita hoc ei datum fuit negotii, ut diligenter curaret, ne res Synagogæ detrimenti quid caperent. Latius tamen, obſervante Noſtro, idem nomen חזן patet, & quandoque de eo uſurpatur, qui in judicium vocandos citabat, imo etiam de eo, qui plagas infligebat reo a Synedrio damnato. Id Maimonidis teſtimonio comprobat. Olim vero inter Legatum Eccleſiæ & Miniſtrum Synagogæ diſcrimen aliquod interceſſiſſe, ex Raſchio docet: quale tamen iſtud fuerit, non explicat. Quæ vero nominis פורס על שמע ſit ratio, non omnes forte intelligunt. Noſter hac de re ita ſentit: ſi quando evenerit, inquit, ut poſt benedictiones dictas, aliqui ſero veniant, tunc ex cœtu is, qui recitandi munus in ſe ſuſceperit, ac recitatis formulis precationum ברכי & קדיש in Synagoga ulterius perrexerit ad conſuetam formulam יוצר אור vocatur פורס על שמע, ideo quod ſeparat quaſi ſectionem שמע ובו a reliquis benedictionibus. Non ſatis itaque muneris hujus rationem ei aſſecutus videtur Robertus Sheringhamius, dum his vocibus eum deſignari autumat: qui exponeret ſuper *lectionem Schemàh*. Denique per עובר לפני התיבה eum innui contendit, qui XVIII benedictiones עמידה dictas una cum קדושה recitat. Jarchium quidem exiſtimare, quod non alius quam Legatus Eccleſiæ hac voce denotetur. Interim non diſſimulat, hodiernos Judæos inter quatuor hæcce nomina nullum plane agnoſcere diſcrimen, ſed vocem חזן הכנסת ad omnia hæcce munera extendere, vel quod hodie uſitatius, vocem
p. 10. שמש pro eo uſurpare. De afflictionibus Judæorum in jejuniis illorum receptis, abſtinentia ſcilicet a cibo potuque, lotione, unctione inductione calcei, & concubitu cum uxore, itidem nonnulla diſſerit. Nimirum abſtinentiam a cibo potuque Divinitus Judæis fuiſſe injunctam. Divinarum litterarum oraculis comprobat. Aſt lotionis & unctionis intermiſſionem & Magiſtris Ebræorum fuiſſe introductam: licet & ejus exemplum in Davide jam 2. Sam. XII. 10. occurrat. Diſcalceationis præceptum traditionibus ſuam quidem debere originem, ſed inde etiam certa ratione mitigatum temperatumque fuiſſe. Calceos enim ex corio induere nefas fuiſſe, neutiquam autem ſoccos ex panno confectos. Ex eodem fonte manaſſe etiam interdictionem cohabitationis uxoris cum marito, cujus ea fuerit conditio, ut ne uno quidem cum uxore lecto uti mariso licuerit.

cuerit. De cornuum atque tubarum in jejuniis usu ita exponit, ut hisce in civitate, illis autem extra civitatem locum fuisse demonstret; hinc aliis, quæ ad usum horum instrumentorum pertinent, interspersis, tandem subnectit, sonum hunce homines excitasse, ut a peccatis per pœnitentiam mentem purgarent, idque & Maimonidis quodam documento comprobat, qui a novi anni initio, quo cornua inflabantur, usque ad festum expiationis, morem fuisse perhibet, ad pœnitentiam sese accingere. p. 11.

Cum pœnitentia jejuniisque crimina sua expiarent Judæi, solebant, ut Lundius tradit, arcam in qua volumen legis reconditum servabatur, proferre in plateam, ut vel hac ratione iratam Numen ad misericordiam flecterent. Id vero dum fiebat, tantus omnium erat mœror, ut nec a lachrymis sibi temperarent. Cinerem quoque volumini legis impositum fuisse, ex Maimonide Noster demonstrat. R. Joseph Karo quidem fatetur se nescire, unde hoc Maimonides didicerit; in Gemara enim hac de re altum esse silentium. Penitius ergo in hanc rem inquirenti Auctori sese obtulit R. Ascher in ἀνακεφαλαιώσει sua Talmudica longe aliter textum Talmudicum referens, ac hodie in nostris exemplis legitur. Unde ex diversa lectione nodum hunc ortum concludit, qui ceteroquin non facile a quoquam solvi possit. Cinerem arcæ capitibusque olim impositum porro ex Talmude docet, ut ligationem Isaaci Numini in memoriam revocarent. Debebat vero cinis, ut itidem ex Gemara didicit, in loco phylacteriorum poni, hoc est, ut conjicit, in ea capitis parte, quæ Medicorum filiis scissura cranii dicitur. Nec istud hic prætermittit, quod Judæis in more positum fuerit, cum jejunarent, finitis in Synagoga sacris ad sepulchra adire, ut communis & severissimæ legis, qua omnes jubentur mori, recordarentur. Quin & hodienum Judæos in quibusdam locis hunc frequentare morem, se accepisse addit. Verba autem quibus ad bonam frugem excitabantur Judæi, eleganter dicuntur: דברי כבושין verba prementia sive subigentia. Ita nimirum, inquit, verba ad pœnitentiam excitantia comparata esse decet, ut animum subigant velut ac premant. De volumine jejunii, cujus Mischna hic meminit, ita censet, ex perantiquis illud constitisse traditionibus, diesque significasse, qui Numinis miraculis beneficiisque singularibus in Judæos collatis sunt illustres. Conscriptum

Ad cap. II. p. 14.

p. 15.

p. 16.

p. 27.

illud fuisse lingua Aramæa, ex fragmentis colligit: Auctores autem ejus cum חכמים sapientes appellitentur, certior inde redditur, ante templum secundum illud non fuisse confectum. De noviluniis, festo initiationis, sortiumque, & nono die mensis Abh Judæis funesto strictim etiam quædam delibat.

Cap. III. & IV. p. 35. 36. De vocibus שרפון הירקון, itemque locustis & bruchis, ita disserit, ut de prima observet, Bartenoriensem commentarium per eam ventum intelligere, qui segetes ita corrumpat, ut semine sive granis spolientur. Alteram rubiginem vertere solent. Raschius tamen, observante Auctore, morbi speciem ea indigitari putat, sed Bartenoriensis rubiginem intelligit, qua segetes flavescentes reddantur. Locustas autem Judæis adeo execrabiles visas fuisse ex Gemara docet, ut si tot solum conspectæ sint, quod inter se junctæ avis magnitudinem æquarent, jejunium indictum & cornua inflata fuerint. p. 45. Hymni magni dum injicit mentionem, duplicem apud Ebræos fuisse monet. Unum quidem varios Psalmos Davidicos complexum, in mensis cujusque principio, festo dedicationis, & tribus festis majoribus, recitatum fuisse. Alterum vero, qui in præsenti codice Talmudico memoratur, peculiari ratione hymni magni titulo insigniri, nec aliud quid quam trigesimum sextum supra centesimum Psalmum hoc nomine indigitari. Sed hæc hinc decerpsisse sufficiat: namque quæ de manuum sublatione in benedictionibus p. 46; de stationibus Israelitarum p. 48; de lignorum oblationibus p. 54. disserit, & quæ id genus alia sunt, prætermittere instituti nostri ratio nos jubet.

OECONOMIA CORPORIS ANIMALIS, AUCTORE GUILIELMO KOCKBURN.

Londini apud Hug. Nevvman, 1695. in 8. pl. 10.

TAnta olim de Fermentis, quorum beneficio functiones corporis nostri peragi voluerunt, commenti sunt Veteres, invento tam suavi ac felici, ut plurimi ex Neotericis eidem subscribere non dubitaverint hodierno etiam die. Vanum vero omne confictumque esse, quicquid de iis traditur, ut ostenderet Auctor clarissimus, appulit animum ad scribendam hanc Oeconomiam Animalem Corporis, in Germania etiam non ita pridem Augustæ Vindelicorum recusam,

qua omnes functiones, quæ in corpore nostro observantur, sine fermentis, modo plane naturali perfici, declarare omnibus allaborat viribus. Exorditur vero ab alimenrorum assumptione, quam maxime neccssariam judicat, quod notabilis quotidie ex corpore nostro particularum fiat secessus. Alimenta igitur a dentibus conquassata, & cum saliva intime subacta, quamprimum ventriculi cavum subintrarint, hujus fibras carneas sese contrahere, interioremque superficiem arctius assumpta complecti, motuque leni eadem, a saliva bene dissoluta, discontinuare suspicatur. Maximum vero ponderis ponit in saliva, a cujus commiscela coctionem absolvi debitam, ast si deficiat a genio suo, quocunque id fiat modo, lædi chylificationem non dubitat. Intestina porro ex alimentis natum chylum crassiorem ad anum usque protrudere, tenuiorem vero in vasorum lacteorum orificia cogere censet, absque ulla bilis succique pancreatici, quam somniare aliis placuit, lucta atque effervescentia; cum nihil nisi viscidiorem chylum discerpant & tenuiorem reddant. Hunc modo ordinario in venam subclaviam infusum cum refluo sanguine in cor devolvi, sanguinique intimius admisceri, nullum ipsi est dubium. Ad quam hujus cum sanguine permixtionem motu locali atque cuneis, qui chyli partes dirimere valeant, opus esse censet. Quapropter contractioni cordis aliarumque partium, qua liquores moveantur & agitentur in se ipsos, multum, imo totum tribuit, rejectis aliorum de fermentatione figmentis. Hoc humore sanguineo, qui in arteriis venisque continetur, nos nutriri ostendit, circulationisque hinc infert necessitatem; motum tamen illius non a se ipso, nec a rarefactione, nec a fermentatione aut ebullitione, nec ab attractione, sed ab impulsu a corde, quod impetum suum spiritibus debet animalibus, deducit. Calorem sanguinis a motu quidem procreari, pendere tamen ab attritione partium calorificarum declarat. Pulsum a sanguine majoris molis, digitos nostros repellente derivat, de ejusque indicio fallaci plura differit; habita tamen temperamentorum ratione, cuique temperamento proprium certumque, scilicet biliosis magnum, melancholicis rarum, pituitosis parvum & depressum assignans. Sanguinem porro in suo contemplatur circulo, ejusque mutationes ordine explicat. Ille enim cum ad renes devenerit, urinam, reliquis hactenus massæ sanguineæ partibus involutam, manifestat. Hujus

statum

p. 12. p. 19. p. 20. p. 25. p. 40. p. 45. p. 57.

ſtatum inveſtigans Auctor naturalem, ex aqua communi, ſale & terra inſipida ſive tartaro conſtare perſuaſum habet, ex quorum varia commixtione ſedimenta, ſuſpenſiones atque nubeculas in urina fieri exiſtimat. Ratione temperamentorum variare hanc, nihilque certi ex inſpectione hujus haberi poſſe opinatur.
p. 67. Sequens denique problema ſolvere allaborat: qui fiat, quod potatores quidam liquidum æque fere celeriter ac biberint, excernant? Sanguinis motum & fluxilitatem debitam ad urinæ in renibus ſecretionem ſupponens, in potatoribus ex ventriculo a potu repleto aortam vaſaque vicina comprimi oſtendit, quare ſanguis in motu impeditus majorem tenuioris partis ſuæ copiam dimittere, inhibitaque ſimul tranſpiratio molem augere & cumulare debeat.
p. 71. Progreditur ad ſecretionem ſanguinis, qui ad teſtes appellens liquorem dat ſeminalem. Hujus ſpirituoſas partes tunicas ovuli fœminei, in quo omnia exſtitiſſe compendioſe putat, penetrare, liquoresque in eo contentos agitare ac rareface-
p. 82. re credit. Iter porro ſanguinis ad lienem proſequitur, hujusque viſceris uſum rimatur. Comminuere ſanguinem, pulmonumque vices præſtare illud in non natis, h. e. ſanguinem chylo intime miſcere; hincque abſque periculo in natis, qui pulmonibus utuntur,
p. 85. exſcindi poſſe autumat. Secretiones tandem omnes fieri cenſet, quod partes corporis ea tantum admittant, quæ reſpectu magnitudinis figuræque maximam cum earum porulis & meatibus agnoſcunt analogiam, excluſis cæteris, quibus nihil cum his eſt proportionis.
p. 99. Ita ſanguinem per arterias carotides & vertebrales ſenſim ad cerebrum appellantem, porulis glandularum hujus ſubtiliorem ſui relinquere partem credit, quæ arteriarum dilatione in origines nervorum prematur, tandemque in omnes corporis partes dimittatur. Hunc vocat ſuccum nervoſum, quem exiſtere & materialem eſſe experimento, quod ligatura in nervo facta ab influxu intercipiatur, comprobat. Hunc ſuccum per totum ſyſtema nervoſum fluentem, muſculos inflare, qui cum antagoniſtis ſuis, qui ſunt quaſi eorum antipondia, ſimul inflati, in æquilibrio manent, donec bilanx vertatur, ſibi parſuadet. Quieſcentibus tamen omnibus cor moveri debere, quod antagoniſta careat, ex apoplecticorum conſtitutione confir-
p. 110. mat. Demonſtratis, quæ ſanguini circulanti obvenire ſoleant, tranſſpirationem paucis attingit. Poros corpori noſtro non denegat,

aerem

aërem vero per eos corpus nostrum ingredi posse pernegat, quod particulæ quædam continuo ac vivido motu ad exteriora propellantur, quæ ërem externum protrudere longius valeant. Explicat inde phænomenon, quod melancholici tristesque graviores in bilance inveniantur, quam si læti fuerint; rationem ponens in aëre externo, qui corpora, in quibus sanguis non adeo velociter circulatur, graviora reddit. Ad respirationem hinc transitum faciens, illius causam dicit p. 118.
musculos, cum aer & pulmones passive se habere videantur. Eandem necessariam deprædicat; interim non admittit, aerem ejusque particulas sulphureas sive nitrosas sanguini in pulmonibus admiscere, quod pulmo extracto in antlia pneumatica aere externo disrumpatur. In eam tamen descendit sententiam, quod aer mediocris consistentiæ particulas sanguinis chylique dirimere possit: ubi plura de nulla fœtus in utero respiratione tradit. Evacuationibus naturalibus accen- p. 127.
set etiam Auctor coronidis loco fluxum menstruorum, fœminis solennem & proprium. A repletione sanguinis illum fieri, nullum quidem ipsi dubium est; in causam vero repletionis inquirit. Sanguine igitur perpetuo fluente, non tantum e fluidis, sed etiam ex carnibus, nervis, membranis, tendinibus, ossibusque particulas dissolvi, pro comperto habet. Particulas has cum sanguine in vasorum interstitia impingentes repelli, hincque pro majori minorive quantitate sanguinem augere & promovere ejus motum dicit, adeo ut canales tensiles distendat, & si sint tenuiores, rumpat, hæmorrhagiamque procreet. Cuicunque igitur structura narium uterique nota est, per horum vasa sanguini facile exitum præberi fatebitur. Hinc provectioris ætatis puella hoc laborare malo tantum videtur Auctori nostro, quod durioribus factis vasis, major appulsus sanguinis ad arterias tenuiores tum temporis deprehendatur. Ideo Incerta menstruorum quoque esse initia evincit; nulla vero observari temporis decursu, ex rigidis factis vasis esse judicat. Quod servent periodum, fortuitum ipso judice est; quibus enim temperamentum vivendique ratio diem constituerunt certum, eundem, cum idem vivendi modus servetur, necesse est ut retineant. Concludit denique, lactis secretionem esse ex chylo, & p. 136
a vasis lacteis in mammas deferri, vasis lymphaticis glandulosaque mammmarum structura lympham secernentibus. Ex hac sanguinis diminutione deficere menstrua non ambigit, interim coitu ad ute-

rum denuo regredi, mammasque suo spoliarre opimo Nectare, teste, experientia confirmat.

ANGELI RODULPHINI ALLEGATIONES, IN QUIBUS FERE *omnes arduæ Fideicommissorum Quæstiones tractantur & resolvuntur. Opus Posthumum.*

Bononiæ, typis Petri-Mariæ de Montibus, 1693. fol. alph. 6. pl. 14.

ERuditi Advocati esse, lites quæ agitantur in foro, non modo instruere ac tueri, sed & de Jure quasi respondere, atque utrisque partis momenta, præmissa facti cujusque serie, trutinare atque evolvere, exemplo laudabili & imitando ostendit insignis apud Italos JC. & Advocatus Urbis Romæ, dum viveret, celeberrimus, Angelus Rodulphinus, cujus Allegationes a Silvestro Bonfilio J. U. D. editas, qua rem fideicomissariam inprimis spectant, strictim recensebimus. Statim autem Allegatione II (nam 1. 10. 12. 14. 18. 19 31. 32. 38. 41. 44. 69. 94. 112. 126. una cum aliis quibusdam ad diversas a fideicommissis doctrinas quæstionesque pertinent) adducitur testamentum aliquod Anconitanum, continens substitutiones una plures, & prohibitionem alienationis, cum clausula, *si substitutus sine filiis decesserit*, ut tunc succederent filiæ, earumque lineis extinctis Hospitale B. Mariæ. Cum autem substitutus decessisset relictis duobus filiis, quærebatur, an filius ultimo loco defunctus (Vincentius) potuerit testari de bonis testatoris, an potius purificatum sit fideicommissum ad favorem eorum, qui a testatore in casum deficientium masculorum vocabantur? Respondit Noster, purificatum esse, ut evitetur incompatibilitas: quia si gravatus est Vincentius, impossibile est, vocatos ultimo loco admitti solum sub ea conditione, quæ supponat non existentiam Vincentii. Gravatum autem fuisse citra dubium, quia prohibitio injuncta sit non solis certis personis, sed omnibus successoribus, verbis prægnantibus, adeoque realis illa sit potius quam personalis. Prohibitionem autem realem inducere fideicommissum a quibuscunque possessoribus. Allegatione *tertia* statuit, gravatum non censeri, neque omnino possidere titulo fideicommissi eum, qui a testatore non sit nominatus, sed fortuito succerit ante natis, puta quod in

in casu mortis Thomæ sine filiis substituti sint fratres, absque mentione heredum. Et quanquam subjunxerit testator, quod si fratres & eorum heredes non observassent ejus voluntatem, tunc prædium fore sanctissimæ Virginis Lauretanæ; non tamen continere gravamen heredum, quia non verificata prius sit substitutio ad eorum favorem. Heredes autem, qui non succedunt ut substituti, non intelligi gravatos; & prohibitionem factam heredi comprehendere hæredem heredis, quando hic succedit uti repræsentans primum heredem defunctum. Gravamina enim non esse multiplicanda, quamdiu verba operari possunt in aliquo casu. *Quarta* decernit, cum testator heredi instituto substituisset promixiores in gradu ex linea masculina in perpetuum, si heres sine filiis decesserit, expirasse fideicommissum, si heres defunctus sit cum filiis, & fuisse purificatum ad favorem eorum, uti in conditione positorum sub nomine filiorum, quod includat nepotes & descendentes. Positos autem in conditione distinguendos esse a substitutis, ac evitandam perplexitatem, ne alioqui positi in conditione, qui excludunt substitutos, excludant se ipsos. Deficere etiam adjectionem tractus successivi. Quanquam enim is fuerit, appositus in substitutione proximiorum, tamen inde non inferri ad constitutos in conditione, ob diversitatem personarum & rationis. Neque contemplationem agnationis habitam in proximioribus substitutis extendendam esse ad filios ut extendatur gravamen; quia sæpe nolint testatores gravare filios & descendentes, sed solum inter eos reservare jus succedendi ab intestato, & nihilominus gravent alios agnatos transversales. Et quanquam testator injunxerit heredibus onus perpetuum certæ eleemosynæ, verba tamen pati restrictionem ad tempus durantis fidei commissi, neque inde inferri ad perpetuum fideicommissum universale. Alioqui frustra testator adjecisset conditionem, *si sine filiis*: filios ergo voluisse relinquere in libertate, ut evitetur superfluitas. Satis enim alioquin fuisset vocare proximiores in perpetuum, sub quibus comprehendantur filii & descendentes. Quæ paulo uberius illustrantur Allegatione quinta. *Sexta* proponit, cum dixisset testator, substituo filiis meis, sine filiis decedentibus, cippum domus in gradu proximiorum; nullum adesse fideicommissum, ad excludendum pronepotem ex uno, in favorem superstitum nepotum ex altero filio. Nam sub nomine proximiorum absque repu-

gnantia non potuisse intelligi nepotes, quos mortuos supposuerit testator. Et repugnantiam hanc non cessare, si pluralitas (*omnibus* decedentibus) resolvatur in singularitates (*aliquo* decedente, nempe filio testatoris Andrea) Superesse enim personam (pronepotem ex filio Gerhardum) quæ juxta testatoris mentem excludat substitutum, & impediat hanc resolutionem in singularitates. Matrem enim illius fuisse honoratam, uti vocatam ex positione in conditione ex conjecturis. Atque hac superabundare, propter reciprocam substitutionem inter primos institutos, & vocationem nepotum ad portionem patrui, ac repetitam positionem in conditione, atque ob qualitatem legitimitatis, & ex digressu ad plures gradus substitutionis, præsertim in descendentibus, in quibus leviores sufficiant. Matre igitur Gerhardi vocata appellatione filiorum, neque considerata conservatione agnationis per simplicem cippi (i. e. proximiorum de domo) vocationem, Gerhardum patri suo, Andreæ nepoti testatoris, succedere ab intestato, exclusis patruis. *Septima*, cum substituisset testator suos ex fratre nepotes & eorum filios reciproce, in stirpes & non in capita, iisque omnibus decedentibus absque filiis legitimis, porro substitueret magis attinentes, sive cippum domus, dixit Noster, fratrem patruelis testatoris excludere filios aliorum fratrum patruelium testatoris; quia sit proximior in gradu, considerata etiam proximitate tam respectu gravantis, quam respectu gravati. Nec posse obtendi repræsentationem; cum non agatur de fideicommisso ordinato ab ascendente, neque a patruo, amita, avunculo vel matertera. Testatorem etiam non intendisse repræsentationem ex verbis, *in stirpes & non in capita*, appositis quippe non instar stirpes diversas, sed solum inter patrem & filios, in hoc, ut filii non concurrunt cum patre in hereditate transversalis, sicut alioquin concurrerent, sed ordine successivo admittantur. Majorem difficultatem insurgere circa sororem dictorum heredum. Dici enim posse pro illius capacitate, rationem conservandæ agnationis hic non habitam, & fœminas vocatas sub nomine filiorum in præcedenti parte testamenti, intelligi etiam vocatas in subsequente parte sub nomine cippi domus, ut vocationes inter se correspondeant. Præterea vocationem unius tantum gradus agnatorum non inducere præsumptionem conservationis agnationis. Quumque vocatio proximiorum cippi domus intelliga-

tur

tur de primo solum gradu, extingui fideicommissum, posiquam ad proximiorem devenit. Nihilominus defendi posse exclusionem sororis. Unam enim substitutionem declarare aliam, & inter se correspondere, si fœminæ prius expressim vocatæ fuissent in una. Hic autem præcedentem vocationem sub nomine filiorum destrui ex posteriori vocatione cippi domus, quæ illam restringat ad masculos. Neque etiam unum tantum gradum sine tractu successivo hic vocatum esse; cum sola vocatio proximiorum de agnatione vel de cippo importet fideicommissum successivum & considerationem agnationis; ex hac autem tractus successivus implicite resultet. Hæc de sorore; de fratre dictorum heredum, qui monachus sit, respondet, monachum & monasterium fortius excludi quam fœminam. Rotam tamen non eandem semper tenuisse sententiam. *Octavam*, cum testator filiis suis substituisset supervirentem ex eis, seu alterius filios, & decedentibus omnibus filiis, voluisset, ut hæreditas rediret pro medietate ad cippum domus, & pro medietate cederet locis piis, gravatum censet Noster non modo nepotem testatoris ex primo filio Iohanne, sed & pronepotem, eique ademptam potestatem testandi, in favorem secundi filii testatoris, Dominici: & esse hic reciprocam tacitam substitutioeem inter omnes descendenses testatoris, adjecto præterea, *ut bona conserventur in agnatione:* quæ verba restringi non possint ad duos primos filios institutos: quodque voluerit fideicommissum *repetitum esse in perpetuum*, quæ verba tractum successivum denotent. Nec requiri, ut tractus hic successivus exprimatur in ipsa substitutione, sed satis esse, si desumatur ex aliis etiam partibus testamenti. Et hanc substitutionem, qua tertium requisitum, utique factam esse ultimo morienti, quæ fuerit facta, *decedentibus omnibus*. Stante igitur hac reciproca tacita substitutione, pluralitatem non resolvi in singularitatem, pro medietate scilicet solius cippi domus, sed & pro altera medietate ad favorem piorum locorum. Subjungitur his recte casus in eodem genere diversus Allegatione *nona*. Cum enim testator duobus filiis substituisset supervirentem, vel ejus filios masculos, & si aliquis dictorum filiorum suorum & heredum decesserit, relictis filiabus fœminis, ut dictæ filiæ dotentur; & si ex dictis filiis suis & heredibus remanserint aliquæ filiæ post eorum mortem, nullo masculo superstite, ut tunc dictæ filiæ succedant in bonis; & si ambo dictorum suorum

rum filiorum decessrint nullis relictis filiis masculis, neque fœminis, tunc substituisset Luchinam & Christophoram &c. gravatos arbitratur filios quidem testatoris erga nepotes, & proprios filios masculos, non autem ipsos nepotes testatoris inter se. Mortuo igitur primo filio testatoris, recte successisse ei per fideicommissum duos illius filios, Johannem & Barnabeum. Johannem autem & Barnabeum non esse reciproce inter se gravatos: sed mortuo Johanne, valere illius testamentum de bonis fideicommissariis. Nullum hic esse reciprocum tacitum fideicommissum, ob defectum requisiti tertii. Fœminas enim non fuisse substitutas ultimo morienti, sed filiis testatoris, atque adeo gravamen restringi ad ipsos primos heredes institutos, neque referri ad nepotes in conditione positos. Loqui enim testatorem de tempore mortis heredum, ibi, *post eorum mortem*, non autem indeterminate. Ex vocatione igitur activa Johannis & Barnabei non inferri ad passivam, quasi reciproce inter se sint gravati. Onus equidem eleemosynæ. substitutioni adjectum, posse declarare perpetuitatem fidei commissi, concurrentibus aliis verbis collectivis plurium personarum vocatarum & graduum; adimpleri tamen posse etiam a successoribus extraneis, etiamsi ipsi onere fideicommissi gravati haud sint. *Undecima* hæc est. Substituerat testator nepotibus ex fratre hæredibus universalibus filios eorum & descendentes masculos in infinitum: deficiente autem linea masculina dictorum nepotum suorum, substituerat filios Antonii in quatuor prædiis, tanquam fidei commisso particulari. Cum igitur defecisset linea masculina nepotum, respondet Rodulphinus, fideicommissum quatuor prædiorum deberi Argentinæ, filiæ Antonii. Si enim testator voluisset se restringere ad masculos, non omisisset expressionem masculorum in ultima parte orationis. Non igitur censeri repetitam qualitatem masculinitatis, quia non agatur de vocatione filiorum earundem personarum. quarum masculi prius fuerant vocati, sed de filiis diversæ personæ. In diversis autem personis posse concurrere diversam testatoris affectionem: quasi voluerit dividere bona sua, gravando ultimum masculum non in tota hereditate, sed in solis quatuor prædiis, ad favorem Antonii ejusque filiorum & descendentium. Neque hic censeri tacite consideratam conservationem agnationis, quia ex tacito non debeat inferri ad aliud tacitum, & ratio conservandi agnationem

tionem in descendentia hæredis etiam expressa, non trahatur ad conservationem agnationis in descendentia substituti, etiam agnati. Et quandoquidem hæc doctrina per integrum Opus diffusa sparsim recurrit, juvat ire per aliquot Allegationes. Sic Allegatione XXII. n. 27. & XXIII. n 9. asserit, comprehendi fœmina sub nomine *familiæ & agnationis*, in subsidium, cessantibus masculis, etsi testator diserte dixerit, bona debere perpetuo remanere in famalia & agnatione sua & illorum heredum; qui exclusio fœminarum intelligatur in casu superextantinm masculorum, qui solam hebeant prælationem. Contra Allegatione XLV & XLVI affertur casus, ubi testator substituens Petro filio suo fœminas filias & Petri descendentes, deficientibus masculis, intelligitur exclusisse masculos ex fœminis, ita ut nomen lineæ fœminæ restringatur ad sexum. Fœminis enim, agnatis deficientibus, substituerat iterum alios agnatos ex alio filio prædefuncto nepotes & eorum descendentes masculos. Quod si, ait Noster, testator sub nomine *descendentium* voluisset vocare masculos etiam ex fœminis, non vocasset filias fœminas & descendentes Petri, sed filias fœminas, *& earum descendentes*: vel post vocatas filias fœminas & descendentes Petri, adjecisset, & *earum descendentes*: quemadmodum id sciverit exprimere de descendentibus masculorum in ploribus partibus testamenti. Solas igitur fœminas vocatas habere hic qualitatem agnatitiam, non & masculos ex eis, sed transicre fideicommissum ad alios ainatos, Vocari enim hic masculos ex masculis, cum repetitione qualitatis masculinitatis, non ob solam prædilectionem sexus, sed cum implicita exclusione masculorum ex fœminis, & fœminas ipsas gravari fideicommisso successivo, ad fovorem aliorum agnatorum. Porro Allegatione LX proponitur fideicommissum Mediolanense in causa Nobilium de Vicedomis, de quibus observat Noster, Nobiles istos solere prospicere agnationi Testator Instituerat hæredes Matthæum & Johannem filios suos, & post eos, eorum filios, & descendentes masculos infinitum, & in eorum defectum substituerat quatuor descendentes ex Francisco, si tunc vixerint, &, si non vixerint, *eorum descendentes* & filios masculos, usque in infinitum. Placuit Auctori adhære opinion affirmanti, quod etiam hoc casu excludantur descendentes ex fœmina. Stante scilicet tractu successivo, & digressu ad plures gradus substitutionum active & passive

ſive usque in infinitium, juncta etiam expreſſione qualitatis maſculinitatis filiorum & deſcendentium, (qui habeant co puiative utramque qualitatem, quod ſint maſculi & filii maſculi, quod ex Allegatione XCIII & CXI huc repetendum,) non ſolum in deſcendentibus teſtatoris, ſed in deſcendentibus transverſalium: quæ omnia vincant. converſationem agnationis haberi pro expreſſa. Quanquam enim teſtator non proſpexerit continuationi agnationis, in caſu ſuperviventiæ transverſalium, eam tamen non intelligi voluiſſe in aliis caſibus negligere, qui evenerunt vel evenire poſſunt. Aliud dicendum, ſi fideicommiſſum ſit factum a fœmina, vel vocatæ ſint fœminæ, vel *earum deſcendentes*, ubi agnatio non videatur conſiderata, & ſupponantur vocationes mere activæ, non paſſivæ & conditionales, in quibus fiat reſtrictio ad perſonas ſupra diſpoſitive vocatas. Sed &, ſi poſita in conditione fuerit linea maſculina & fœminina, fieri poſſe reſtrictionem ad ſolas fœminas, quia in illis verificari poſſit præcedens vocatio diſpoſitiva. Iterum excutitur hæc controverſia Allegatione LXXVIII. Dixerat teſtator, *volo bona conſervari in ipſos inſtitutos & ſubſtitutos &c. & eorum deſcendentes in infinitum.* Reſpondit Noſter, *deſcendentium* nomine non comprehendi hic fœminam Camillam, filiam ultimi maſculi Hieronymi, de familia teſtatoris, quia declaravit teſtator nullam aliam fœminam eſſe admittendam, excepta Priſca, ejus filia, deficientibus maſculis. Sed nec filios Camillæ vocatos videri, quia ſemper vocentur maſculi per viam primogenituræ de primogenito in primogenitum: quod filiis Camillæ non competat. Deinde expresſiſſe teſtatorem, deſcendentes ex Priſca debere deferre inſignia ſuæ familiæ; in deſcendentibus autem ex linea Hieronymi id non expresſiſſe, quod ſupponeret, ſolum vocaſſe illos, qui vere eſſent de ipſius familia, nec indigerent nova aſſumprione inſignium, neque adeo deſcendentes ex fœminis. Quanquam enim & hi poſſint aſſumere inſignia; tamen hoc onus non poſſe adimpleri, niſi ab iis, quibus expreſſe ſit iniunctum, neque fieri extenſio de perſona in perſonam. Addi his merebantur Allegationes XCIII, CX, CXI, CLXIII, CLXXIV, CLXXVII, & CLXIXX, quarum ſingulæ huc collimant, niſi ex adductis jam ſatis pateret ingenium Auctoris, atque concinna brevitas, quodque caput rei eſt, judicium robuſtum & conſtans.

HISTO-

HISTOIRE DE BERRY.

Id est:

HISTORIA PROVINCIÆ BITURICENSIS IN GALLIA, AUCTORE GASPARD THAUMAS de la THAUMASSIERE, Equite & Parlamenti Bituricensis Advocato.

Parisiis apud Jac. Morel, 1689. in fol. Alphab. 15. plag. 1.

DUdum est, quod optarunt Viri clarissimi, ut per totum orbem cultiorum gentium provinciarumque historiæ ab his potissimum ac singillatim traderentur, qui iis natales debent; siquidem ea re fieri posse arbitrantur, cum ita omnes a natura simus comparati, ut patriæ tener amor insideat mentibus, atque illi semper velimus bene, apudq; alios honorem & existimationem conciliari, ut res gestæ a talibus Viris, tanquam genuinis aut populi aut provinciæ alicujus civibus, longe accuratori studio, quam ab exteris plerumque fieri solet, exponantur. Cui & accedit, quod civi ea concedantur inspicienda pertractandaque monumenta, quæ aliis, qui pari sanguinis ac jurium propinquitate nobis conjuncti non sunt, consueverunt interdum denegari. Igitur quid judicare de isthoc, quod modo indicavimus, Opere debeamus, obscurum esse non potest, quandoquidem vel ex mole ejus, quantam industriam & accurationem in Bituricensis provinciæ, unius ex Gallicis non infimæ, Historia ex tot monumentis tabulisque publicis concinnanda collocaverit *nobilissimus Auctor*, clarissime patet.

Duodecim autem illud libris complexus est; quorum etsi compendia dare velimus, tamen id non æque licet, cum monumenta ista rectius possint ab historiæ Gallicæ curiosis perlegi, quam breviter atque ideo non satis integre a nobis enarrari.

Libro I, capite I, postquam pauca de origine urbium generatim dixisset, ex Livio aliisque, atque ad primariam Bituricensium urbem, Bourges Gallis dictam, sermonem inflexisset, se tandem fatetur ignorare, quo præcise tempore orta illa sit, quod nullibi certa de ejus origine expositio extet; tametsi de vetustate ejusdem dubitari vetent tot indicia autorumque antiquissimorum consensus. Ex his enim palam fieri, eam jam celebrem fuisse anno ante C. N. 615, a C. V. p. 1. p. 2.

139, secundo Olymphiadis 41, & O. C. 3439; tempore autem Julii Cæsaris (ut ex Commentariis ejus L. IV patet) quasi omnium pulcherrimam in Gallia habitam; eandem ante divisionem Galliæ in majores quatuor provincias ab Augusto factam, primariam totius & novæ & veteris Aquitaniæ fuisse civitatem, nec non sedem Præsidis Romani; quin deinceps eam a Carolo M. constitutam fuisse Aquitanici Regni metropholim: hodie vero & id nominis honorisque in Ducatu Bituricensi (*Berry*) gerere, & præterea Archi-Episcopo, qui simul Patriarcha & Primas Aquitaniæ audiat, sedem præbere. Quando ve-
p. 2. 3. ro *Capite II.* in etymologiam appellatæ urbis inquirit, hos irridet, qui eam vel a *binis turribus* quasi *bis turritam* dicas; vel a Græcis vocibus Ουτόριγες, Πιτύριχες; vel abs Noachi nepote *Ogyge* & Chaldaico vocabulo *Bit*, quod filium denotet; vel ἀπὸ τῦ BIT, quod significet *abundanter*, & τόρχος, quod forte & frugax (*fort & produisent*;) vel denique a *butyro*, quod regio sit armentorum, lactisque eoque butyri admodum fertilis, dictam volunt: atque certius omnino dicit asseverari, eam & a Jul. Cæsare, & T. Livio *Avaricum*, cives vero nuncupatos fuisse *Biturgies*, urbemque subsequutis temporibus, *Bituricam*, *Biturgiam*, & a Francis *Bourges* appellatam. Inde porro *Cap.*
p. 3. 4. III. eos refutat, qui Avaricum Cæsaris contendunt esse alteram provin-
p. 5. 6. ciæ hujus urbem *Vierzon* aut *Viaron*. *Cap.* IV de Regibus antiquis Bituricensibus agit, atque *Cap.* V. de oppugnatione & occupatione urbis per J. Cæsaram facta; quemadmodum & *Cap.* VI. VII. de aliis, quæ urbi acciderunt, fatis iniquioribus; tum *Cap.* VIII. de Coloniis Bituricensium in urbem Burdegalensem (*Bourdeaux*) olim ductis. *Cap.* IX. X, usque ad XXV. de Comitibus & Vice-Comitibus Bituricensi-
p. 23. 25. 32 bus agit, quorum ultimus Eudo Arpinus Philippo I. Franciæ Regi Vicecomitatum Bituricensem A. C. 1100. vendiderit. Ita provinciam illam Coronæ Franciæ innexam fuisse ait, donec Johannes Rex filio suo tertio Johanni eam sub Ducatus titulo A. 1360. in clientelam concesserit; cujus in eo Ducatu successores ex Regio Francico utriusque sexus sanguine, ex quibus ultima fuit Ludovica Lotharingica A. 1601 defuncta, Auctor a Cap. XXVII ad XXXVIII recenset.

p. 61. Exin *Cap.* XXXIX-LVI de secularibus æque ac ecclesiasticis in urbe Magistratibus agit, & *Cap.* LVII de Universitate in ea abs Paulo II.

P. R.

P. R. consentientibus Ludovico XI. Gall. R. & ejus fratre Carolo Duce Bituricensium, anno C. 1464. restituta (cum de ejus constitutione prima nihil possit affirmari;) laudatis simul præcipue, qui in ea floruere hactenus, Jurium Doctoribus *Capp.* LVIII-LXXIX. Andrea videlicet Alciato, Francisco Duareno, Hugone Donello, Francisco p. 79.
Hottomanno, Jacobo Cujacio, aliisque quam plurimis. Capite LXXX. Franciæ Mareschallos, qui ex Bituricensibus ad hanc primariam regni dignitatem pervenere, aliosque Magistratus ex eadem provincia oriundos Capp. LXXXI-LXXXIII. enumerat

Libro II. occupatur Auctoris calamus in describendæ urbis, & L. 97.
quod circa eam situm est, soli bonitate, ædificiorumque publicorum, templorum & monasteriorum claritudine, atque proventibus privilegiisque; ita tamen, ut mentionem quoque faciat insignium urbi p. 98.
concessorum, in quibus conspiciuntur in area cærulea (*azur*) tres gradientes verveces (*moutons* argentei cornibus armati nigris, colla vero nolis sive campanulis tribus aureis rubeisque ornati, (*acollez de gueles clarinez d'or;*) quibus figuris haud ita pridem superaddita fuerint & caput, quale in insignibus regni Galliæ est, & loco fulcimentorum (*supports*) pastores duo, hinc masculus, fœmina illinc, peda sua in manibus tenentes. *Capite* porro IV urbis bibliothecas p. 97.
insigniores, & *Cap.* V. turrim prægrandem, templumque Cathedrale. p. 100. s.
S. Stephano dicatum, aliasque Ecclesias prolixe satis describit per totum librum II. Libro autem III. fere integro de ita dictis p. 137.
quondam probis hominibus, (*Prud'hommes,*) de Majoribus populi, p. 138. 139.
(*Maires,*) de Scabinis (*Echevins.*) Magistratibusque urbis aliis, eorum privilegiis, electione, & quæ huc spectant, agit; tum porro p. 168.
Cap. XLVI. de ordine Equitum *tabulæ* seu *mensæ rotundæ* A. C. 1487 a civibus inter se ipsos instituto, cujus insigne fuerit Rosarium (*un Chappelet*, sive *Pater noster*) ex 50 nigris auro notatis & filo serico viridis coloris consutis globulis constans, una cum imagine B. Virginis Mariæ ex aurea nube prodeuntis, infra vero laminula, cui inscriptum Equitis nomen, appensa. Notandum autem est judicium Auctoris, Catholico-Romanam fidem professi, quando *Cap.* XCV. p. 195.
ea recenset, quæ A. C. 1572 gesta sunt, de strage eorum qui Reformatæ Religioni addicti jussu Regio etiam in urbe Bituricensium fuerunt occisi. Sic autem scribit: *Cette année fut fatale par*

les cruels massacres de ceux de la Religion pretendüe Reformée, faits tant en cette Ville, qu' en plusieurs autres du Royaume, que tous les gens de bien auront pour jamais en horreur & en abomination, comme contraires à la Loy de Dieu & à l' humanité même. Id est: *Fatalem hunc annum funestumque reddidit strages Reformatorum non in hac minus nostra quam plurimis aliis Regni urbibus peracta; quam rem ut indignissimam execrabuntur omnes boni, quippe & legibus divinis humanitatique ipsi adversam.* Libro IV. statum provinciæ urbisque potissimum Bituricensis Ecclesiasticum tradit, ac monet
p. 273. Capp. I. II. Archi-Episcopum quidem ejus titulo Primatis & Patriarchæ Aquitaniæ gaudere, verum incertum tamen esse, quo tempore eodem sit donatus, semper licet & a plurimis Regibus vindicato de-
p. 283. fensoque. Archi-Episcopum autem primum omnium fuisse S. Ursinum, Bituricensium Apostolum. *Libro* V. Historiam urbis Auxel-
p. 553. ss. loduni (*Issoudon.*) Castri Duni (*Dunle roy,*) Magduni (*Meun sur Eure,*) Virzionis (*Vierzon.*) Concotzaldi (*Concorzault.*) aliarumque, & eorum qui ipsis dominati sunt, Genealogiam exhibet; velut &
p. 399. *Libro VI.* urbis Comitatusque Sancerrani (*Sancerre.*) *Libroque* VII
p. 499. Principatus *Deols*, Castelli rubri (*Chateau roux,*) *Libro* VIII Baronia-
p. 639. rum de *Gracay, Boussac, Linieres, S. Aignan*, hodie Ducatus titulo
p. 692. insignitæ, atque porro *Libro IX* aliarum Dynastiarum, tum *Libro X.*
p. 585. Abbatiarum omnium, ac denique *Libris XI. & XII.* excellentium in
p. 813. s. Bituricensibus familiarum notitiam accurate satis, atque stupendæ industriæ exemplo, recenset, quæ iis non profutura esse non possunt, qui in colligenda celebriorum inter Francicas Gentium Genealogia
p. 754. studium suum collocare amant. Juvabit autem hoc loco ex *Libro XI.* duas adhuc Inscriptiones, unam ante circiter LXXX annos prope Castrum *Maubranches*, & alteram A. 1687. mense Junuario in una turrium hujus Urbis collapsa, repertam.

Prima hæc est:

FLAVIA CUBA
FIRMANI F.
COSOSO DEO MARTI SUO
HOC SIGNUM
DICAVIT AUGUSTO.

Altera

Altera ista:

SOLIMARÆ.
SACRUM
ÆDEM. CUM. SUIS.
ORNAMENTIS.
FIRMANA. C. OBRICI. E.
MATER.

D. S. D.

Cum vero eruditis crux figeretur, qualis esset ille Deus *Cososus*, hanc ait Auctor a Scaligero datam Carolo Labbeo interroganti responsionem: *Noli mirari de* Cososo *Deo. Non solum enim Nationes, sed & Urbes propria Numina habent. Itaque in Inscriptionibus* Numina Localia *videas, quæ alibi non extant, Neque mirum si Fœmina dedicat: Viri enim & Deos consecrabant. Sed aliud est in fine, quod nunc per occupationes interpretari non possum.* In altera quod legitur SOLIMARÆ vocabulum, explicuere alii per *Soli Mariæ*, alii *Solii Marti Æterno*, aliis rursum contendentibus *Solimaram* esse æque Deum aliquem Localem, ac *Cosoſum*. De quibus judicium esto penes talium curiosos. Laudem saltem meretur Auctor, quod & hæc antiquitatis monumenta voluit conservare; cujus Opera alia, in præfatione hujus indicata, alio tempore expectamus.

THE RESURRECTION OF THE (SAME) BODY ASSERTED.

Id est:

RESURRECTIO (EJUSDEM) CORPORIS ASSERTA ex Traditionibus Gentilium, antiquorum Judæorum, & primitivæ Ecclesiæ Patrum, cum responsione ad Objectiones contra eam allatas, per HUMFREDUM HODY S. Th. D. Collegii Wadhamensis, quod Oxonii est, Socium, atque Reverendissimo JOHANNI Archi-Episcopo Canturiensi a Sacris.

Londini apud Avvnsham & Johannem Churchil, 1694.
in 8. plag. 15.

OPusculum hoc Reverendus Autor (cujus frequens in Actis nostris mentio) per modum epistolæ ad Amicum, quam *Philalethem* subinde nominat, conscripsisse videtur. Quamquam enim Reverendo admodum Worcestriensi Episcopo Domino *Eduardo Stillingfleet*, (cujus se nuper Sacellanum, semper cultorem profitetur,) brevi nuncupatione illud consecraverit; sub ipsum tamen ejus exordium, Philalethem suum compellat, ejusque hortatu huncce laborem a se susceptum testatur. Quem scopum hoc libro propositum sibi habuerit, brevi præmonitione nos voluit edoceri. Ostendere nimirum fategit, quod Resurrectio ejusdem corporis sit doctrina Evangelica; quo demonstrato, reliqua ex Judæorum Gentiliumve traditionibus ex abundanti quasi addidit, ut docerentur magis curiosi, Resurrectionis doctrinam esse generalem, atque inde a *Noah* Antediluvianisque Patriarchis derivatam. Præterea scire nos voluit, ea se procedere via, quæ ab aliis trita hactenus non fuerit, sed nova sit, ipsique minimum peculiaris. Nos igitur, quomodo rem gesserit, age videamus.

Definitione Resurrectionis ex *Maimonide* adducta, quod sit *reditus animæ ad idem corpus, a quo separata fuit*, ait, quod juxta hanc definitionem Catholica fides sit, *idem corpus, quod mortuum est, consistens ex iisdem particulis, resurrecturum e sepulcro suo, in die judicii, ac reunitum iri cum anima.* Hanc confirmaturus, nititur ostendere 1.) ex ipsis Gentilium traditionibus eam probabilem reddi, 2) ex dictis V. T. & Judæorum antiquorum traditionibus, si non certam, tamen magis quam probabilem, 3.) ex N. T. vero & unanimi primitivæ Ecclesiæ consensu ante *Origenem*, certam plane eam esse evinci. Quibus omnibus denique subjungit ad potissimas, quæ contra doctrinam istam moveri solent, objectiones responsionem.

p. 1.

Ad primum eorum, in quæ hoc opus divisit, capitum spectare videtur Autor a Photio commemoratus, qui 15. libris probavit, Resurrectionis doctrinam Gentilibus fuisse cum Christianis communem. Quo successu tentarum id ab eo fuerit, ignorare nos cogit temporum quæ opus istud nobis eripuit, injuria. Aliunde tamen satis ostendere se posse confidit Reverendus Autor, quam plurimas Gentilium opiniones traditioni cuidam de corporum resurrectione fuisse innixas,

p. 2.
p. 3.

imo

imo illi originem unico debuisse. Affert hanc in rem primo statim loco eorum de *Manibus*, vel animabus a corpore separatis, opinionem. p. 3.
De iis enim credidere, quod eadem, quæ corpora, habeant membra, pariterque ac ea, edant atque bibant, Huc quoque eorundem de p. 6.
metempsychosi; de corpore æque diu ac anima durante: de apotheo- p. 11.
si, & translatione corporum in cœlum: de reditu animarum quarun- p. 13.
dam in corpora: de anno Platonico magno & restitutione rerum, do- p. 15.
gmata trahit atque opiniones. p. 16.

Secundo apte satis cum Christianorum de resurrectione fide con- p. 19.
venire arbitratur Magis veteribus & recentioribus apud Persas, aliis- p. 29. seq.
que item gentibus, quæ Arabiam, Indiam, Ceylon, Javam, Pegu, Chinam, Guineam, Prussiam, olim hodieque habitarunt. Traditiones autem istas non a Judæis e lectione Scripturæ S. nec a Christianis vel Mahumedanis manasse, facile quidem esse probatu, hic tamen isti rei p. 50.
locum non esse arbitratur.

In membro secundo, in quo ex Judæorum traditione de Resurrectione agit, disputat primum contra sententiam *Manassis Ben Israel*, qui in Præfatione dedicatoria ad librum de Resurrectione scripsit, p. 53.
Resurrectionis doctrinam adeo semper a Judæis receptam fuisse, ut eam negans pro Israelita vero minime fuerit habitus: ostenditque, non semper resurrectionem inter eos fuisse receptam, tanquam necessarium fidei articulum, nec communionis conditionem extitisse: nam *Essenos*, qui tamen a Judæis communione privati non sint, putat eam p. 54.
pernegassen, inque eorum sententia ipsum quoque fuisse *Philonem*. Imo p. 56.
ne Sadducæos quidem, negantes immortalitatem animæ, pro hæreticis apud Judæos censet habitos, sed in communionem, imo ad summum Pontificatum admissos fuisse, e.g. *Hircanum*. Factum id esse p. 61. 89.
ait usque ad exitum seculi post Christum primi, temporaque quibus *Josephus* diem suum obiit. Post quæ tempora hæreseos damnati Sadducæi, diesque quo ex Synedrio ejecti illi sunt, (videl) 7. mensis *Sebath* seu Januarii,) inter festos in Calendario Judæorum relatus fuerit. p. 65.
Nihilominus tamen probat Autor noster, Resurrectionem maximæ Judæorum parti creditam esse: nec aliter de illa eos, quam nos hodie, sensisse temporibus ante & post Christum. Diserte id docet ex sermonibus filiorum Maccabeæ mulieris, qui sermones quidem aliter a *Josepho*, & aliter quoque ab Historico *Arabe* in Polyglottis enarrentur,

atta-

A. 70. attamen eodem tendant, ac confirment, hanc fuisse tum temporis Ju-
p. 70. dæorum opinionem. In Chaldæa Paraphrasi quoque hujus doctrinæ
p. 66. extare ostendit vestigia; ut alia ejus argumenta taceamus.

p. 98. Testimonia ex Instrumento Vetere de Resurrectione ipsi sunt: Deut. XXXII 39 1. Sam. II, 6. Es. XXVI, 19. Ez. XXXVII, Dan. XII, 2. Job. XIX, 25. &c. Quanquam enim *Eusebius* in Commentario in Psalm. V. asseruerit, a Davide primum in V. T. traditam esse Resur-
p. 96. rectionem, judicium, & spem futuræ vitæ; Græcusque Scholiastes ad Psal. LXVI, qui inscribitur ὠδὴ ψαλμȣ̃ ἀναστάσεως, neget Resurrectionem ibi intelligendam, quoniam nullibi eam David tradidisse
p. 106. videatur: *Hodius* tamen ex citatis locis doctrinam hanc firmari posse statuit, nisi quod dictum Jobi controversum in medio relinquat, & ad
d. 101. locum Danielis observet, quod verba, *multi ex dormientibus*, sibi aliquando ansam dederint cogitandi, non omnino omnes in die ultima resurrecturos. Licet enim multi sæpe pro omnibus dicantur, hic tamen exemptionem quandam innui putat, cum phrasis, *multi ex dormientibus*, luculente non omnes resurrecturos dicat, sed aliquos adhuc in statu isto dormientium relinquat. Se itaque existimasse ait, Gentilium illos, qui probam & virtuti consentaneam vitam transegere, non resurrecturos esse. Ad infernum enim eos detrudere, sibi nimium atrox; salutem vero eos consecutos affirmare, haud tutum visum sibi esse fatetur. Non diu tamen in hac opinione sese inquit fuisse: *multos* enim resurgentes Danielis, idem valere, atque *omnes* Christi Joh. V. δευτέρας φροντίδες se edocuisse.

p. 108. Testimonia N. T. ad quæ tertio loco expendenda accedit, firmiora sunt Joh. V, 28. Apoc. XX, 13 Matth. X, 28. ubi dicitur corpus, quod occidi potest, etiam infernum detrudi posse. Sic Matth V, 29. 30. dicitur, totum corpus in gehennam projiciendum. 1. Cor. XV, 53. *hoc* corruptibile induere incorruptionem, & *hoc* mortale induere
p. 117. immortalitatem. 1. Thess. IV, 16. 17. dicuntur mutandi homines, qui in Christi adventu ultimo superstites, ipsi obviam vehentur. Si igitur isti eodem prorsus, quo antea, corpore utentur, æquum erit, ut & olim defuncti, pariter in judicio compareant iidem. Ex resurrectione etiam Christi probat ejusdem corporis resurrectionem; nam laudata
p. 122. conformitate inter *Christi* resurrectionem & nostram ex Rom. capp. 5, 6, 8, I. Cor, 15. &c. Phil. 3. concludit, quod sicuti Christi corpus

cru-

crucifixum iterum resurrexit, ita & nostrum omnino corpus, quod gestamus, resuscitandum sit. Urget denique *Enochi* & *Eliæ* in cœlos evectionem, mortuorum patiente & moriente *Christo* resurrectionem, quorum illi certe sua corpora retinuerint, hi vero ex sepulcris apertis (nam si alia fuissent corpora, sepulcra aperiri necesse non fuisset) sua corpora resumserint. Et denique vim vocis *ἀνάστασις*, quæ dicat restaurationem ejus quod olim cecidit, urget, quæ non nisi improprie sumenda foret, si alius corporis creatio intelligenda esset. p. 129. §.

His Scripturæ testimoniis subjungit Patrum dicta, inde a *Clemente Romano* usque ad *Origenem*, cujus errores, 14. circa resurrectionem opera sua collectos, paulo aliter quam Huetius in *Origenianis*, (quem sibi ad manum, cum ista scriberet, non fuisse testatur, ex iisdem tamen ferme cum Huetio autoribus exhibet. De istis Patrum dictis omnibus observari vult, (α) plurimos eorum non solum fuisse innutritos Philosophiæ opinionibusque Græcorum, verum etiam extitisse Philosophos & Juris-Consultos ante Christianam fidem susceptam: nihilominus tamen hanc ejusdem corporis resurrectionem & credidisse & defendisse, quanquam in nulla re, teste *Augustino, tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe & contentiose contradictum sit fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione*, imo etiam risui & scommatibus a *Plinio*, *Juliano* ac *Celso* exposita fuerit. (β) Pleraque Patrum istorum loca desumta esse e libris Gentilibus resurrectionem negantibus oppositis. Cum hisce vero facile transigere illi potuissent, se æthereum solum aliquod corpus resurrecturum esse cum Origene & novatoribus quibusdam admittere voluissent: nunquam enim æthereo aliquo corpore animam destitui, constans erat plerorumque apud Græcos Philosophorum sententia. Et quanquam objici posset, Patres ejusdem corporis resurrectionem asseruisse, quoniam mille annorum voluptatem terrestrem cum Christo olim venturo speraverint, ostendit tamen *Hodius*, quod plures, in specie *Athenagoras* & *Clemens Alexandrinus* id pernegantes, nihilominus tamen dictam resurrectionem defenderint. p. 33. p. 161. p. 178. p. 180. p. 183.

Objectionum, quas Autor ultimo loco solvit, prima est rei difficultas, quandoquidem non solum bestiæ, verum & homo hominem sæpe devoret, qui proinde in carnes ipsamque substantiam ejus convertatur. Respondet igitur non solum provocando ad Dei omnipotenti- p. 184.

am & curam conservandi particulas ad unumquodque corpus pertinentes, quo vera fiat ipsius promissio: verum ostendit etiam, quod, licet homo hominem edat, vel etiam, ex magna exercituum strage & corporum humanorum putredine agri pinguescant, indeque gramen vel frumentum proveniat, cedens in bonum aliorumque altilium cibum,
p. 186. bum, quæ denique hominis esca fiant; via tamen iniri possit, qua rationi quoque persuaderi queat, possibile esse, ut corpus ab alio animali devoratum iterum redeat. Juxta *Sanctorii* enim assertum dici posse, quod non nisi pars quinquagesima cibi ejusmodi sumti in nutrimentum edentis convertatur: posse igitur absque omni difficultate servari particulas ad unumquodque corpus pertinentes. Porro nec omnes particulas necessario requiri ad corporis ejusdem restitutionem sed primarias, quales sunt, ossa, cutis, nervi, tendines, ligamenta, & substantia variorum vasorum: nam ut pinguedines insolitæ, & aliæ omnes particulæ, quæ unquam fuerunt in corpore humano, ad illud ipsum redeant, nullum postulare rationem. Domino *Bayleo* tamen hic non accedit *Hodius*, in tractatu, quem de possibilitate resurrectionis scripsit, statuenti, idem corpus resurrexisse dici posse, si modo ossa conservata fuerint eadem, caro licet aliunde nova accersatur: quorsum etiam digitum fuisse intensum *Ezechielis* Cap. XXXVII, *Boyleo* visum fuerat.
p. 190. Pernegat enim id ipsum Noster, contraque Boyleum verba Pauli 1. Cor. XV, 37. studiose vindicat, opinionem ejus de plastica facultate in particulis humani cadaveris remanente, novamque materiam at-
p. 111. trahente, cum Judæorum de ossiculo *Luz*, cui resurrectionis vim plasticum afferunt, opinione contendens.

p. 192. Objectioni secundæ, terram minime sufficere asservandis tot chiliadibus humanorum corporum, respondet ostendendo, vel ipsam Angliæ partem 17 id præstare posse, si unicuique corpori assignetur pes solidus. Objectioni tertiæ ab indignitate corporum nostrorum
p. 197. respondet, quod, licet nunc corpus dicatur ergastulum animæ, nec non alia vilissima patiatur nomina, omnia tamen ista olim sint cessatura, dicitque cum *Hieronymo*: *hæc est vera resurrectionis confessio, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem*, Objectioni
p. 105. quartæ, quod corpus humanum ob gravitatem non aptum futurum sit inhabitare cœlos, reponit (*a*) nihil esse grave in regionibus æthereis, & posse olim corpora nostra ibi sustineri, quomodo

nunc

nunc terræ globus in aere sustinetur. (β) Fortassis non omnia in futuro seculo fore æetherea, sed etiam terram, quam Apostoli *Johannes*, *Petrus* & alii promisere, novam. Quintæ denique objectioni, non necesse esse, ut corpus resurgat, non contentus illa vulgari responsione, (qua dicitur, quod corpus cum anima bene maleve operans easdem pœnas vel præmia consequi debeat: quoniam, ut videtur *Hodie*, corpus non magis peccet, quam gladius, quo occiditur homo, sed instrumentum animæ sit solummodo, & proprie loquendo nec doloris, nec lætitiæ capax,) respondet, quod ad resurrectionem hominis requiratur etiam corpus, cum alias non integer in judicio compariturus esset homo, sed tantum pars ipsius aliqua: deinde, quod, sicuti in Adamo, nisi peccasset, mansissemus immorales, quoad corpus & animam; ita in Christo, lapsum reparante, necessario credendum sit, vitam utrique restitui. Denique etiam sufficere putat voluntatem Dei, quæ resurrectionem corporum decreverit, cujusque non semper ratio dari queat. Atque sic credit *Hodius*, nullam doctrinam Christianam apertius in Scriptura tradi, neque per traditiones Patrum clarius doceri, neque generalius receptam esse, quam istam de resurrectiene. Ideoque contradictionem involvere, Christianum fidem profiteri & istam negare, censet. Imo conjungendam esse omnino utramque, & docendam cum *Paulo* apud *Athenienses*, non *aliquam*, sed *hanc* resurrectionem, concludit.

p. 208.

p. 10.

p. 217.

p. 223.

ANTONII MALAGONNELLII FLORENTINI ORATIONES.

Romæ, apud Franc. Buagnum, 1695. in 12. plag. 10.

ORationum hunc fasciculum equidem & Venetiis anno 1694 lucem adspexisse accepimus: sed cum mendis non levibus deformatam editionem istam cerneret doctissimus Emanuel Martinus, pulchro fœtui adspersam maculam delendam modis omnibus, eumque cultiori habitu in conspectum Orbis literati producendum statuit, nova hac & emendatiori adornata. Cui quoque læti ominis causa tertiam præmisit epistolam Joannis Gabrielis Reginerii, qua Romano Pontifici hodierno orationes dictæ non solum inscribuntur, verum & fortunatus idem censetur, quod virtutis suæ præconem Malagonnellium invenerit.

Occupare enim disertissimus Italus *Primam* voluit in dicti

modo Innocentii XII laudibus, cujus magnanimitatem, justiciam, pietatem, munificentiam, & alia virtutum ornamenta admiratur & extollit.
p. 13. Admiratione autem cumprimis dignum censet, quod hæc sua decora per exteras gentes, variosque populorum mores, intacta & illibata servaverit & rarissimam magnis domibus laudem custodiverit innocentiam. In publica enim mundi luce ac aulis Principum, inter ancillantis nequitiæ blandimenta, & feliciora virtutibus scelera degentem, non invidia premi aut premere, non voluptatibus irretiri, non spe, non metu torqueri; sed obniti cupiditatibus, affectibus imminere, prosperam adversamque fortunam ex æquo respicere, non minus arduum ac portentosum Orator existimat, quam cum sanctissimo Regum Davide fauces leonum elisisse, & intra septa crudelitatis stetisse cum Daniele securum. *Secunda* novo de eligendo agit Pontifice, ab obitu Clementis IX, atque testatur inter alia, nihil publicis omnium votis æque expeti, quam ut a Purpuratorum Senatu talis eligatur,
p. 43. in quo si non omnes eæ virtutes eniteant, quas inauguratus imperio Salomon a Deo obtinuit, redivivam saltem munificentiam Urbani IIX, prudentiam Innocentii X, Alexandri VII castam & inconcussam mentem, moderationem denique, pietatem & vigilantiam laudati jam Clementis queant venerari. In *Tertia* personam Legatorum Reipublicæ Marinensis induit Orator, eorumque nomine Christinam Sueciæ Reginam excipit, Flaminæ tum finem ingressam. O-
p. 47. stendere autem cumprimis satagit, præsentia atque subsidio tantæ Principis non indignam videri rerumpublicarum minimam, quod imperii sui angustias & morum innocentia, & simplicitate cultus, quin & legum sanctitate tueatur; nec alii fini suburbanæ vitæ laudes, in quas digressus hic subinde legitur, inserviunt. Oratione *Quarta* in Judam προδότην sic invehitur, ut temeratam osculis fidem, consce-
p. 48. 77. lerata Pontificum concilia, corrupta judicia, nefarios reges; adhæc pollutam auro dignitatem Apostolatus, divinitatem venundatam, & perorante judicum causa exemtos pœna latrones, datamque crucis supplicio innocentiam devoveat simul atque detestetur. *Quinta* Le-
p. 95. gatorum Helvetiæ Catholicæ nomine habita, initio virtutes Clemen-
99. tis IX, imaginem gloriosi principatus adumbrandi causa celebrat; postmodum Helvetiorum decora, & prolixa in Romanam sedem merita extollit. *Sexta* in celebrando Regis Poloniæ facto, Viennam a Tur-

a Turcarum obsidione liberantis versatur. Ubi parum Autori facundissimo fuit, prudentiam summam atque fortitudinem Regis invictissimi dignis laudibus efferre, nisi & Fœderatorum copiis, Saxonicis præsertim, & gloriosissimo eorundem Duci, Domino atque Nutritio nostro, dum viveret, Clementissimo IOH. GEORGIO III dignam laudis adoream tribueret: neque extremas, in quas obsessam urbem hostis barbarus conjecerat, angustias, nec insuperabilem civium constantiam, nec præclari defensoris Ernesti Starenbergii vigilantiam & infractum animum, silentio præterire, sed egregia arte potius & studio non vulgari ornare voluit. Orationum *Septima* Innocentii XI laudationem exhibet, adhibitis eam in rem Cæsarum imaginibus, nec non arcuum pompa triumphalium, aliisque Capitolii signis, ac priscis Urbis, ut vocat, miraculis. *Octava* pro argumento est Panegyricus, Clementi X vivis erepto dictus. Ad cujus quidem gloriam nihil ait fuisse accommodatius, quam rerum habenas eo potissimum tempore moderari, quo bella, fames, terræ motus, & alia adversorum genera nasci non alio fine visa sint, quam ut virtuti cederent imperantis. *Nona* eaque postrema (si ordinem, nullatenus si artem species) Reginæ Christianæ fatis functæ encomium complectitur, & quantum in amissa ea damnum conditio pauperum, præsertim vero artium ac literarum studia senserint, facundissimus & styli cumprimis sublimitate cuivis antiquorum comparandus Orator noster splendide exponit.

p. 109. seq.
122.
p. 114. 116.
p. 141. seq.
p. 151.
p. 155.
p. 169.
p. 171.
p. 172. seq.

EPISTOLA DN. BUISSIERE, ANATOMICI AC CHIRURGI Gallici, de Ovo in Tuba Fallopiana cadaveris fœmini indissecti reperto.

EXHIBITA GALLICO IDIOMATE IN ACTIS PHIlosophicis Anglicanis mense Januario a. 1694; nec non in Diario Eruditorum Parisiensi d. 12 Sept 1695.

In Latinum nunc sermonem in gratiam Philiatrorum traslata.

Mitto Tibi, Domine, Descriptionem Tubarum in matrice fœminei corporis a me non ita pridem dissecti deprehensarum. Fœmina erat juvenis 25 vel 26 annorum, quæ non multo ante partum fuerat enixa; id quod cognoscere mihi licuit, 1. ex cicatricibus infimi

ventris

ventris adhuc recentibus; 2. ex disruptione furcillæ, cujus cicatrix admodum erat nova; 3. ex magnitudine matricis; denique ex apertura ovarii in latere sinistro, ex qua ovum, quod inservierat priori infanti, exiverat, quæ adhuc dum lata valde erat, & cujus extrema paululum adhuc disrupta videbantur. Ea, tametsi non longo ante tempore peperisset, denuo seu ex libidine, seu quod speraret, mortem sibi, ubi gravida facta esset, illatum non iri, cum amico quodam, aut forte aliquo ex captivis aliis congressa est, ita ut conceperit. Verum mortis supplicium ante ea subiit, quam ovum a semine virili imprægnatum deferri potuit in uterum. Eum vero dum incisione facta aperriissem, deprehendi tubam dextri lateris versus extremitatem suam præter solitum distensam, eaque distensio in maxima latitudine complectebatur paulo plus quam pollicem unum in diametro, & paulo ultra sequi pollicem extendebatur, versus matricem paulatim diminuta. Ea pars hunc in modum dilatata se incurvabat, totumque fere amplexabatur ovarium, cujus membranæ tam firmiter adhærebat, ut ab ea non nisi vi divelli posset. Divulsa vero liquorem præbuit limpidum & pinguem, qui probabiliter isti fuit usui, ut vel membranas tubæ relaxaret, quo distenderetur commodius spatiumque ovulo concederet in matricem delabendi, vel forte ut ductum illum, ad parandum ovulo quam facillimum transitum lubricaret, vel etiam ut præstaret utrumque. Et illico quidem inquisivi, num quid dignosci in corpore tubæ posset, a quo liquor ille produci potuisset: sed nihil tale in ea deprehendi, licet multo crassior esset solito. Crassitudo illa provenerat ex fibrarum illius intumescentia, quæ non minus carnosæ erant, quam fibræ musculorum consuetæ: id quod sine dubio hoc solum fiatu accidit, ut satis illi virium motusque supetat ad exprimendum ovulum (postquam ab ovario separatum est,) inque matricem propellendum. Ego itaque sic judico, quod liquor iste in tuba contentus ex ovario proveniat, quodque ex fibris parvisque vasis lymphaticis aliisque, quæ ad transitum ovo imprægnato aperiendum rumpuntur, liquor ille defluat, adeo ut licet laceratio ovarî vulnus sit ac symptoma, utilitatem tamen præbeat, effectusque absolute fortean necessarios producat, seu ad primam ovi nutritionem, seu ad faciliorem reddendum ejus in matricem transitum: ita enim Natura novit cuncta ad salutarem usum dirigere. Confirmatur sententia

tia mea ex eo, quod in fœmellis brutorum animantium, ex quarum ovario plura ovula simul prodeunt, maxima illic liquoris illius copia deprehendatur. Obtigit postea mihi ea felicitas, ut parem, ac in fœmina hac, dispositionem in scropha deprehenderem, cujus tubarum ex utroque latere ovarium complectentium quæque tres circiter aut quatuor liquoris ejusmodi uncias continebat. Tuba tandem ab ovario separata, liquoreque delapso, ovum aperte conspectui nostro fuit oblatum. Æquabat illud magnitudine avellanam, liquore in media tubæ cavitate dilatata involutum. Tres ovuli quadrantes jam extra ovarium per factum illic foramen prodierant, ut illi non amplius videretur adnexum. Nihilominus, cum auferre illud niterer, adhærere adhuc illi deprehendi per petiolum quendam (un pedicule) satis durum, per quem transibant vasa sanguinea, intra ovulum & super illo dispergenda. Per illa vasa fœtus materiam incrementi & nutrimenti sui recipit, non in ovario solum, sed in matrice, cum petiolus ille formandæ placentæ inservire debeat (nisi placenta ipsa est, in ovario jam formata) matricis corpori adhærendo. Atque hinc intelligi etiam debet, quod spiritus seminalis maris deferatur ad corpus fœtus in ovulo, ad motum illi ac fœcunditatem præstandam. In matrice nulla adhuc sensibilis mutatio deprehendebatur, nisi quod mucosi plusculum contineret; id quod naturæ satis est conveniens. Tuba sinistri lateris in statu suo naturali erat constituta, quemadmodum & ovarium, excepta apertura, per quam ovum prioris infantis exierat. Mitto figuram matricis tum fœminæ, tum scrophæ. Sciendum vero, quod scrophæ quidem matrix multo minor exhibita sit, quam revera est, fœminæ vero in justa ejus magnitudine.

Fig. I. Matricem Fœminæ repræsentans. **TAB. I.**

aa Corpus matricis.
bb Tuba dilatata, amplectens ovarium d.
c Ovum impregnatum tubæ inclusum.
E Ovarium sinistrum.
F Foramen per quod prioris infantis ovum exierat.
g Tuba sinistra.
h. Arteria hypogastrica.
H. Ligamenta rotunda.

K. Ovum ab ovario separatum
L. Petiolus, quo adnexum fuit ovario ovum.

Fig. II. Matricem scrophæ sistens.

aa. Vagina.
b. Vulva.
c. Vesica.
dddd. Cornua matricis.
EE. Tubæ Fallopianæ.
FF. Extremitas tubarum dilatatarum, ovaria amplectentium & liquore plenarum.
G. Appendix tubarum.
HH. Arteriæ uteri.
iiii. Ova ut ex ovario egrediuntur.
kk. Una ex tubis a parte ovarii separata.

WINTER-EVENING CONFERENCE, BETWEEN NEIGHBOURS.

Id est:

COLLOQUIA BRUMALIA VESPERTINA INTER VICInos instituta: Auctore JOH. GOODMAN S. TH. D.

Londini apud Lucam Meredith, 1694. in 8. Plag. 28.

Elegantia libelli hujus facile persuasit nobis, ut ejus in Actis Eruditorum mentionem aliquam faceremus, tametsi novitatis gratiam dudum exuisset, sexies jam in Anglia typis excusus, quarum tamen editionum toties repetitarum non nisi ultima ad nos pervenit. Amici duo Sebastianus & Philander colloquio primo de optima temporis impendendi ratione disserunt, ludisque & compotationibus improbatis, tum studium litterarum, tum de rebus sacris sermocinitiones commendant. In Colloquio secundo iidem tertium quendam Biophilum, hominem scepticum, admittunt, & ad rectiorem de extremo judicio ac vita æterna sensum præparant. In tertio eoque ultimo curatius de existentia Numinis, vita æterna, creatione mundi, aliisque contra Atheos dissleritur, non comtis solum verbis, sed argumentis etiam quam maxime solidis.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. II.

S. HILARII PICTAVORUM EPISCOPI OPERA AD MANUscriptos codices Gallicanos, Romanos, Belgicos, nec non ad veteres editiones castigata, aliquot aucta opusculis, præviis in locos difficiles disputationibus, præfationibus, admonitionibus, notis, S Confessoris vita & copiosissimis indicibus locupletata & illustrata, studio & labore MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI.

Parisiis excudebat Franciscus Muguet, A.C. 1693, in fol.
Constant Alphab. 11. plag. 6.

Hilarii Pictaviensis Episcopi libros de Trinitate, ad Constantium, contra Constantium, contra Auxentium & de synodis *Georgius Cribellius* Presbyter, ejusdem in Psalmos aliquot commentarium *Johannes Solidus Cracovius* hortante Jacobo Fabro Stapulensi e tenebris eruit. His Hilarii scriptis commentarium in Matthæi evangelium, & epistolam ad Apram *Jodocus Badius Ascensius* adjunxit, cum A. 1510. Parisiis Hilarii opera ederentur. Postea *Desiderius Erasmus* Roterodamus Hilarii opera, addita prolixa præfatione, quæ & Romanam & Parisiensium Theologorum censuram incurrit, Basileæ A. 1523. ex Frobenii officina in lucem publicam emisit, ex qua iterum A. C 1535. Hilarii opera prodierunt, adjecto tractatu de Patris & Filii unitate, quem tamen non ab Hilario scriptum, sed a studioso quodam ex Hilarii libris de Trinitate, attexta alterius cujusdam scriptoris lacinia, consutum ipsi editionis illius curatores agnoverunt. Alia quædam Hilario supposita opuscula, nempe tractatus de essentia Patris & Fi-

& Filii, duæ ad Augustinum epistolæ, & carmen, quod Genesis inscribitur, in editione Parisiensi A. C. 1544. *Ludovici Hiræi* studio accurata accesserunt. Hanc Parisiensem editionem novæ Basileenses exceperunt. Nam A. C. 1550. Hilarii lucubrationes *Martini Lypsii* studio ad plura exemplaria collatæ & recognitæ prodierunt, quibus A. C. 1570. *Johannes Jacobus Grynæus* vitam Hilarii a se compositam præmisit. Verum *Johannes Gillotius*, qui A. C. 1572. novam Hilarii operum editionem accuravit, huic vitæ Hilarii per Grynæum elaboratæ suam ipsius de vita & scriptis Hilarii lucubrationem substituit, cui etiam vitam Hilarii ex Hieronymo & Gregorio Turonensi, nec non duos Fortunati libros de vita Hilarii adjecit. Nostro seculo Parisiis A. C. 1605. Hilarii opera, & fragmentis Hilarii, quæ A. C. 1598 ex bibliotheca Petri Pithœi *Nicolaus Faber* seorsim ediderat, & tractatibus in psalmos 13, 14, 149. & 150. locupletata, lucem publicam adspexerunt; quæ editio & Coloniæ recusa, & Parisiis A. C. 1631 & 1652. iterata fuit.

Novissimam operum Hilarii editionem, quæ nobis nunc recensenda est, doctissimis Monachis Ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri debemus. In ea primum locum *commentarii* in quosdam *Psalmos* occupant, etsi eos postremis vitæ annis a sanctissimo Præsule scriptos existiment. Accedit autem in hac editione nunc primum tractatus de titulo psalmi 9. item tractatus de titulo psalmi 91. Præterea tractatum in psalmum 13. qui in antiquioribus editionibus plane omissus, in reliquis mutilatus est, Benedictini nunc integrum ediderunt. De commentariis in psalmos 126, 127, 128, 129. & 130. observant, quod, etsi a *Raphaele Bagata* Zenoni Veronensi asserantur, & inter ejus opera legantur, stylus tamen magis ad Hilarium accedat; ut alia argumenta, quibus Hilario commentarios illos vindicant, taceamus. His in psalmos commentariis proxime adjungunt *commentarium* in *evangelium Matthæi* in 33. canones seu titulos & capita divisum, in quo adhuc Hilarii præfatio desideratur, cujus Cassianus & Alcuinus meminerunt. Post exegetica Hilarii scripta sequuntur *libri 12. de Trinitate*, qui in nonnullis codicibus de fide contra Arianos, de fide S. Trinitatis, & de fide contra omnes hæreses inscribuntur, & variis quidem hæreticis, inprimis tamen Arianis opponuntur, etsi semel tantum Ariomanitarum, & bis Arii mentio in hoc commentario occurrat. Quod autem

autem Hilarius non plures quam duodecim libros de Trinitate scripserit, Benedictini tam ex ipso Hilario, quam ex Hieronymo confirmant, qui in epistola 84 Hilarium & stylo & 12 libris Quintiliani imitationem affectasse tradit. Unde minime dubitandum censent, quin Cassiodorus, qui in institutionibus suis divinis 13 libros Hilarii de Trinitate numerat, librum de synodis annumeraverit. Libros de Trinitate ille ipse, cujus mentionem fecimus, *liber de synodis* excipit, cui Benedictini ejusdem Hilarii *responsa* adversus hujus libri reprehensores *apologetica* hactenus nondum edita subjungunt, in quibus ille fidei suæ rationem reddere voluit, cum se ob librum de synodis male audire a Lucifero, forte Calaritano, monitus fuisset. Proximum ab his responsis locum tenent *epistola ad Abram sive Apram* filiam, quam Benedictini, secus ac Erasmo, Gillotio ac aliis visum fuit, pro genuina vendicant; *hymnus matutinus* eidem Apræ transmissus; *liber 1 ad Constantium, liber 2. ad Constantium*, & *liber contra Constantium*, in quo cum Hilarius contra leges reverentiæ summis Magistratibus debitæ egisse videatur, Benedictini asperiorum verborum causam non tam exilii impatientiæ, aut austeriori mentis indoli, quam temporum necessitati tribuendam censent, cum lupum ovinis pellibus indutum detegere opus fuerit. Ultimum inter Hilarii opera locum in hac editione tenent *liber contra Auxentium*, *fragmenta ex opere historico* a Fabro primum edita & nunc alio ordine digesta, & denique *fragmenta ex aliis Hilarii operibus* in veteribus monumentis relicta. In appendice operum Hilarii legitur *metrum in Genesin, tractatus de Patris & Filii unitate*, *de essentia Patris & Filii*, & *fides Alcuini*, quæ olim a *Leunclavio* cum aliis quibusdam aliorum opusculis sub Hilarii Pictaviensis nomine Græce & Latine edita fuerat. His adduntur *Nicolai Fabri prolixa in Hilarii fragmenta præfatio*, syllabus manuscriptorum nec non editorum codicum, ad quos Hilarii opera in hac editione exacta & emendata sunt, & index locorum Scripturæ apud Hilarium occurrentium, quem duo alii indices, unus rerum & sententiarum, alter glossarum, quibus Hilarius utitur, sequuntur.

Singulis Hilarii scriptis & admonitiones suas præmiserunt, & uberrimas notas doctissimi editores adjecerunt. Neque hic tacenda, quæ statim in limine post epistolam dedicatoriam ponitur, generalis

 ad

ad opera Hilarii præfatio, in qua primum de variis operum Hilarii editionibus, deinde de codicibus manuſcriptis diſſerunt, quorum antiquiſſimus eſt Vaticanus, quem *Mabillon* in opere de arte diplomatica p. 355, ubi ſpecimen illius codicis exhibet, ipſo, quo Hilarius vixit, aut proxime ſequenti ſeculo ſcriptum conjicit. In eadem generali præfatione deperdita Hilarii opera recenſent, & inter alia de hymnis ejus agentes obſervant, quod in manuſcripta quadam Abbonis Floriacenſis epiſtola euchariſticus, qui vulgo Ambroſio & Auguſtino tribui ſolet, Hilario adſcribatur. Poſtea de obſcuritate Hilarii & cauſis illius obſcuritatis verba faciunt, & imprimis circa ejus doctrinam occupantur, quid de Chriſti conceptione & paſſione, quid de ejus exaltatione & gloria, quid de regno Dei & Chriſti, de ſupremo judicio, de igne judicii, de gratia & aliis quibusdam fidei capitibus ſenſerit, eum in finem inquirunt, ut eum ab erroribus, quorum paſſim reus agitur, abſolvant, & vere ab Hieronymo in epiſtola 7 ſcriptum probent, quod inoffenſo pede ſcripta Hilarii decurrant. Obſervant igitur, *Johannem Præpoſitum* in literis ad Philippum Bonæ Spei Hilario quidem imputaſſe, quod non ſolum Chriſtum ex matris ſubſtantia natum negaverit, ſed etiam Chriſtum ex Spiritus S. ſubſtantia carnem ſuam aſſumſiſſe affirmaverit, eundemque errorem Hilario etiam ab Eraſmo, Sculteto & aliis impingi; verum Hilarium claris & perſpicuis verbis ſæpius in ſuis operibus docere, quod Chriſtus carnem ſuam ex matris ſuæ ſubſtantia acceperit, & loca, quæ pro contraria ſententia allegari ſolent, nihil aliud innuere, quam quod Maria non virtute quadam naturali, ſed divini Spiritus operatione fœtum conceperit. Quem ſenſum etiam admittunt verba Hilarii de Chriſto dicentis, *habitum hominis, originem non hominis fuiſſe.* Cæterum miramur, Benedictinos in Hilarii lectione verſatiſſimos, cum hæc Hilarii verba a *Sculteto* in Medulla Patrum ex 10 libro de Trinitate allegata inveniſſent, ea in toto libro fruſtra quæſiviſſe, nec invenire potuiſſe, ideoque Scultetum malæ in referendis Patrum verbis fidei & cujusdam ad labefactandam fidei illorum famam propenſionis arguere. Nam ſi paginam 1066 editionis ſuæ perluſtrare velint, in linea 37 Hilarii ſententiam a Sculteto allegatam totidem verbis expreſſam invenient, adeoque Scultetum Hilario injuriam non feciſſe deprehendent. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Nunc

Nunc ad alia pergamus. Accusat Erasmus in præfatione sua Hilarium, quod libro 8 de Trinitate homines cum Deo Patre & Filio unum esse natura, non adoptione aut consensu asseruerit. Hinc Benedictinis occasio nata explicandi, qua ratione Hilarius homines cum Christo, & mediante Christo cum Patre unum esse docuerit. Quod dum faciunt, simul de eucharistia, per quam singulari modo homines cum Christo uniuntur, qualis Hilarii sententia fuerit, exponunt. Cum autem vix ullus error Hilario frequentius objici soleat, quam quod Christum dolori, metui, tristitiæ aliisque hujuscemodi passionibus obnoxium negaverit, pro qua sententia imprimis liber 10 de Trinitate allegari solet, tantum abest, ut Benedictini controversiam hanc intactam reliquerint, ut potius Hilarium ab illo errore liberum fuisse multis rationibus ostendant. Animadvertunt primum omnium fuisse *Claudianum Mamertum*, qui Hilarium hujus erroris arguit; sed illi reliquos omnes veteris ecclesiæ Doctores vel Hilario coævos vel proximis seculis claros opponi posse, qui orthodoxam Hilarii fidem commendarint, quod facturi non fuissent, si in ejus scriptis tantum errorem deprehendere potuissent. Observant *Berengarium*, qui primus post Claudianum Mamertum Hilario illum errorem tribuit, statim a *Lanfranco* fuisse confutatum, *Johanni* vero *Præposito* Mamerti & Berengarii vestigiis insistenti *Philippum Bonæ Spei* & *Hunaldum* obstitisse. Urgent etiam Aphthartodocetis in mentem nunquam venisse, ut errorem suum Hilarii consensu tuerentur. Notant Hilarium quidem differentiam inter Christi infirmitates & nostras quadruplicem agnovisse, quatenus docuit, infirmitates Christi voluntarias fuisse, cum nostræ coactæ sint; Christum pro nobis doluisse, cum merito nos nostro affligamur; Christum suarum passionum dominum fuisse, cum nostræ nobis dominentur; & Christi infirmitates divinitatem ejus non tetigisse, cum nihil sit in nobis, quod infirmitatibus non sit subjectum: nequaquam autem ex Hilario probari posse, quod carni Christi dolorem aliasque passiones simpliciter denegaverit; imo potius Hilarium non solum in aliis operibus, sed etiam in libris de Trinitate, & in ipso quoque libro decimo, unde accusatores ejus argumenta sua potissimum depromant, multa huic errori contraria docere, nec solum Christo famem, dolorem, tristitiam, fletum aliaque hujuscemodi tribuere, sed etiam in caussas illarum passionum inquirere. Unde colligunt, Hilarium in illis locis, in quibus Christum doloris ex-

tem facere videtur, contra Theopaschitas disputare. Confirmant hanc sententiam ex eo, quod Hilarius lib. 1, c. 32. declaret, se libro decimo contra hæreticos acturum, qui divinæ naturæ immemores ad impietatis suæ argumenta dispensationis gesta tenuerint, & quod sub initium libri 11 dicat, se superiore seu decimo libro contra hæreticos militasse, qui dispensationem assumti corporis ad divinitatis contumeliam rapuerint, & ex salutis nostræ sacramento impietatis suæ causas quæsiverint, dum nempe ex doloribus assumtæ carnis Dei assumentis infirmitatem adstruxerint. Accusatur præterea a nonnullis Hilarius, quod Verbum a Christo moriente secessisse statuerint. Respondent autem Benedictini, verba Hilarii sic explicari posse, quod divinitas se a carne separaverit, non unionem solvendo, sed protectionem subtrahendo, vel quod caro recedentis divinitatis dissidium contestata fuerit, quatenus nullum præsentiæ suæ signum ediderit. Interim haud inficiantur, Patres nonnullos Verbi a Christo moriente separationem docuisse, quos tamen ab hæreticis multum discrepasse observant, cum hæretici divinitatem quasi infirmam ac trepidam a Christo secessisse statuerint, ut passionem & mortem evitaret, Patres autem docuerint, quod Christus mortem subire non potuisset, nisi divinitatis virtus ab eo recessisset. Addunt, Patres secessionem illam in morte factam statuisse, hæreticos ante mortem, & Patres Verbi conjunctionem cum anima illæsam tradidisse, hæreticos autem totum hominem a divinitate desertum contendisse. A passione Christi ad ejus gloriam progrediuntur, & animadvertunt, videri quidem in nonnullis locis Hilarium Apellis errorem fovisse, vel Eutychianæ hæreseos semina jecisse, & docuisse, quod humana Christi natura in divinam transiverit, & genus mutarit, & hinc una Dei & assumti hominis natura evaserit; verum ex aliis locis manifestum esse, quod carnis gloriam illæsa ejus veritate prædicaverit. Qua occasione etiam explicant, quid Hilarius de nostrorum corporum post resurrectionem gloria senserit. Circa Hilarii sententiam de regno Christi & Patris triplex instituitur quæstio, quomodo nempe Hilarius regnum Christi a regno Dei distinguat? an Millenariorum aliorumque illis affinium errori faveat? & postremo, qua in re cum Dei tum Christi regna sita esse velit? Quæ quæstiones a Benedictinis ita resolvuntur, ut Hilarius a Millenariorum errore, minime vero a recepta fide de sanctorum hinc migrantium beatitudine alienus pronuncietur. Ad

locum

locum de novissimo judicio accedentes notant, non ita pridem virum quendam celeberrimum, quo nomine, nisi fallimur, *Dupinium* designant, scripsisse, quod non ferendus sit Hilarii de extremo judicio error, & cum vir ille celeberrimus, in quo situs sit error ille minime tolerandus, non explicaverit, in Hilarii sententiam inquirunt, quam talem fuisse censent, ut distinxerit justos, qui statim beatitudine donentur; impios, quos vita emigrantes infernus excipiat; & inter utrumque genus medios, sortisque suæ usque ad diem judicii incertos, & aliquando cum quæstione & examine judicandos, cum reliqui tribunali Christi eum tantum in finem affuturi sint, ut iis a supremo Judice vel beatitudo, vel pœnæ retributio confirmetur. A judicio ad ignem judicii transeuntes observant, quod Hilarius docuerit, ignem judicii omnibus subeundum, & ne sanctissimam quidem Dei matrem immunem futuram; neque tamen adversus gloriam ac sanctitatem purissimæ Dei genitricis quicquam inde confici posse arbitrantur, cum Hilarius non obscure significet, se sacræ Scripturæ autoritate coactum B. Virginem in judicii severitatem non minus ac alios homines venturam tradidisse. In ultimo præfationis hujus generalis capite negant contra Claudianum Mamertum, quod Hilarius nihil creatum incorporeum statuerit, & iterum *Dupinium* suppresso ejus nomine reprehendunt, quod rerum spiritualium notitiam Hilario minus claram fu sse scripserit. Dissentiunt etiam a *Cotelerio*, qui in notis ad constitutiones Apostolicas Hilarium libr. 2 de Trinitate inter Angelorum ordines secula numerasse scribit. Tandem etiam quæ Hilarii de gratia opinio fuerit, ea ratione ostendere laborent, ne Hilarius viribus liberi arbitrii & bonorum operum meritis contradixisse videatur. Hæc de Hilarii doctrina ipsis prælibare libuit; plura passim in notis tangunt, quas singulatim recensere brevitatis studio prohibemur. Nunc igitur hoc tantum addimus, quod Benedictini præfationi suæ generali vitam Hilarii, quam ipsi ex Hilarii scriptis & aliis veterum monumentis concinnarunt, nec non *Fortunati* libros de vita Hilarii, *Damiani* sermonem de translatione reliquiarum Hilarii, & selecta veterum de Hilario testimonia subjungant.

MAGNETISMUS MAGNUS.
Or,
METAPHYSICAL AND DIVINE CONTEMPLATIONS on the Magnet,

b, e.

h. e.

Magnetismus magnus, sive Contemplationes Metaphysicæ & Divinæ e consideratione magnetis subnatæ, auctore MATTHÆO HALE, Equite, olimque supremi tribunalis Regii Præside.

Londini apud Gul. Schrovvsbury, anno 1695. plag. 11½ in 8.

POsthumum hocce summi Viri opusculum Lectorum nostrorum oculis dum sistimus, tantum abest, ut hederam ei a nobis suspendendam esse existimemus, ut potius vel solum Autoris nomen omnes exquisitæ commendationis partes abunde arbitremur implere. Ille enim ingenio, dum viveret, nemini, eruditione nonnisi paucissimis secundus, summa prudentia, admiranda in rebus gerendis dexteritate atque justitia, probitate incomparabili, cæterisque virtutibus suis meruit, ut mediocri loco natus, ad summos non tantum honores eveheretur, sed post fata quoque, quæ ante tria hæc lustra universa Anglia luxit, *studiorum indefessus amator, summus prudentiæ mysta, philosophus acutissimus, justitiæ maximus sacerdos, imo columna justitiæ, peculiare serenissimi heri sui decus, honos Angliæ* denique audiverit. Quæ ipsa & alia multo majora elogia dissentientes quoque in Anglia partes certatim in eum congesserunt: uti si alia testimonia non suppeterent, abunde vel solus Rever. Salisburiensis Episcopus (Gilb. Burnet,) qui vitam ejus; maximusque Presbyterianæ factionis patronus, Rich. Baxterus, qui observationes, monumentaque aliqua ad vitam ejus spectantia evulgavit, edocere nos possent. Quorum laudes, quibus virum huncce celebrarunt, sane summas, meritis tamen ejus non esse majores, ipse fateri cogitur, qui nimius in hominum laudibus non facile solet esse, Antonius Wood, in cujus Athenis Oxoniensibus alia quamplurima, quibus seculum nostrum beavit, scripta, ut & brevem vitæ ejus summam, quibus curæ talia sunt, reperire poterunt.

Inter illa quamplurima sunt, quæ profundissimæ philosophiæ atque Theologiæ non minus peritum, quam legum humanarum, patriæ imprimis Reipublicæ, fuit, eum extitisse, clarissimæ evincunt. E quibus si vel solum de origine generis humani, cedro sane dignum opus, in quo impia Atheorum de ea somnia, non minore argumentorum pondere, quam ingenii elegantia, solidissime contudit, appellaremus,

mus, jam fidei affatim nostro de eo judicio esset præstructum. Verum & lucem adspexerunt plurima non minoris pretii alia, & inter schedas ejus post fata fuerunt inventa. Inter posteriora tria de *Magnete* comparuere opuscula: quorum primo *Magnetismi Magnetici* nomine ab eo inscripto, de ipso Magnete ejusque natura egit. In altero, cui *Magnetismi Physici* titulum dedit, magneticas virtutes in aliis corporibus naturalibus sibi observatas exposuit. In tertio denique, quod *Magnetismum Magnum* appellavit, quid tractaverit, nunc paulo fusius edocebimus: illud ipsum enim est, in quo recensendo noster nunc quidem labor versabitur.

Ut autem paucissimis scopum illustris Auctoris complectamur, nullus alius ille est, quam, cum omnes creaturæ characteres habeant impressos indelebiles, ad summi alicujus Entis cognitionem deducentes, quid magnetis natura in se habeat huc faciens, solide demonstrare. Ad Deum itaque, ejusque cognitionem, magnetem nos deducere, primo ostendit, si causarum, quæ virtutes ejus efficiunt, seriem propius contemplemur. Quod acus nimirum magnetica polo sese obvertat, cum contra aliæ, quæ magneti affrictæ non sunt, quemcunque primum nactæ fuerint situm retineant, id a magnete eam habere, apud omnes constat. Magneti eandem virtutem a terra obtigisse, quæ similem versus polos sentit inclinationem, nemini quoque ignotum est. Verum unde terræ vasta moles hancce proprietatem nacta fuerit, de eo potissimum est dispiciendum. Sane a modificatione materiæ ejus procedere hanc virtutem non posse ostendit, cum virtus & potentia ad materiam, motu omni per se destitutam, non spectent; motus vero, particulis ejus impressus, varius atque instabilis semper esse soleat. Aut a seipsa itaque simpliciter terram habere hancce virtutem, aut ab ente aliquo potente atque agente eam accepisse concludit. Prius ex istis absonum plane esse, atque a sana ratione alienum, aliquot argumentis evincit. Posterius itaque amplectitur: cumque a causa aliqua efficiente, quæ extra eum sit, mundum ista virtute instructum esse, hac ratione constet; causam istam & intellectu & summa potentia instructam esse oportere demonstrat. Intellectu quidem, quod ad certos fines virtutem istam terræ a se insitam ordinaverit; potentia vero summa, quod omnino non mediocris roboris sit, talem aliquam vastissimo isti corpo-

c. I.

c. II.

p. 8.

p. 9.

p. 10.

p. 11.

C. III. p. 17. re inſpirare virtutem. Aſt cum hac ratione e reductione virtutis magneti eſſentialis ad primam ejus cauſam, exiſtentiam ſupremi Entis demonſtraſſet; jam porro conſiderat, quid ex virtute iſta ſive forma atque potentia in ſe ipſa ſpectata de ſummi perfectiſſimique Entis exiſtentia concludi queat, quam pariter ac alias formas internas, quibus corpora moventur, ita comparatam eſſe oſtendit, ut ab alio, quam
c. IV. a Deo, proficiſci non poſſit. Formas porro hujusmodi, & inprimis magneticas, tum majoris magnetis, h. e. globi terraquei, tum minoris, ita ad fines ſuos ordinatos eſſe docet, ut non poſſit non inde aliquis,
c. V. VI. haud plane ſtupidus, Dei exiſtentiam colligere. Imo ſapientiam quoque & potentiam Dei ex lapide hoc non minus, quam ex aliis innumeris rebus clariſſime elucere, varie atque ingenioſe oſtendit. Hisce autem tanquam generalioribus præmiſſis, jam denique doctiſſimus Autor divina quædam myſteria ſymbolis a magnete petitis illuſtrare aggredi-
c. VII. tur. Cumque Symbolicam hujus Theologiam incommodis ſuis non carere, autorum quorundam, qui uſi ea ſunt, Paracelſi v. g. & Böhmii vitio, probe ſciat: cauſas, quæ in præcipitia hujusmodi eos ſeduxerint, cum cura explicat, ſibique ipſi limites ſolicite circumponit, ne ſimili vertigine ipſe quoque corripiatur. Scopumque adeo ſuum non eſſe ait oſtendere, quod divina myſteria ad motuum magneticorum menſuram ſint exigenda: verum exempla ſolum a magneticis operationibus mutuo ſe quaſi accepturum eſſe dicit, terminosque in doctrina magnetica obvios, quales ſunt *attractio*, *converſio*, *averſio*, *poſitio*, *directio*, *motio*, *quies*, & alii, quibus lux illis inferri queat. Et quamvis in ea opinione neutiquam ſeſe eſſe dicat, quod ſancti Scriptores ullo habito ad magnetis naturam & operationes reſpectu locuti fuerint: nihilominus tamen loquendi modos ab iis adhibitos analogiam ſatis accuratam cum magnetica philoſophia ſervare putat, atque hujus rei aliquot exempla ex Jerem. XXXI, 18. Pſal. LXIII, 2. 2. Cant. I, 4. Jo. XII, 32 Pſal. LXXIIX, 37. Pſal. XXV, 15. CXLI, 8. adducit. Quod adeo ipſum excuſando inſtituto ſuo ſuffecturum apud æquos harum rerum judices eſſe, non dubitat.

c. VIII. Animæ itaque, modo quodam peculiari a Deo quaſi efflatæ, ſtatum maxime naturalem atque felicem eſſe ait, ſi ei ſoli obvertatur, ſi ad eum inclinatio, cuspis & apex ejus dirigatur. Ab eo itaque ſi ad crea-

creaturas declinet, in hac ipsa vita quiete destitutam, & miseram esse, nulloque fluxorum horum bonorum, ad quæ convertitur, sisti posse atque pacari, ab uno ad aliud desultantem, ostendit. In altera vero vita, in qua voluptates, commoda atque honores præsentis ævi nihil prorsus valeant, utpote, quæ virtutem suam ultra hujus vitæ meridianum non extendant, animam illis solummodo assuetam, mutata inclinatione sua, nihil plane offendere ait, in quo vel umbram quietis inveniat. Ut adeo si alia inferni tormenta expectanda non essent, hoc ipsum instar omnium futurum sit, quod misere adeo sese deceptam deprehendet. Ast unde inquis ista inclinationis animæ mutatio? Ejus hanc illustris Autor rationem reddit: duo nimirum inesse dicit animæ humanæ corpori unitæ principia, *facultatem* scilicet *intellectualem*, seu rationalem, quæ esse jure debebat τὸ ἡγεμονικὸν, secreta quadam inclinatione ad Deum sese convertentem: *partemque sensualem* fluxa hujus mundi bona natura sua respicientem. Ab hac itaque si superari gubernariq; sese patiatur illa, mutatur genuina animæ inclinatio, præcipue si ista hujus superioritas usu & consuetudine confirmetur. Sic enim tandem ipsa quoque intellectualis facultas sensualis adeo evadit, ut innati quoque naturalis religionis characteres mirum in modum in ea denique obscurentur. Præter hanc alias adhuc tres mutationis hujus causas adducit. Primam, debitæ attentionis ad characteres illos religionis naturalis innatos absentiam: alteram, appetitus sensitivi ad bona præsentia inclinationem: tertiam denique subtiles Satanæ tentationes. Contra tamen tria quoque esse observat, quæ homini in servanda naturali sua ad Deum conversione subveniant: primum, propensionem atque inclinationem, ipsi animæ humanæ texturæ quasi a natura implantatam, atque insertam, qua ad supremi alicujus entis venerationem compellatur: secundo, oculum animæ intellectualem, cui objecta Dei bonitas faciat occurrere, quæ ad Deum animam pertrahant atque inclinent, imo in hujusmodi positu Deo obverso etiam conservent: tertio denique, secretum aliquem dulcissimumque Spiritus divini influxum, qui solicitet animam, moveat atque inclinet, ut amore obedientiaque Deum prosequatur. Tria hæcce media positum animæ & obversionem ad Deum efficientia, vel potius conservantia, fusius in sequentibus explicat, & naturalem quidem illam propensionem, cujus primo loco meminit, tum inde esse ait, quod

(margin: c. IX. beside "dum in ea denique obscurentur. Præter hanc alias adhuc tres muta-"; c. X. beside last line)

uti

uti aliæ res omnes ad causas suas, & magnes quoq; ad terram, cui originem debet, ita anima quoq; secundum naturæ leges ad Deum, qui causa ejus existit, convertatur: tum inde, quod simile sui res omnes appetant, animaque adeo ad Deum, cujus imaginem gerit, merito sese inclinet; c. XI. tum inde deniq;, quod illo potissimum res omnes respicere soleant, unde protectionem conservationemq; suam pendere norunt. Oculum porro intellectualem gemino objectorum genere ad Deum nos pertrahere docet, tum iis nimirum, quæ in volumine operum *providentiæ*, tum iis, quæ in *revelationis* divinæ volumine continentur. Opera *pro-* c. XII. *videntiæ* divinæ varia, tanquam aptissima *attractiva* ad varias *humanæ animæ ansulas* referri dicit, ut eam adeo ad Deum non possint non inclinare. *Ansulas* hujusmodi animæ tres præcipuas ejus esse affectiones, *amorem* nimirum *gratitudinem* & *fiduciam in Deum*. *Ad amorem* referri eumque apprehendere quasi, excellentiam & pulchritudinem hujus universi; beneficentiamque & bonitatem Dei, amoris divini, reciprocum amorem (siquidem *magnes amoris amor est*,) elicientis, tum in omnes creaturas suas, tum in animam præprimis argumenta. Alteram ansulam, *gratitudinem*, quod attinet, adeo humano generi naturalem, ut pro hoste ejus apud omnes reputetur ingratus, in eo illam consistere ait, ut 1) secreto aliquo nexu benefactori anima jungatur; 2) ut serio omnibus amoris officiis beneficio accepto respondere cupiat. Et hanc quoque bonitate divina, qua creaturis & homini præsertim sese communicat, excitari docet. *Fiducia* denique in extremis necessitatibus, & quibus nullum par sit creaturarum auxilium, ad c. XIII. Deum nos pertrahi ostendit. Verum cum ista oculi intellectualis objecta, ob varias, quas clarissime indicat, rationes haudquaquam sufficiant, ut anima in sua ad Deum obversione conservetur, alia adhuc, quæ id efficere queant, in *revelationis* volumine animæ repræsentare Deo placuit: omnia nimirum illa, quæ ad salutem religionemque nostram pertinent. Hæc itaque aptissima media ad id obtinendum esse ostendit, eaque occasione & præceptorum evangelicorum egregiam sapientiam, & religionis Christianæ veritatem aliquot argumentis e- c. XIV vincit: quin & quam sanæ rationi illa sit conveniens, latius deinde deducit. Quibus factis ad tertium denique medium, quo anima in c. XV. debito suo ad Deum positu conservatur, pergit, secretum nimirum Spiritus Sancti influxum, quod supernaturale appellat, cum reli-

quorum

quorum naturale alterum, alterum rationale appellasset. Nimirum quemadmodum magnes præter intrinsecum, quod habent, motus sui principium, communis quoque magnetismi terræ insiti fruitur influxu, assistentia & excitatione: ita animam non naturali tantum aliquo motu atque rationali, sed etiam a Spiritu Sancto peculiari quadam ratione ad Deum inclinari statuit. Scilicet antiquos etiam Gentilium philosophos, Aristotelem atque Platonem, eorumq; sectatores, Simplicium, Themistium, Alexandrum Aphrodiseum, Avicennam & Averroem; imo & Judæorum doctores, primosque Christianorum philosophos theologosque existimasse ait, præter individuam propriamque cujusvis hominis animam, Mentem aliquam universalem intellectu præditam existere. Illi id a Deo datum officii esse ex eorum sententia, ut animam humanam illuminet, ad actum intelligendi eam excitet, principiaque & notiones seu veritates universales, totique generi humano communes, ei inspiret. Et hoc ipsum esse, quod intellectum vocant agentem, quam *ultimam Intelligentiarum separatarum* credat Averroes, actuationi (ut barbare loquamur) & excitationi intellectus humani destinatam. Hæc vero quamvis haud parum obscura sit opinio, veritatem tamen in ea maximi omnino momenti latere sibi persuadet, quam evolvere hoc fere modo aggreditur. Deum omnipotentem uti præsentia sua essentiali, ita influxu quoque efficacissimo, a quo omnium rerum conservatio pendeat, universis creaturis adesse statuit. Hujus autem influxus modum pro varia creaturarum natura varium quoque esse, adeo ut rebus pure naturalibus, juxta communem & ordinariam naturæ legem eum impertiatur: rationale vero creaturæ, intellectu & voluntate præditæ, eundem modo facultatibus hisce accommodato communicet. Duabus porro potissimum viis in animam huncce influxum penetrare, illuminatione nimirum ad intellectum, persuasione autem & incitatione ad voluntatem habito respectu. Illuminationem idem esse intellectui, quod oculo Sol est; persuasionem sive animi inclinationem, licet ei resistere homo possit, adeo tamen efficacem esse, ut, Deo volente, omnia impetrare possit, Ps. CX, 3, Prov. XXI, 1. Hujusmodi inde ait influxu, sive in intellectum, sive in voluntatem, nullam uspiam gentem vel nationem penitus destitutam fuisse; magis tamen efficacem in quibusdam, ad gentilem quoq; orbem spectantibus, eum extitisse. Indeque semper sese

 viros

viros sapientia, justitia & pietate apud Gentiles celebratos magni fecisse, tanquam viros divinum quendam influxum atque ductum secutos. Eos enim divini Spiritus virtute, ut suam communemque hominum salutem promoverent, imo & ad majorem lucem recipiendam homines præpararent, illuminatos excitatosque fuisse. Majorem denique hujus influxus efficaciam apud Judæos, longe denique maximam post Messiæ adventum missumque in populum Dei Spiritum sanctum extitisse. Concludit denique gravissima parænesi, ut flatum
c. XV. suum maxime naturalem, hoc est, conversionem ad Deum, magnetis instar polum versus tendentis, tueri mortales sedulo nitantur, quodve pauci adeo ad hoc curas mentemve suam advertant, in alia omnia abeuntes, conqueritur.

DISQUISITIO IN HYPOTHESIN BAXTERIANAM DE FOEDERE Gratiæ, Auctore CAROLO ROBOTHAMO, Ecclesiæ Anglicanæ Presbytero Norfolciensi.

Londini, impensis Roberti Clavel, 1694. in 8. Alphab. 1.

VAria commenta ingenium excogitavit humanum, quibus intra salutis metas, etiam sine fide in Cristum, Gentiles collocare annisum fuit. Modo enim Pelagiani distribuerunt tempora, ac docuerunt, ante legem salvos homines factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum. Modo Socinus, post sublatam Christi divinitatem atq; satisfactionem, a veteribus omnem fidem in Christum vel salutem per Christum consequendam removit. Modo Curcellæus neminem quidem olim salvatum dixit, nisi ex respectu ad Christum, communem omnium redemtorem; negavit tamen, veteribus necessariam fuisse fidem in Christum futurum redemtorem, iisque sub lege & fœdere naturæ relictis, credentibus tamen in Deum universi creatorem & gubernatorem, vitamq; suam secundum rectæ rationis lumen omnibus affulgens instituentibus, salutem concessit. Ultimus autem inter hos Baxterus in Methodo Theologiæ Christianæ magis adhuc polire ista studuit, quæ alii in favorem Gentilium antea protulerant. Et negavit quidem ille, cuiquam homini lapso salutem contigisse, & contingere potuisse per fœdus naturæ, perfectæque & illibatæ innocentiæ. Statuit vero, omnes ab initio salvatos fuisse nonnisi per mortem & meritum Chri-

Christi, per fidem in Deum redemtorem & liberatorem, per fœdus ac legem gratiæ & misericordiæ omnibus in universum hominibus a lapsu dispensatam, indultam & patefactam, partim per traditionem illius primævæ promissionis & protevangelii, Gen. III, 15. partim per obvia quædam ratiocinia facile deducta & collecta a regimine mundi, ab experimentis patientiæ, clementiæ & benignitatis divinæ erga genus humanum: omnes vero omnium gentium & seculorum mortales maxime judicandos secundum hoc fœdus gratiæ universalis, neminem autem decisive & determinative propter mera peccata commissa contra legem naturæ condemnandum. Hanc illius hypothesin clarissimus Robothamus ulterius examinandam in se suscepit, atque institutum isthoc ita prosecutus est, ut tota de salute Gentilium controversia plene satis planeque in hoc libro pertractata videatur.

Quemadmodum autem in capite *primo* concedit, in illo protevangelio Gen. III, 15. factam esse ab initio promissionem de Christo venturo & serpentem victuro; nec refragatur, in hac promissione fundatum esse, & fortiter insinuatum gratiæ misericordiæque fœdus, quod datum fuerit primitus Adamo, eique jam lapso, non tamen, ut salvandorum capiti; quemadmodum porro fœdus hoc misericordiæ ex intentione Dei extensibile & applicabile fuisse largitur ad omnes singulosque Adæ posteros, sub conditione fidei, pœnitentiæ novæque in futurum obedientiæ, adeoque omnes fuisse in remota saltem possibilitate salutis; ita circa hæc duo imprimis hac vice disceptandum esse innuit, primo, utrum totum genus humanum ante Christi adventum semper & ubique fuerit sub lege gratiæ? sive, utrum in regno gratiæ initialis totum genus humanum subditorum obligatorum & vocatorum vices obtinuerit? secundo, utrum religio Christiana sit omnibus necessaria ad salutem? vel, an fides in Christum incarnatum (seu religio proprie Christiana) sit unica jam ad salutem via? Primam quæstionem adstrui, secundam negari a Baxtero innuit. Circa utramque vero contrarium ostensurus Auctor, antequam ad prioris considerationem pleniorem se accingat, distinguit in fœdere gratiæ initiali institutionem ab administratione, ac istud quoad institutionem universale, omnibus datum & omnibus in mundo tunc existentibus notum fuisse fatetur; sed tandem post aliquot annorum centurias, crescente hominum multitudine, ignorantiaque, socordia & cæcitate

per

per maximam generis humani partem serpente, in administratione particulare istud factum superaddit, non propter angustias quidem aut imminutionem fœderis ipsius, sed propter hominum malitiam & apostasiam, quam defectus & subtractio mediorum exceperit. Hinc insuper distinguit inter tenorem fœderis gratiæ, & ejus οἰκονομίαν atque dispensationem. Illum omnes sub conditione comprehendisse, unumque & eundem per omnia secula ante evangelica fuisse ait; sed hanc vicissim, utpote quæ fieri consueverit per ministerium verbi, per revelationem, promissionem, primordialem publicationem, certamque & continuatam sive ore sive scripto traditionem, modo fusiorem & latiorem, modo strictiorem atque parciorem constituit. Quibus præsuppositis expresse negat, quod omnes & singuli sub statu, dispensatione & administratione fœderis gratiæ actu ponendi sint. Thesin ergo hanc suam idoneis corroborare argumentis nititur. Primum exinde petit, quod esse sub gratia sive sub fœdere gratiæ, statum inferat magnæ proximitatis ad Deum, fruitionem mediorum, ac suppeditationem & participationem gratiæ sufficientis; nihil autem istiusmodi Gentilibus tribuendum, e locis Scripturæ sacræ quamplurimis probatum dat. Rationem secundam desumit a necessitate vocationis in ordine ad statum gratiæ, quam ex justo Dei judicio Gentilibus denegatam fuisse dicit. Equidem conari Baxterum virtualem eorum vocationem stabiliminare, sed hanc ne cum propriis quidem illius hypothesibus consistere posse refert. Tertium argumentum depromit ex eo, quod, ipso non negante Baxtero, nemo esse queat subditus in regno fœderis gratiæ, nisi cui prius obligatio ad istud fuerit imposita. Obligationem autem, quæ ad Gentiles consurgat ex lege naturæ, adigere quidem ipsos ad primum consensum fidei & obedientiæ erga fœdus gratiæ præstandæ, sed non immediate, nec absolute, sed ex hypothesi, ac non nisi supposita vocatione, promulgatione & cognitione fœderis gratiæ in ista promissione fundati; hinc infert, quod illi subditi gratiæ, sive obligati sive professi, nequaquam sint. Qua occasione simul observat, parum vero esse simile, quod asserit Baxterus, totum genus humanum secundum legem gratiæ judicandum fore. Gentiles enim non posse judicari secundum istud fœdus, quod ignorarint, sed eos potius ex lumine & legibus rationis omnibus indultæ sententiam subituros.

Stabilita

Stabilita ad hunc modum sua sententia, in capite *secundo* Auctor contrariam Baxteri opinionem refellit, & ad singula, quæ is in medium attulerat, argumenta respondet. Duplici nimirum ratione legem gratiæ universalis & initialis hominibus innotuisse contenderat ille, semel quasi a priori, per traditionem, iterumque quasi a posteriori, per ipsam naturam & opera providentiæ. Enimvero uti Auctor legem gratiæ ab initio promulgatam, ac ab Adamo & Noacho omnibus posteris, qui tunc extitere, traditam fuisse, lubens concedit; ita, experientia teste, primam hanc promulgationem in maxima hominum parte tandem oblivioni traditam fuisse, & post aliquot seculorum decursum prorsus intercidisse regerit. Mansisse quidem apud gentes plurimas notionem de sacrificiis expiatoriis & propitiatoriis in genere; ast periisse omnem de sacrificio illo unice propitiatio in individuo memoriam, periisse typicam rationem & σχέσιν sacrificiorum, quæ ad Christum respicere Gentiles plane ignoraverint. Præterea e sacrificiis intelligere quidem potuisse, Deum non esse implacabilem, sed quod actu placatus jam sit, nulla cum fiducia statuere ipsis ex hoc fundamento licuisse. Quod vero attinet ad ipsam naturam & ad opera providentiæ, unde notitiam legis gratiæ universalis obvenire potuisse Gentilibus, secundo loco Baxterus affirmaverat, totam ejus argumentationem triplici fulcro inniti Noster observat, patientiæ primo divinæ, misericordiæ dein adhuc parcenti, tandemque beneficentiæ divinæ bonæ terrena continuanti & plura in homines cumulanti. Quamobrem partes illæ singulas seorsim considerat. Circa patientiam divinam admittit, quod ea manu quasi ducat ad pœnitentiam; verum longe dicit esse aliud, inservire pœnitentiæ, aliud, concedere legem gratiæ. Misericordiam divinam parcere quidem ait mundo in commodum Ecclesiæ, & eorum, qui per singula ætatum secula e mundo ad Ecclesiam sint evocandi; ast inde nondum sequi, fœdus gratiæ universalis totum quaquaversum genus humanum complectens omnibus esse indultum aut patefactum, cum in universali illo moderato regimine peculiaris habentur respectus ad actu fœderatos vel ad nunc & olim fœderandos. Cognoscere Gentiles potuisse, quod exactionem pœnarum pro delictis ad tempus Deus differat, sed quod peccatis in perpetuum ignoscat, colligere eos idcirco nondum potuisse;

condonationem enim non fieri nisi per legem ἀμνηςίας positive latam, cujus certe notitia ad Gentiles nulla pervenerit. Ex benignitate & beneficentia Dei erga genus humanum recte inferri, ipsum velle bonum creaturæ suæ, sed non recte, velle ipsum omne bonum cuivis creaturæ. De cætero ex hac Baxteri hypothesi consequentiam hanc nectit Auctor, quod fides salvifica per media naturalia acquiratur & prorsus naturalis vocari queat; hoc vero quam sit inconveniens, rationibus heic pluribus demonstrat.

In Capite *tertio* quærit: utrum ad fidem salutiferam semper & ubique necessarium fuerit, ut ea terminaretur in Messiam venturum, ceu gratiæ procuratorem ac hominum redemtorem & salvatorem? Ubi primo quidem talia Baxteri dicta allegat, quæ affirmativæ parti favere videantur; paulo tamen post ea ipsius effata reperit, quæ, quod negativam tenuerit sententiam, expressius ac fortius testentur. Ei ergo se opponit, ac fidem in Messiam semper necessariam fuisse probat ante omnia e promissione Gen. III, 15. facta, quæ Messiæ & incarnationem, & passionem, & victoriam, & divinitatem haud frustra sane urserit. In sacrificiis quoque (quæ inde ab origine mundi obtinuisse censet,) respexisse pios ad Christum, nullus dubitat. Porro debitum gratitudinis indispensabile requisivisse statuit, ut Redemtor cognitus magnique æstimatus semper fuerit. Ad hæc absurda plurima e sententia adversa elicit: sequi enim ex eadem putat, lapsis & reatu obstrictis peccatoribus immediatum ad Deum accessum sperare licuisse sine omni, quem noverint aut expectaverint, mediatore vel favoris procuratore; facilius salvari Ethnicos extra fidem Christi, quam nos intra eam, quandoquidem fides in Deum creatorem simplicissima sit, & pauca admodum capita contineat; Christum auctorem fuisse salutis omnibus salvandis, non autem objectum fidei salutiferæ. Tandem quoque nullum hanc doctrinam in Scriptura fundamentum habere ostendit. Equidem pro ea allegaverat Baxterus imprimis loca Act. X, 35. & Hebr. XI, 6. Verum respondet Noster, in priore dici, acceptum esse Deo omnem, qui ipsum timeat, justitiamque operetur, sed hæc fidem in Christum non excludere, sicuti & ad ingenerandam Cornelio fidem hoc ipsum testatus Petrus missus fuerit. In posteriori autem præsupposita solum fidei salutiferæ memoravi ait, ac Paulum, si κατὰ ῥητὸν effatum ejus capias, de

fide

fide tali agere existimat, quæ historicam vel dogmaticam haud transcendat. Jobum etiam in exemplum hominum istiusmodi, qui nuda fide in misericordiam Dei, sine intuitu in Christum, supremo Numini accepti fuerint, Baxterus allegaverat. Sed ejus in Christum fidem ex libri ipsius capite XIX, 25. 26. manifestam reddit Noster; ac deinceps, quam ex diametro contrarietur defensa ab adversario fides sensui sententiisque Patrum, paucis annotat, superpondii in vicem refutans istud Baxteri assertum, quando in opere Anglicano, de apparitionibus & sagis, Filium Dei tempore Veteris Testamenti sub specie hominis vel sub nomine angeli Patriarchis unquam apparuisse negavit.

In Capite *quarto* ad examen quæstionis secundæ transit, utrum fides in Christum incarnatum sive religio proprie Christiana sit unica ad salutem via? Baxterus eam negat, ac contendit, ex lege charitatis erga Deum & proximum teneri nos opinari, nonnullos ex omnibus terræ nationibus fœderis initialis conditiones etiam nunc vere præstare, & inde certo salvos fieri. At Noster, ne repeteret ea, quæ circa ipsius fœderis naturam ac perennitatem jam tum superius monuerat, eousque charitatis legem se nequaquam extendere respondet, ut indistincte quodvis de quovis nobis polliceamur. Deinceps fœdus istud initiale dudum cessasse ait per introductionem melioris spei, & per exspirationem præfixi ei termini, imo & per ipsam rerum statusque mutationem. Nec sequi inde admittit, (prout quidem voluerat Baxterus,) ac si per incarnationem Christi homines in statum deteriorem conjecti, beneficiaque Dei imminuta fuissent, cum certe tenor fœderis evangelici æque nunc universalis sit, ac fuerit tenor fœderis illius primi, neminem quippe excludens, nisi finaliter incredulum & impœnitentem; quoad actualem vero fœderis administrationem, exhibitionem & dispensationem, multo longius & latius disseminatum sit fœderis evangelici præconium, quam primi illius initialis, siquidem istud omnes fere terrarum tractus pervasisse constet.

Qua de causa in capite *quinto* probat, extra fidem Jesu Christi, in Evangelio & Novo Testamento jam patefacti, non dari salutem. Et heic primo loco provocat ad Scripturæ silentium, eamque duo fœdera gratiæ sibimet contemporanea, duos salutis modos &

I 2 vias,

vias, dupliceinque salvificam fidem, seu potius triplicem (unam in nudam Dei misericordiam, alteram in promissionem seminis benedicti & prænunciati, ac tertiam in Christum præsentem & exhibitum) penitus ignorare asserit. Secundum argumentum ipsi præbet materia ac finis Epistolæ ad Romanos, in qua ad hunc scopum omnia collimant, ut evincat Paulus, omnibus universim, tum Gentilibus tum Judæis, incumbere necessitatem Christianismi. Tertium a mentione vocationis Gentilium alius, præterquam evangelicæ, in Scripturis nuspiam occurrente: quartum a statu Gentilium extra fidem & Ecclesiam evangelicam, juxta quem foris ponantur, canesque & immundi nuncupentur: quintum ab Aquinate mutuatur, supra jam allatum, quod fides salvifica necessario cohæreat cum objecto salvifico, hoc est, in auctorem salutis necessario ferri debeat. Sexto illud infert, quod, si apud Gentiles adhuc dum vigeat gratiæ & vitæ fœdus, exin sequatur, gratis Christum prædicari, gratis Apostolos missos in orbem, frustra evangelium per gentes disseminari; quandoquidem eo pacto Ethnici jam domi paratam habeant veniam & vitam, & omnia, quæ ipsis ad salutem sint necessaria. Septimum a complexu Ecclesiæ Christianæ derivat, sub cujus ambitu contineantur omnes oves præscitæ & a Deo datæ, omnes Dei filii, omnes regeniti, omnes justificati, omnes sanctificati, omnes beandi, & omnes salvandi; quod argumentum uti quoad membra singula seorsim late probat, ita ex eodem veritatem sui asserti satis roborari existimat. Postmodum dicta Biblica nonnulla urget, in quibus sub necessitate absoluta fides in Christum ab omnibus salvari cupientibus requiritur, v. g. Joh. III, 17. 36. V, 23. VIII, 24. XX, 31. 1. Cor. III, 11 1. Joh. V, 11; loca autem similis tenoris clarissima, quæ pro sua mente Baxterus explicuerat, Eph. II, 11. 12. Act. IV, 12. Rom. X, 14. Marc. XVI, 16. Joh. XIV, 6. Joh. XVII, 3. genuinæ interpretationi ac sensui restituit. Denique in testimoniis quorundam antiquorum non duntaxat Patrum, sed recentiorum quoque Theologorum Baxtero manifesto adversantium subsistit.

Universæ autem Disquisitioni singularem annectit appendicem, in qua suffragia Patrum examinat, quibus in favorem suum sive Curcellæus sive Baxterus abusi fuerint. Tenet vero Noster circa ea istum modum, ut loca ab his allegata vel e scriptis suppositititiis petita

tita, vel in alienum sensum detorta, vel ex se incongrua, vel ex collatione parallelorum aliter accipienda venire affirmet. Qua methodo non Curcellæo solum ad Ambrosii, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, & e neotericis ad Abulensis, Erasmi, Fabri, Vivis Zvinglii & aliorum auctoritatem provocanti; sed Baxtero etiam de Justini Martyris, Clementis Alexandrini, Lactantiique suffragio multum glorianti satisfacere se posse autumat. In ultimis pagellis judicium comparet, quod in suis articulis Ecclesia Anglicana circa præsentem causam tulerit.

FONTEIN DES HEILS &c.

Hoc est:

Fons Salutis, in Catechismo Heidelbergensi monstratus, & e Sacræ Scripturæ oraculis in clariore luce collocatus, ut purissima inde vitæ mortisque solatia hauriri queant. Autore HERONE SIBERSMA, V. D. apud Amstelæd. Ministro.

Leovardiæ apud Heronem Nautam, 1694. in 4. Alphab. 5. plag. 3.

REverendus Autor id potissimum in hoc opere egit, ut doctrinam in Catechismo Heidelbergensi traditam, cujuscunque capacitatis Lectoribus adeo redderet claram, ut nemo facile in ea hærere posset: ut porro eandem clarissimis Scripturæ locis confirmaret: ut rationes atque momenta articulorum fidei diligenter expenderet: quidque solatii ex illis animæ, de salute sua anxie solicitæ, expectandum sit, ostenderet. Atque in omnibus quidem istis, quantum causæ, quam tuetur, conditio permittebat, feliciter sese promissis exsolvit; perspicuitate tamen quam maxime opus hoc suum commandabile fecit. Vel ipsa enim methodus, qua usus in eo est, ad illam cum maxime conducit, dum Heidelbergensis Catechismi quæstiones novis semper quæstionibus illustrat, quas verbis adeo luculentis, ex Scripturis maximam partem desumtis, solvit, ut obtusiorem quoque mentis aciem non facile arceant. Cæterum ea moderatione est, ut sine amaritudine aliter sentientium Ecclesiarum fidem tangat, & propriæ Ecclesiæ σκληρὰς διδασκαλίας, verbis saltem paulo mitioribus passim proponat. Denique id propositum ha-

buisse videtur, ut non scientiam solum, sed praxin quoque Christianam hocce labore suo promoveat.

HET EERSTE DEEL DER WAARAGTIGE WEGEN &c.

Hoc est:

Viarum Dei veracium, quas cum hominibus solet inire, Pars prima, autore DACO HAIO van den HONNERT, V.D. apud Brielenses Ministro.

Dordraci apud Cornel. Willegaarts, 1695. in 8. Constat Alph. 3. plag. 7.

REverendi Autoris scopus, quem hoc opere potissimum intendit, ille est, ut solida veritatis atque virtutis demonstratione officii admoneat illos, qui spreta sacrarum literarum autoritate, omnia sibi licere putant. Eos itaque ex sanæ rationis principiis, quæ abnegare, quamdiu homines videri volunt, nequeant, meliora edocere atque in viam reducere nititur. Id ut efficiat, ita fere procedit, ut primo loco existentiam atque essentiam Dei ex innata nobis potissimum idea, juxta principia Cartesiana, luculente iis ob oculos ponat, atque una demonstret, eum omnisufficientem a nulla alia re, omnes contra res alias ab eo unice pendere. Inde enim firmissime concludit, ad omnia illa officia homines esse obstrictos, quæ secundo partis hujus prioris capite fuse exposuit. Inde in capite tertio ostendit, omnes tamen mortales peccatis non tantum obnoxios, verum plane ineptos etiam redditos esse, ad exequenda ista officia sua. Ast impotentiam istam neutiquam illos ab obligatione, qua satisfacere officio suo voluntatique divinæ tenentur, absolvere, capite quarto demonstrat. Quin potius eorum esse ostendit, eo omni studio eniti, ut via quadam convenienti naturalem istam ineptitudinem suam superent. Ad quod cum opus habeant divina quadam revelatione, de eo invenienda solicitos eos esse oportere docet. Ne vero in ea inquirenda imponi sibi patiantur, characteres, quibus revelatio, quæ originis sit vere divinæ, dignosci queat, proponit. Quos S. Literis, in Ecclesia Dei vulgo receptis, applicans, certitudine omnino mathematica sese evicisse confidit, revelationes vere divinas in iis comprehendi.

DE-

DE SENDBRIEF VAN PAULUS AN DE GALATEN &c.

hoc est,

Epistola Pauli ad Galatas, breviter illustrata & explicata a TH. AKERSLOOT, V. D. Ministro.

Lugduni Batav. apud Joh. du Vivié, 1695. in 4. Alph. 3. plag. 14.

QUam hactenus aliquoties observavimus Theologorum Belgarum in illustrandis vernaculo sermone sacris oraculis industriam, eam Reverendus Autor quoque civibus suis probare voluit. Qui ut eo magis perspicuam reddat suam Epistolæ Paulinæ, quæ studia ejus occupavit, interpretationem, eam semper observat methodum, ut primo summam cujusvis capitis breviter ob oculos ponat, verba deinde sensusque sacros singulatim illustret, & brevi denique repetitione instituta, quomodo omnia inter se cohæreant, & quo scopo ab autore θεοφόρῳ prolata fuerint, edoceat. Et quamvis a philologicis criticisque disceptationibus studio abstinuisse videatur, ne simpliciores ab operis hujus lectione absterreret, difficiliora tamen non omnino intacta transmittit, sed quam fieri potest maxime perspicua ea reddere nititur. Sic, ut vel unicum adducamus exemplum, locum istum Gal. II, 6, quem ellipsin quandam obscurum reddere omnes agnoscunt, varieque adeo supplere laborant, ipsemet hoc modo supplendum existimat: *Ab illis autem, qui aliquid esse videbantur, nunquam exprobratum mihi fuit, quasi mala fide Evangelium prædicatum a me fuerit, imo potius ipsemet Petro,* uti ex v. 11. patet, *hancce dicam scripsi.*

NOTITIA MONASTICA.

Or a Short History of the Religious Houses in England & Wales.

Hoc est:

Notitia Monastica, sive brevis Historia monasteriorum Angliæ & Walliæ, concinnata a THOMA TANNERO.

Londini apud A. & I. Churchill, 1695. in 8. Alph. 1. plag. 3.

VArias hactenus Historiæ Anglicanæ partes illustrandas sibi doctissimi istius Regni cives sumserunt; nemo tamen fere adhuc post editum a Rogero Dodsvvortho, & Gulielmo Dugdalio *Monasticum*

ſticon magnum *Anglicanum*, monaſteriorum hiſtoriam attigit. Non ingratum itaque fore ſperat clarisſimus Autor hocce opuſculum ſuum, tum iis, qui vegrandi illo opere carere malunt, quam tantum temporis atque æris ei impendere, tum etiam, qui poſſesſione illius gaudent. Quamplurimos enim illius defectus a ſe reſartos, erroresque correctos eſſe ait; quin & exinde pretii haud parum labori ſuo acceſſurum merito ſperat, quod bibliothecas, in quibus monumenta ad monaſteriorum hiſtoriam pertinentia aſſervantur, ſtudioſe indicarit, & editos quoque libros, ex quibus illuſtrari illa posſint, allegaverit pasſim, inſigniaque præterea plerorumque monaſteriorum æri inciſa repræſentaverit. Sane Monaſticon illud magnum perfectum adeo non eſſe, ut nihil ei accedere queat, neminem facile negaturum ait. Fuiſſe enim eorum, qui illud concinnarunt, ſcopum præcipuum, authentica monumenta & privilegia monaſteriorum colligere, cui dum intenti fuerint nimis, quamplurimas obſervationes prætermiſerint ad fundationem & leges variorum monaſteriorum pertinentes. Evidens hoc eſſe ait ex ſchedis Lelandi, in quibus, juſſu Henrici VIII in monaſticas Angliæ res inquirens, multa præclara de variis monaſteriis notaverat, plane in Monaſtico prætermiſſa, quamvis ſchedis illis, quæ manuſcriptæ hodienum aſſerventur, uti licuerit Dugdalio. Erroribus autem grande adeo opus non poſſe non ſcatere ait, quos quamvis corrigere fuiſſet ejus, qui epitomen illius nuper concinnavit, tantum tamen abeſſe ait, ut hoc fecerit, ut larga potius manu novi fuerint additi. Ipſum clarisſimum Autorem quod attinet, ea methodo ille utitur, ut de monaſteriis Angliæ agat ordine iſto, quem Comitatuum hujus Regni diviſio ipſi ſuppeditavit. Ut tamen multum temporis terendum non eſſet in volvendo revolvendoque libro, ſi forte de aliquo eum conſulere eſſet opus, alphabetico deinde ordine monaſteria etiam digesſit. De ſingulis ſuccincte, quos fundatores habuerint, quos benefactores, quam regulam fuerint ſecuta, cuinam Sanctorum & quo tempore fuerint dicata, quas mutationes inſigniores ſubierint, quibus denique reditibus fuerint gaviſa, edocuit. Autores inſuper tam editos, quam in bibliothecis adhuc deliteſcentes, monumentaque & privilegia ad illa ſpectantia ſtudioſe allegavit. Et ne quidquam huic opuſculo deeſſet, de origine & progreſſu ſtatus monachalis & monaſterio-

ſteriorum in Anglia, fuſe ſatis pro inſtituti ratione, in præfatione egit. Atque aſceticam quidem vitam occaſione perſecutionum bellorumque, in Anglia pariter ac aliis regionibus originem cepiſſe putat, monaſticas vero regulas ante S. Patricii tempora, ſeculumque a Chriſto nato quintum, in Angliam perlatas haud fuiſſe, cum Admodum Reverendo Worceſtrienſi Epiſcopo ſtatuit. Regulam D. Benedicti ante Gulielmi Conqueſtoris temporis accurate in hoc regno obſervatam non fuiſſe contendit. Monialium clauſtra ante Saxonum invaſionem in Anglia fuiſſe, Lelandum affirmare ait. Auguſtinum tamen, qui monachis regulas præſcripſit, nullas monialibus dediſſe obſervat; aſt proximo ſeculo, poſt Chriſtum nimirum natum ſeptimo, frequentem extare dicit clauſtrorum monialium inter Saxones mentionem. Et Eadbaldum quidem Regem anno 630 tale quoddam monaſterium, Folkſtoniam nimirum in Cantio, fundaſſe obſervat, ut adeo errare cum Weavero neceſſe ſit Dugdalium, dicentem primum monialium in Anglia clauſtrum eſſe Barkingenſe in Comitatu Eſſexiæ, quod tamen anno 680 demum exſtructum eſſe conſtat. Quæ deinceps de progreſſu vitæ monaſticæ, variaque fortuna monaſteriorum, eorumque tandem abrogatione, ex Dugdalio potiſſimum narrat, prolixum hic nimis eſſet repetere. Plane abrogata ea fuiſſe non ſine præſentiſſimo bonarum literarum periculo cenſet. Suſpicionem enim, quæ plerorumque inſedit animos, quaſi otio & voluptatibus ſe ſolum mancipaverint monachi, ſolicite admodum depellit, non contemnendis argumentis oſtendens, iis potiſſimum deberi, quod temporibus iſtis Muſæ Anglicano regno penitus non emigraverint. Imo non deeſſe ait alia quamplurima incommoda, quæ monaſteriorum omnimodam evaſtationem inſecuta in Anglia fuiſſe clariſſime oſtendi poſſent, ſi argumentum hoc accuratius pertractare temporum horum ratio permitteret.

JOHANNIS WALLISII NOVA METHODUS INVENIENDI parallaxin ſtellarum fixarum, reſpectu orbis terræ annui, ſcripta ad Guilielmum Molineux.

Translata ex Actis Philoſophicis Anglicanis, num. 201, A. 1693. pag. 844 ſeqq.

ELigenda eſt ſtella quædam circumpolaris (quæ vicinior eſt polo Æquatoris quam zenith noſtrum, nec valde remota a polo Zodiaci)

probeque attendendum, ubi possit observari hac stella in maximo suo Azimutho orientali aut occidentali. Quo facto turri cuidam aut alii ædificio satis alto scite adaptanda est lens telescopii objectiva bonæ notæ eo in situ, ut per illam stella videri possit, porroque in distantia debita muro cuidam inferius ocularis affigenda est lens vitro objectivo respondens, & ita collocanda, ut per utramque stella in situ desiderato conspici possit; id quod tunc optime fieri potest, quando stella noctu apparet in tali situ, circa tempus cujusdam solstitii. Utroque autem vitro rite collocato, ut nec a vento, nec tempestatibus illi damnum inferri possit, oculari micrometrum, cujus fila ad Horizontem sunt perpendicularia, jungendum est, ac deinde probe dispiciendum anno sequenti aut porro quoque, num aliqua in Azimutho observari diversitas possit. Cui quidem proposito inservire potest humerus ursæ minoris, vel etiam media in cauda ursæ majoris. Huic enim cum adhæreat ita vicina Alcor, ut utraque cadat intra micrometron, forsan detegi poterit differentia parallaxis harum stellarum. Si enim parallaxis stellæ majoris deprehendatur, minoris autem vel plane non, vel minus bene discerni possit, earum distantia forsan diversa diversis anni temporibus animadverti poterit bono telescopio debitæ longitudinis, ex qua statim diversa earum parallaxis colligetur. Cum autem probabile sit, omnes fixas stellas non esse eodem intervallo a nobis remotas, animus non despondendus est, si non incidamus statim in stellam, in qua parallaxis observabilis est, sed alia porro assumenda est, quæ fortassis voto nostro respondebit. Neque enim hac methodo adstringimur ad stellas per Zenith nostrum transeuntes, & præterea liquet ex Astronomia, si temporibus diversis diversa possit observari meridiana ejusdem fixæ altitudo, observabilem etiam fore diversitatem ejus maximi Azimuthi orientalis & occidentalis, quod melius potest observari, quam fixarum ortus aut occasus, nec obnoxium est refractioni, ut altitudo meridionalis.

EXPERIMENTUM FACTUM CORAM PRÆSIDE & Membris Regiæ Societatis, in quo miranda mutatio coloris ex pallido seu transparenti aut claro liquore in valde cæruleum fuit exhibita, & quidem in instanti; admissione solius aëris; applicatum ad illustrandas mutationes colorum in sanguine animalium respirantium, a FR SLARE M D, & R. S. Membro.

Trans-

Translatum ex Actis Philosophicis Anglicanis num. 204.
A. 1693. p 898 seq.

CApienda est limatura cupri recens facta, imponendaque phialæ vitreæ, cujus fundus latus est atque planus, eique affundendus urinosus spiritus, sive salis armoniaci, sive urinæ ipsius, sed non paratus cum calce viva. Vitrum non ultra dimidium replendum est, & exacte obturandum, ne aer possit irrepere: si enim in hac circumstantia erretur, experimentum non succedit. Spiritus hic spatio quatuor, quinque aut sex dierum magis saturo semper colore tingetur, postea per duos circiter aut tres dies in eodem statu consistet, ac tandem rursus colorem gradatim amittet, donec pallidus plane evadat, ex omni colore privatus. Quo facto decantandus est statim liquor in vacuo aeris a limatura in aliud vasculum, quod exacte quoque obturandum, usque donec experimentum faciendum sit. Nam si aer admittatur, statim exterior ejus superficies immediate tingitur, atque ille color sensim magis penetrat, donec totum liquorem pervaserit; idque facit eo citius, quo amplius est vitrum, liquorque majorem habet superficiem, vel etiam, si liquor ex uno vitro in aliud effundatur. Ad phænomeni hujus rationem quod attinet, quamvis liquor ille videatur omnes depoluisse particulas venereas in vasis fundum, dum colorem suum exuit, censet tamen experientissimus Dn. Slare, in ejus poris latitare adhuc quasdam particulas cupreæ naturæ, quippe cum menstruum illud urinosum egerit in diversas materias, quarum una sulphurea, quæ cœruleum suppeditavit colorem, & denuo præcipitata fuit, altera salina, quæ nullam tincturam suppeditat sine aeris subsidio; ac proinde aerem, quando admittitur, tales menstruo insinuare particulas, quæ stimulent menstruum, illique motum impertiantur, ut particulas inhærentes penitus dissolvat, sicque colorem recuperet; cui analogum quid contingat, quando in inspiratione aer in vesiculis pulmonalibus sanguini admiscetur, eumque floridiorem reddit antea etiam quam ad ipsum cor recurrit. Aerem enim procul dubio salibus volatilibus esse repletum, quorum nota characteristica sit, ut ab igne citius eleventur, quam aqua; neque tamen salia illa nitrosa esse, ut communiter sentiunt, quippe cum & nitrum fixissimum sit, & talia phœnomena sanguini nostro additum non producat, qualia solent oriri a volatilibus alcalicis; magnumque adeo commodum afferre vitæ humanæ aerem, neque minorem tamen

 quan-

quandoque noxam, si contagiosis halitibus, quos immediate ad sanguinem in inspiratione defert, repletus fuerit.

EXCERPTA EX COMMENTARIIS MATHEMATICIS ET PHYsicis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisiensis, editis d. 31. Augusti anni 1693. usque ad finem illius anni.

CUm Dn. Bernoulli, Professor Mathematum Basileensis celeberrimus, in Actis Eruditorum mensis Junii A. 1693. *methodum* exposuisset generalem *determinandi* in omnibus curvis *puncta causticarum per refractionem*, suppositis evolutis, analysin vero suam suppressisset, Illustris Marchio *Hospitalius* illis, qui calculi differentialis periti sunt, facilem ostendit methodum, ex qua immediate constructio Bernoulliana deducitur. Dominus *De la Hire* mense Aprilis, cum in hortis arcis Meudonensis observasset plurimos grandes crateres aqua plenos, iisque in locis sitos, ubi ventus non facile poterat agitare superficiem aquæ, sequens facit circa *undulationem aquæ* experimentum. In limbo crateris cujusdam dimensus est distantiam duodecim pedum, jactoque lapillo in aquam quatuor aut quinque pedum intervallo a limbo e regione partis, quam erat metitus, numeravit dimidia secunda ope penduli portatilis. Deprehendit ergo undas, quas motus lapidis excitarat, semper fere circiter octo secunda cum dimidio transigere ad percurrendum spatium 12 pedum, illasque se æqualiter extendere, ut dimidio tempore dimidium quoque spatium pertransirent. Cum autem postea nunc minores, nunc majores lapides crateri injecisset, non potuit observare sensibilem differentiam inter tempus, quo undæ a lapidibus diversæ magnitudinis formatæ eadem percurrunt spatia. Hæc ergo celeritas motus undarum aquearum si comparetur cum velocitate motus undarum aeris, quæ percurrunt 180 hexapodas in secundo temporis minuto, facile reperietur, aeream undam percurrerre 763 pedes, interim dum aquea unum tantum pedem emetitur, atque ita eandem hic fere obtinere rationem, quam *Dn. De la Hire* inter gravitatem aeris & aquæ observavit. *Dn. Mery*, ut eo clarius explicaret rationem, cur testudo tamdiu possit vivere sine respiratione, quamque in eo positam dixerat mense Martio, quod cor ejus satis haberet virium ad promovendum circularem sanguinis motum sine respirationis adminiculo, jam prolixius declarat, in quo *robur cordis testudinis, & debilitas*

cordis

cordis humani consistat. Nimirum, quamvis illa, quæ in firmitate fibrarum cordis sita est vis, eadem fere sit in corde humano & testudinum, hanc tamen intercedere censet differentiam, quod tota vis cordis testudinum, quæ in corde humano bifariam dividitur, unita fortior existit, dum tres ventriculi ejus a se mutuo in agendo dependent, omnesque cordis vires conspirant ad sanguinem ex dextro ventriculo pellendum: cum contra duo ventriculi cordis in homine inter se non communicantes, functiones suas separatim obeant, & alter sanguinem in aortam, alter in arteriam pulmonalem exprimat. Porro cum vires cordis relative quoque possint considerari, perpendendo quantum sanguinis ipsi sit propellendum, per quantum spatium & quanta cum celeritate, *Dn. Mery* satis luculenter ostendit, plus esse sanguinis in corpore hominis, quam testudinis, respectu ad illorum magnitudinem habito, sanguinemque minus emetiri viæ in corpore testudinis quam hominis, & tardius quoque moveri; atque adeo cor testudinis omnino majorem habere vim in circulatione sanguinis promovenda, quam cor hominis, concludit. *Aerem* autem *adjuvare circulationem sanguinis* hoc modo putat; ipsum nempe in inspiratione penetrare ad vesiculas pulmonales, in exspiratione autem ejus aliquam partem ex vesiculis pulmonalibus exprimi in venas pulmonis, eamque sanguinem versus cor repellere, & ipsi largiri impulsionem, qua carebat ad circulationem absolvendam. Aerem porro venis pulmonalibus inclusum commisceri cum sanguine, & quia in qualibet vesicula pulmonali terminatur ramus asperæ arteriæ, & ramus venæ pulmonalis, aerem & sanguinem probe misceri in minimisq; partibus, quando ex venis pulmonalibus in sinistrum cordis ventriculum & arteriam una transeunt. Hanc autem mixturam faciliorem reddere motum sanguinis, tum quod sanguis, qui alias nimium densus gravisque foret, levior redditus est per aerem, qui illum rariorem effecit, tum quod aer sanguini admistus necessario producit infinitas parvas bullulas, quæ sanguinis volumen multum augent, atque ita expandunt cor & arterias, ut vel minima compressio sufficiat ad sanguinem cum violentia propellendum. Systolen ergo cordis putat effici a spiritibus animalibus, dum inflant fibras, atque ita diminuunt capacitatem ventriculorum cordis & canalium arteriosorum; aeri autem diastolen debere originem, dum hic e latere suo naturali ventriculos & arterias dilatat, statim atque desinit com-

pressio, quæ a spiritibus animalibus oriebatur. Interim ne aer tandem circulationem impediret, si tanta ejus in sanguine coacervaretur copia, ut spiritus animales ejus elaterem superare & cor contrahere nequirent; tantum semper ex vasis per transspirationem insensilem exire, quantum per respirationem ingreditur, ita ut nunquam elater aeris vim vincat spirituum animalium. Cum autem probabile sit, transspirationem illam magis lente fieri in testudine, quam homine, hinc quoque causam patere, cur homo crebriori transspiratione opus habeat. Huic tandem accedere pulmonum magnitudinem, quæ proportionaliter major est in testudine quam homine, habetque vesiculas satis capaces, quæ postquam semel repletæ, diu satis sanguini aerem suppeditare possunt.

Dn. Marchio *Hospitalius* demonstrare contendit, cum clarissimi Geometræ statuant, *in puncto inflexionis radium evolutæ semper esse infinite magnum*, dari infinita genera curvarum, quæ in puncto inflexionis radium evolutæ habent æqualem zero, seu nihilo. *Dn. Cassini* d 10 mensis Junii elapsi duas observavit *paraselenas*, quarum distantia a Luna $23^{\circ}.40'$: nec non 19 mensis dicti *arcum cœlestem*, qui cum apparuisset paulo ante Solis occasum, duravit plus quam dimidium horæ quadrantem, postquam totus Sol occubuerat. In paraselenis placuit Domino Cassini *Mariotti* hypothesis, qua utitur in magnis coronis & pareliis explicandis. Diametrum iridis, quæ rubro colore terminabatur, dimensus, eam 84°. reperit, altitudinem vero eo tempore 42°, ita ut in Horizonte ejus esset centrum, ejusque semidiameter 42°, perinde ut in iride, quam *Dn. Richer* in insula Cajenne observarat; unde efficitur, magnam climatum differentiam non producere sensibilem differentiam in magnitudine arcus cœlestis. Cum vero hora 8 & minuto 6 altitudo apparens extremitatis maxime sensibilis fuisset 42°, atque tota iris tandem, elapsa hora 8 & 13. minutis disparuisset, conclusit vapores, in quibus erat formatus illi arcus, paulo plus quam 3000 pedes elevatos fuisse. Cum *Dn. Homberg aquam pluvialem antimonio ruditer contuso affudisset*, atque hæc infusio hyeme integra & duabus æstatibus stetisset quieta, observavit ille latera vitri interna pictura foliorum sibi scite implexorum cooperta. Crediderat equidem, hanc esse crystallisationem aliquam, sed conatus abradere salem a lateribus, deprehendit latera ampullæ induta pellicula subflava, sine apparentia

rentia salis & lineamenta foliorum insculpta quasi huic pelliculæ. Aqua ipsa acidiuscula fuit; rationem vero figuræ foliorum reddere, eorumque formationis, difficile admodum judicavit *Dn. Homberg*. Impressionem vasis lateribus factam ita concepit: cum ampulla per integram æstatem exposita fuerit Solis calori, hunc effecisse, ut aqua in antimonium ageret, & aliquam partem salis ab hoc minerali extraheret. Sal hoc hyeme sequenti fuisse crystallisatum in formam foliorum super limo, qui ab aqua pluvia secesserat: æstate autem sequente denuo crystallos illas fusas fuisse, & acrimonia sua dissolvisse illas limi partes, quibus incubuerant, atque adeo reliquisse in vase suæ figuræ vestigia.

Dn. Tournefort porro ostendit, sine abusu terminum *musculi* in Botanicam posse recipi, si per musculum intelligatur pars quædam ex fibris ita contexta, ut harum contractione cogatur pars illa agere modo aliquo determinato: atque hoc ipsum egregiis novis observationibus in quibusdam plantis factis illustravit.

Dn Varignon exposuit methodum facilem & generalem inveniendi exacte rationem aeris naturalis, ad aerem rarefactum in machina pnevmatica, nec non rationem recipientis aut globi hujus machinæ ad antliam, & numerum exantlationum necessariarum in omnibus suppositionibus possibilibus. Primum autem demonstravit hoc theorema: quantitatem aeris naturalis, qui est in recipiente machinæ pnevmaticæ ante exantlationem semper se habere ad quantitatem aeris residui, post quemcunque numerum eductionis pistilli, ut capacitas antliæ & recipientis simul sumpta elevata ad potentiam, cujus ille numerus & exponens, se habet ad similem potentiam capacitatis solius recipientis. Hoc est, si dicatur

aer naturalis, qui erat in recipiente ante exantlationem *a*.
residuus post finitam exantlationem *u*.
capacitas recipientis *r*.
capacitas antliæ & recipientis simul *s*.
numerus exantlationum *n*.

esse semper generaliter: $a.u :: sn\ rn$.

vel si b, k, l, m, sumantur pro logarithmis quantitatum a, u, s, r,
esse $b, k\ ln, mn$, in proportione Arithmetica,

ac proinde generaliter: $b + mn\ k = ln$, seu $b - k = ln - mn$.

Hinc ergo docuit (1), si detur capacitas recipientis & antliæ, aut tantum

tum earum ratio cum numero exantlationem, invenire rationem aeris naturalis ad aerem residuum; (2) ex data ratione aeris naturalis ad aerem residuum, cum numero exantlationum, invenire rationem antliæ ad recipientem; (3) data ratione antliæ ad recipient[illegible] & aeris naturalis ad aerem residuum, invenire numerum exantlationum necessariarum, ut aer rarefiat in ratione data. Quorum quidem problematum resolutio ex formulis generalibus datis non difficulter potest derivari, remque ipsam, sed sine demonstratione, jam pridem *Dn. Jac. Bernoullius* in Corollario Dissertationi secundæ de Seriebus infinitis adjecto strictim tradidit.

Dn. De la Hire accurate descripsit *insectum*, quod muscis inhærere, easque solet depascere. *Dn. Homberg* recensuit singulare *phænomenon*, quod ipsi contigit *in auro* dissoluto & mislo variis salibus, tandemque fuso cum ferro & smiride. Amiserat enim hoc ductilitatem suam, neque eandem recipiebat, sive id catino (coupelle) cum plumbo impositum ordinario modo purgaret, sive argento colliquatum post aquæ separatoriæ usum (le depart) cum borace funderet, sive tandem alia usitata ad aurum purgandum adhiberet media. Tandem ergo illud cum sex partibus antimonii crudi fudit, regulumque tribus partibus plumbi additis denuo testæ intulit, ut plane plumbum & antimonium evaporarent; sed cum ignis extinctus esset, cum admiratione deprehendit, auri massam quasi coopertam fungo coloris foliorum mortuorum, qui ad primum statim attactum in pulverem abibat. Idem phænomenon rediit, quoties auri massam cum illo pulvere fudit, donec tandem aurum seorsim tractatum primum pulvere simili coopertum, & post tertiam tandem fusionem, sine pulvere & plane ductile redditum fuit; id quod etiam contigit pulveri jam dicto, qui itidem primum in auri massam fungo coopertam, tandem vero post octo fusiones plane in aurum purum putum abiit. Causam autem totam hujus phænomeni probabiliter conjicit in smiridem auro admixtam, putans materiæ hujus excrescentiam fuisse mixturem ex smiride, quæ in auro remanserat, particulisque antimonii, plumbi, ipsiusque auri, atque hanc mixturam diutius in fusione perstitisse, quam reliquam massam auri puri, quæ dum congelabat, se constrinxerit, illasque partes liquidas necdum congelatas coegerit evadere per parvas aperturas supra superficiem superiorem massæ aureæ. *Dn. Mery.*

cum

cum cura examinavit structuram *cutis pelecani*, deprehenditque modum, quo hæc avis cutem aere replet, seque leviorem reddit, reperto ductu, per quem aer ex pulmonibus in sinus membranosos pectoris delatus in cellulas cutis defertur. Situs is est, sub axilla inter apophysin lateralem anteriorem sterni, & primam, quæ non articulatur cum illo, costam, clauditurque membrana vesiculari, & per hunc aer, qui per asperam arteriam ingreditur in pulmones & sinus pectoris, ex his transsit in membranam spongiosam, quæ contegit musculos, atque hinc irruit in cellulas cutis, per foramina membranæ, ubi radix plumarum terminatur; & aperturæ illæ membranarum, quæ formant differentia latera cellularum, permittunt aeri, ut ex unis in alias transeat. *Dn. Varignon* duas demonstravit propositiones, ex quibus deduxit doctrinam de celeritate *ponderum* cadentium *per plurima plana inclinata* contigua, quam nec Galilæus, nec cum secuti Mechanici satis exacte tradiderunt. *Dn. Homberg novum* invenit *phosphorum* facile parabilem, cujus hæc est præparatio: recipe partem salis Ammoniaci pulverisati unam, & duas partes calcis vivæ extinctæ ab aeris humiditate; exacte illas commisce, inditasque caliculo fusorio infer parvo igni fusionis. Quamprimum caliculus rubescet, mixtura liquefiet seque elevabit, unde bacillo ferreo commovenda est, ne effluat. Ubi autem fusa erit, effunde eam in lancem cupream, adparebitque, postquam erit frigefacta, grisea, & quasi vitrefacta, sique illi durum aliquod corpus incuties. v. gr. ferrum aut cuprum, momento ignescet quasi omni illa in parte, cui ictus est incussus. Possunt etiam bacilli ferrei aut cuprei intingi catino, quando adhuc mistura est in fusione, ut illa obducantur, & eo commodius experimentum capi possit, asservarique in loco sicco, ne ab aeris humiditate corrumpantur.

CONCILIUM VETERUM ET NEOTERICORUM DE conservanda valetudine, sive de morborum causis procatarcticis, in qua rationes experimentorum suffragiis discussæ exarantur. Auctore MICHAELE ANGELO ANDRILLO Phil. & Med. Veron. in Veneto Collegio cooptato.

Lugduni apud Joh. de Lupisa, 1693. in 4. Alph. 2. pl. 4.

PRopositum est clarissimo Auctori in causas procatarcticas, quæ varios morbos generant, accuratius inquirere, atque demonstrare,

 quod,

quod, quæcunque hactenus experimenta fide & industria Recentiorum peracta fuerint, doctrinas Veterum illustrent atque stabiliant. Has vero causas appellare voluit sex illas res non-naturales, nimirum aerem, animi pathemata, motum & quietem, somnum & vigiliam, cibum & potum, excreta & retenta. Non ignorat equidem Noster, res illas maxime naturales esse nobis; interim tamen, cum erroneo usu causæ nobis morborum fiant quotidie, non-naturales cum aliis nuncupare haud dubitavit. Operæ itaque sibi pretium facturus visus est, si secundum numerum sex rerum non-naturalium, totum librum sex complecteretur partibus, singulasque denuo in varios subdivideret articulos; causas hinc morborum principales eo promtius rimaturus, selectas Neotericorum observationes diligenter annotando, & ad doctrinas Veterum debite applicando. Initium libri facit ab aere, quem maximum in omnibus, quæ corpori accidunt, cum Hippocrate auctorem & dominum agnoscere non ambigit. Quapropter in parte I. recensitis, quæ indefesso hactenus studio recentiores edidere, experimentis, naturam variosque aeris effectus scrutatur; & quæ ex frigido & intense calido, aut pravis effluviis inquinato evenire possint mala, adjicit. Judicat denique saniores illos, quibus hyems & æstas temperatæ contingunt, historiisque comprobat cosmographicis. In parte II, præmisso generali pathematum animi examine, animo præsenti & tranquillo eos esse jubet, qui commoda frui valetudine cupiunt. Ægritudines etiam animi enumerat prolixius, mediaque, quibus obicem illis ponere facile queamus, adjungit. In parte III. de motu & quiete exponit, quantum commodi ex utriusque usu moderato, tantum etiam malorum ex immoderato in nos redundare; quibus tamen propulsandis adjicit remedia. In parte IV. explicatis somni vigiliæque natura & causis, præcipue ostendere satagit, quæ ex abusu horum toto die nascantur vitia; artificiaque subnectit, quibus somnum, si capere non possimus, nobis conciliare queamus. De insomniis disserens, ex illis sanitatem morbosque prædici posse, variis declarat exemplis. In parte V. de excretis & retentis scribens, varias evacuationum enumerat species, ut sunt vomitus, alvus lubricanda, sudor, insensibilisque transpiratio. Et Veneris abusu cum vires maxime dejiciantur, in hoc explicando prolixius occupatur, monendo insuper, quibus mediis castitas servari possit. In parte VI. de victus ratione agens, alimentorum natu-

naturam, quantitatem, qualitatem prolixe explicat, tempusque opportunum constituit, quo rite assumi debeant. Concludit tandem, subnectendo theoremata, quibus ostendit, omnes ac singulos debere commodam sibi aptamque victus quantitatem, si longiori frui vita velint, determinare.

LA MEDICINA VENTILATA NEL SALASSO, & nella Purgatione &c.
seu:
Examen Medicum Venæsectionis & Purgationis, auctore STEPHANO PICCOLO, Medico Philosopho Veronensi.

Coloniæ 1695, in 4. Alph. 1. pl. 1.

PRomitttit nobilissimus Autor in ipso libri titulo quinque partes, de venæ sectione, purgatione, systemate principiorum, privilegiis somni, & vigiliarum. Prima solum pars adhucdum lucem vidit, de venæ sectione, quæ cum purgantibus maxime salutare constituit præsidium. Cum vero juxta Willisium morbi eventus, omniumque, toto ejus decursu, accidentium apparatus phlebotomiæ, modo neglectæ, modo celebratæ, imputari soleat, occasio scribendi fuit constitutio maligna anni 1693. indeque enatus morbus epidemius. Statuit hinc, quod venæ sectio sit remedium conveniens, utile & necessarium corpori nostro, in statu plethorico, seu plenitudine sanguinis & abundantia, unde facile in motu suo impediatur, spissescat & morbificus evadat, idque elegantibus flosculis ex recentiorum hypothesibus confirmat. Probat idem latius contra Helmontium, cujus verba de liberaliori missione differentis citat, nec illam adeo vires prosternere, naturæ vero mori & æmulationi in variis morbis respondere, demonstrat. Ipsam quoque cacochymiam in sanguine per venæ sectionem cum fructu expediri posse, veterem corporis succum emittendo, novum sensim inducendo, una ventilando, revellendo & emendando eundem, non minus ostendit, ac stante etiam circuitu sanguinis, revulsionem & derivationem concedi posse; posita videlicet quantitate imminuta & pressione urgente, ipsorum musculorum, aeris & fibrarum circularium, quo dato spatio ampliori sanguinis motus & celerior & potentior concitetur, in doloribus, inflammationibus, contusionibus, suffocationis metu, angina. Limitari vero hæc a regione, anni tempore, ætate

aliisque circumſtantiis, dum v.g. inprimis in ſeptentrionali climate parcius mittendus veniat ſanguis, quam in calidis. Explicat iſta fuſius differendo de inflammationum cauſis & fiendi modis, ſecundum inæqualem motum acceleratum ſanguinis, earum ſpeciebus, peripneumonia, pleuritide, ophthalmia &c, & ad objectiones reſpondendo allegat cumprimis, tanquam indubitatum exemplum, beneficium revulſionis in hæmorrhagiis, quando, juxta Tertullianum, ſanguinis fluxum perfuſa inſuper venula revocat medicus, ipſis recentioribus conſentientibus laudatis. Nec poſſe remedia acido peregrino coagulativo oppoſita, citra venæ ſectionem magis præſentaneam, paria illis in caſibus facere; ubi & uſque ad coloris mutationem, imo usque ad animi deliquium, venam ſecandam eſſe docet, facile vel aquæ aſperſione avertendum. His præmiſſis, in ſpecie definit, quod in febribus conveniat venæ ſectio, indicationibus ſufficientibus non temere vel inconſiderate, ſed prudenter examinatis. Hinc ad febrium pathologiam digreditur calorem inimicum & peregrinum naturæ, productum ab effervelcentia præternaturali ſanguinis virtute multum expanſiva præditi, a motu quem inſequitur & tumultu inordinato principiorum, ſeu excandeſcentiæ febrilis; non vero a diminuta & tardiori ſanguinis circulatione. Unde infert, in tali ſtatu ſanguinis turbato, quo læduntur ſpiritus vitales, tanquam primi animæ miniſtri, indicari venæ ſectionem, quod depleat, ventilet, & tollat impetum inordinatum. Idque in omni febre, exceptis febre ephemera & hectica, niſi grave quid urgeat. Maximum momentum conſiſtere in febribus, quæ ſunt indolis malignæ, aut minantur eſſe, aut fingunt non eſſe. Una hinc harum curioſe delibat naturam, ſupponens nil aliud eam eſſe, quam deſtructionem formæ ſanguinis, ſeu corruptelam, cuicunque demum ſecundum diverſas hypotheſes autorum illa debeatur. Agit ergo de venæ ſectione in peſte ipſa, & malignis aliis, prudenter diſtinguens & urgentia indicantia, & momenta horaria ipſa, & gradum malignitatis aliaque, nec abſolute concedens, nec ſimpliciter denegans eandem, ſed dexteritati Medici cuncta relinquens. Illuſtrat hæc exemplis & locis dubiis ex ipſo Hippocrate, & Galeno, non unis. Subjungit hinc examen ſymptomatum febrium inprimis, quæ contra-indicare queant veneſectionem, ut fluxus alvi, petechiarum, parotidum, abſceſſuum, variolarum, menſium

fluxus,

fluxus, graviditatis, inprimis in venis inferioribus, puerperii, etiam cum variolis, ac tandem ætatis ac anni temporis.

MARTINI LISTER EXERCITATIO ANATOMICA ALTERA, in qua de Buccinis fluviatilibus & marinis maxime agitur, quorum dissectiones tabulis æneis illustrantur. His accedit Exercitatio Medicinalis de Variolis.

Londini apud Sam. Smith & Benj. Walford. 1695. in 8 Alph. 1. pl. 3. & figurarum tabulis 6.

SAtis exactam ab Autore celeberrimo Cochlearum terrestrium hactenus vidimus dissectionem, quam A. 1695. M. Jul. p. 316. recensuimus: novam tamen alteramque luci exponere exercitationem, ut curiosorum desideriis porro satisfaceret, idem constituit. Cum vero in prima comprimis sermonem de terrestribus fecerit, in altera hac fluviatiles marinasque solicite examinat, tabulisque illustrat æneis; in fine Disquisitionem Medicinalem, ut vocat, de Variolis adnectens. In supplementum prioris Exercitationis, antequam ad propositum accedat, duarum adhuc mentionem facit terrestrium, quarum alteram ob ambiguitatem ejus ad fluviatiles viviparas quodammodo referri posse putat; alteram, cum in Historia Cochlearum Angliæ nondum delineaverit, compressam ac unicolorem, umbilicoque circinato satis ab aliis distinctam describit, androgynam non minus ac reliquas terrestres ex dissectione genitalium facta enuncians. Ipsis jam fluviatilibus marinisque manum admovens, partes tum externas, tum internas oculo sistit. Externæ ipsi sunt operculum testaceum, per cornicula, oculi ad horum radices positi, os angustum fistulosumque cum promuscide, gula; detracta vero testa, ligamentum cartilaginosum, quo cochleæ cum operculo committuntur, ingens apertura, quam super caput retro paululum stylo statuve cognovit, & foramen rotundum angustumque, quo piscium plane more aquam recipiunt atque eructant. Internas porro partes, & quidem scissa membrana dorsali, sphincterem intestini recti, ipsum intestinum usque ad hepar intestinale, ut vocat, productum, ventriculum rugosum capacissimumque, corculum exiguum, penem fibrosum ac fistulosum, uterum extra cochleas positum, fœtus perfectos atque imperfectos copiose continentem, vanium ad fundum uteri adnexum detegit. Circa genitalia occupatis-

 simus,

ſimus, ſingulis anni menſibus uterum cochleæ maximæ, viridefcentis, faſciatæ, tanquam viviparæ, nec aliarum inſtar androgynæ, aperuit, in quo ſemper fœtus ovaque plurima curioſo luſtravit oculo, atteſtantibus potiſſimum Figuris tabulæ 7. ex Auctoris Hiſtoria Conchyliorum in *Actorum Supplem.* Tom II, Sect. 5, p. 249 jamjam tranſcriptis. Ova in vivis mollia, tenuique inveſtita membrana, coctione vero indurata fuiſſe deprehendit, quæ aquis immerſa biduum, intumuerunt, corpuſculumque album, quod movebatur, manifeſtarunt. Præter enarratas partes adjicit nonnullas, quas in marinis, utpote majoribus, conſpicere potuit; nimirum aortam, venam cavam, peculiareque viſcus innominatum, cordi ſemper adjacens, e quo ſingulæ venulæ cordi inſerebantur. Illud meſenterii, veri hepatis, lienis aliorumque viſcerum vices ſuſtinere judicat, quo ſuccus vitalis paululum retardetur. Cur vero fluviatiles aqua marina, marinæ fluviatili, terreſtres utraque necentur, ex ſalſedine & pondere aquæ deducit. De cerebro tandem iſtorum animalculorum acturus, cochleas, quod carnem per ſe humidam poſſideant, cerebro non adeo lubricante, ut cætera animalia, inſtructas eſſe opinatur. Plura hinc de cerebri ſubſtantia verba faciens, œconomiam animalium paucis percurrit, & a cerebro pituitoſum quendam humorem, qui externas filamentorum nervoſorum partes perreptet, ipſasque membranas irriget, tranſcolari non ambigit. Digreditur tamen longius, & quæ Leuvvenhookius microſcopio de cerebri ſubſtantia detexit, perſtringit. Miratur ſcilicet Noſter, quod Leuvvenhook corticalem æque ac medullarem cerebri ſubſtantiam ex innumeris vaſculis tenuiſſimis conſtare admittat, ubique facta mentione glandularum, quas Malpighius aliique in cerebro ejusque meningibus ad oculum demonſtrarunt. Pergit hinc ad ſuccum cochlearum vitalem, qui licet frigidus ſit, vitam ſervare debeat. Motum vero vitæque principium a motu cordis, calorem a particulis ſulphureis, quæ ab aere veniunt, deducit: has igitur particulas ab aquis, quas penetrare opus habent, impeditas, calorem ſuum in his adeo exſerere non poſſe, ut in aliis, ſuſpicatur. Quibus omnibus corollaria adjecit difficultates nonnullas declarantia.

In Diſquiſitione Medicinali de Variolis, explicatis Veterum, inprimis Arabum, æque ac recentiorum ſententiis, ſuam hac de re adjungit conjecturam. Originem nimirum variolarum ex beſtiolæ venenatæ

morſu

morsu trahit, in omnesque hinc homines partim hæreditate, partim contagio transiisse arbitratur: in eo confirmatus, quod apud veteres, ex hoc serpentis morsu similes nostris fere pustulas natas observaverit Plinius. Stabilire porro suam conatur sententiam, enarrando prolixe symptomata, quæ homines plerumque hoc tempore invadere solent, quæ cum illis, quæ ex morsu animalculorum venenatorum accidunt, conveniant. Contagio in homines transferri ægritudinem istam sibi persuadet, admittens, aerem ab effluviis hominis variolati inquinatum, & ab alio inspiratum, deglutitione salivæ contaminatæ facta, totam massam sanguineam inficere. Ita Indos ab Anglis variolatis maxime infectos, a fide dignis testibus, Marindaliæ incolis, sibi narratum Auctor testatur. Sanguini hinc commista effluvia venenosa, cum circulatione ejus cutaneos etiam glandularum ductus propelli posse non dubitat, quarum extrema oscilla velicando inflammare atque in vesiculas attollere adveniens nova semper sensimque aucta materia possit, donec justam acquirant magnitudinem. Hæreditate in prolem ex inquinatis parentibus, hæreditario quodam infortunio, propagari idem malum posse, verisimile ipsi videtur. Exhibitis denique morbi definitione, signis causisque, nonnullas recenset observationes, suamque, qua usus fuit, jungit methodum, adversariorumque respondet objectionibus: perstringendo una modum curandi aliorum, qui de novis medicamentis glorientur. Ex observatis denique elicit, venæ sectionem, vomitum, purgationem, enemata, vesicatoria, frigidæ potionem, & similia evacuantia & frigida in variolis, ad caloris quidem febrilis excessum temperandum conferre, sed nullo modo diminuere materiam venenatam, aut solvere morbum; cujus curam sola expulsione papularum, a venenato vapore excitarum, perfici declarat. Coronidis loco medicamenta, quibus usus fuit, seorsim examinat, horumque duas constituit classes, altera illa, quæ inflant, superfluum expellunt, pustulasque excitatas maturant; altera ea, quæ proprie veneno adversantur, explicans.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE ECclesiastique des Six premiers Siecles &c.

i. e.

i. e.

Commentarii componendæ sex priorum seculorum Historiæ Ecclesiasticæ inservituri. Tomus II.

Bruxellis apud E. H. Frick, 1695. 12. Alph. 3. pl. 6.

TOmum primum hujus operis, quod doctissimum Tillemontium occupat, recensuimus mense Junio A. 1695. p. 249. seqq. Nunc itaque Tomi secundi, qui se nobis sistit, summam eadem ratione indicabimus.

Tom. II. Pars I. Tribus autem & iste absolvitur partibus, quarum prima Stephanum Diaconum, Nicodemum confessorem, Gamalielem celebrem legis interpretem, ejusque filium Abibam, Mariam Magdalenam, Lazarumque & hujus sorores Martham & Mariam, Simonem Magum hæresiarcham, Nicolaum & Nicolaitas, Menandrum, Gnosticos, Cerinthianos, Theclam virginem, Philippum Evangelistam, persecutionem Neronianam, Gervasium & Protasium Martyres Mediolanenses, Nazarium & Celsum itidem Mediolanenses, Martyres, Marcum Evangelistam, Johannem Marcum Barnabæ discipulum, Apollinarium, Nazarenos Ebionitasque hæreticos, Hermam, persecutionem Ecclesiæ sub Domitiano, Dionysium Areopagitam, Flaviam Domitillam virginem martyrio insignem, ejusque avunculum Clementem Consulem & Martyrem, Lucam Evangelistam, Titum & Timotheum Pauli Apostoli discipulos, & denique Clementem Romanum Episcopum & Martyrem exhibet. In notis ad vitam Divi Stephani, de templo antiquissimo Anconæ in Proto-Martyris memoriam extructo, & Augustino laudato disserit. De anno & die, quo interfectus sit Stephanus, certi quid definiri posse abnuit, utut consuetudine, in occidentali præcipue Ecclesia, receptum sit, 26 diem Decembris memoriæ ejus consecrare. Ceterum quoniam in ipsa Stephani historia de reliquiis ejus prolixe egit, in notis, quæ forte in hoc argumento obscura videri poterant, uberius pertractat. Hinc de die, quo corpus Stephani repertum sit, verba facit. Varias relationes, quæ de reliquiarum Stephani detectione extant, sub examen revocat, Orosiumque eas in Africa reliquisse negat. Petroniam quoque, quam Stephanus sanitati restituisse dicitur, eandem cum Megecia esse contendit: & tandem quæ de translatione corporis Stephani narrantur, aut aperte falsa, aut suspectæ saltem fidei esse autumat. Ad Gamalielem provectus, redarguit auctorem

T
Pa

ctorem libri Recognitionum, asserentem, Gamalielem suasu & auctoritate Apostolorum adductum, Christianam religionem, cui addictus fuerit, dissimulasse. Hoc a moribus Apostolorum plane abhorrere ait. Interim non negat, Gamalielem tandem Judaicam, cui innutritus erat, superstitionem, cum filio Abiba exuisse: ast ante Apostolum Paulum eum conversum fuisse, asserere non audet. Subjungit denique, quæ de Gamaliele ejusque familia in scriptis Judæorum referuntur. De Maria Magdalena cumprimis sollicitus est, eamque a Maria Lazari sorore, ut & peccatrice illa, de qua Lucas c. VII. v. 37. egit, secernendam esse monet, & prolixe ac erudite probat; litem olim hodieque hac de re agitatam commemorans, indicansque sententiam a Theologis Parisiensibus olim rejectam, deinceps autem a doctissimis viris Parisiis defensam fuisse. Peccatricem illam in Galilæa, non autem Hierosolymis, a Servatore criminum suorum impetrasse veniam, docet. Marcellæ historiam de Magdalena, ut spuriam rejicit: rationemque, cur Ephesum Magdalena commigraverit, indicat. Fueritne Epheso, an ex Bithynia, ut alii volunt, corpus Magdalenæ Constantinopolin translatum, auctores inter se non convenire observat. Sequitur hinc Simon ille Magus & Hæreticorum princeps, cui statuam Romæ positam, prolixe probat. Nec errasse asseverantem hoc Justinum, aut Simonem cum Semone Sanco confudisse, ut nonnulli recentiorum objiciunt, contendit, idque pluribus argumentis erudite evincit. Ast Paulum Apostolum in Ep. ad Coloss. cap. II. v. 18. ad Simonis hujus discipulos respicere, contra Dionysium Petavium negat. De Nicolao, fueritne hæreseos conditor auctorque, an dicto saltem imprudentiori ei præbuerit occasionem, in ipsa Historia disquirit: in Notis autem, an fuerit unus ex 70 Discipulis, disputat; quod affirmare quidem non audet: interim ex hoc capite, quod non fuerit Judæus, negari hoc non posse contendit, cum contrarium facile demonstrari queat. Addit etiam, incerta, imo falsa esse, quæ ab Auctore, quem Sirmondus sub nomine Prædestinati edidit, de concilio quodam Antiocheno contra Cainites celebrato tradit. Cerinthum, cujus dogmata in Historia ipsa commemorat, tempore Domitiani vixisse, suosque disseminasse errores, monstrat. Cumque constet, eum Jesum discrevisse a Christo, & asseruisse, Christum pati non potuisse, locum

Ephiphanii, in quo dicitur ex mente Cerinthi, Christum passum esse, ita emendandum censet, ut pro voce *Christus*, *Jesus* substituatur. Denique de Cerintho & istud observat, eum Revelationem quandam ad exemplum divi Johannis commentum esse, neutiquam autem, ut nonnulli arbitrantur, Johannis Apocalypsin sibi vindicasse. De Thecla virgine disserens, Vitam ejus, quæ Basilio Seleucienfi tribuitur, nullius esse auctoritatis demonstrat. Ex Methodo autem Theclæ hujus vitam recte peti putat: Homiliam autem de vita Theclæ Chrysostomo, cui tribui solet, adjudicat; nec martyribus, quod alii faciunt, hanc virginem annumerat. Philippum, qui Samariæ doctrinam Evangelii annunciavit, non Apostolum illum hoc nomine insignitum, sed Diaconum, qui & Evangelista ideo dicatur, fuisse probat. Eunuchum autem Candaces ministrum, non Gentilem, ut nonnulli putant, sed ad Judæum, aut saltem Proselytum fuisse statuit: Chrysostomum autem non asserere, quod, ut paschatos festo interesset Hierosolymam profectus sit, contra Baronium monet: ast quod Augustinus velut ex Actis Apostolorum refert, Spiritum Sanctum super Eunuchum delapsum, id in hodiernis Novi Testamenti codicibus non legi, legi tamen in nonnullis manuscriptis. Neronianæ persecutionis historiam texens, ad Epistolam ad Diognetum provocaverat. In Notis ergo uberius demonstrat, Justinum Martyrem neutiquam pro ejus auctore haberi posse. Neronis autem persecutionem non particularem fuisse, sed per totum Imperium se diffudisse, contra Dodvvellum asserit. Subjungit quoque nonnulla de quibusdam martyribus Etruriæ, de actis Vitalis, de reliquiis Urficini, ut & de Hermagora & Fortunato Aquileiensi. Ad Gervasium Protasiumque Martyres delatus, hoc sibi potissimum evincendum sumsit, sub Nerone eos mortem pro doctrinæ cœlestis veritate subiisse. Ambrosii Epistolam quinquagesimam tertiam, unde multa, quæ huc spectant, desumi solent, spuriam esse pronunciat. Multa quoque de utriusque reliquiis addit. De Nazario autem & Celso verba faciens, Acta, unde horum vita peti solet, spuria esse contendit. Matrem Nazarii a nonnullis Perpetuam vocari monet, & a Nazario Mediolanensi, Nazarium Romanum itidem Martyrem, discernendum docet. Hinc ad Marcum Evangelistam progreditur. Acta ejus a Bollando edita seculo demum IV aut V conscripta, & hinc non adeo

magnæ,

magnæ, sed tamen nec nullius auctoritatis esse, pronuntiat. Marcum vero septuaginta discipulis annumerandum esse negat. Evangelium ab eo anno 45 conscriptum putat, & quidem Græco, non Romano idiomate. Ultimum quoque Evangelii hujus caput ab ipso Marco additum fuisse, probat. Præterea, ut alia minoris momenti prætermittamus, rationibus comprobat, Marcum anno 49 in Ægyptum missum esse. Hinc de Therapeutis Philoni commemoratis differendi illi subnascitur occasio, quos Christianos fuisse, contra nonnullos recentiores cum Eusebio asserit, & Blondellum cum Essenis male eos confudisse observat. Disputat quoque, an Episcopi Alexandrini olim a Presbyteris constituti ac ordinati sint; & an alii in Ægypto præter Alexandrinum fuerint Episcopi? Illud negat: hoc affirmat. Mortuum autem esse Marcum A.C. 68. asserit, idque argumentis evincit. Reliquias ejus excutiens, historiam, quam Bollandus aliique de translatione corporis Marci in urbem Venetam afferunt, genuinam esse inficiatur: Johannem vero Marcum Mariæ filium, nec cum Johanne Evangelista, nec cum Marco Evangelista confundendum esse, sedulo inculcat: Marcum autem Barnabæ cognatum eundem, cum Johanne Marco fuisse, verosimile existimat. De Apollinario & Ebionitis postquam pauca monuit, & hosce quidem circa tempora Domitiani ecclesiam turbasse probavit, de Herma, cui liber *Pastoris* nomine insignitus tribuitur, uberius disquirit. Nimirum librum istum Hermæ paulo ante Domitiani persecutionem scriptum esse, probat; ast Hermam fuisse Sacerdotem, contra Dodvvellum negat: genuinum quoque esse istum librum, qui hodienum *Pastoris* titulum præfert, contra Cocum & Rivetum demonstrare annititur, tandemque monet, cum Herma non confundendum esse Hermem Pii Pontificis fratrem. Ex iis, quæ ad persecutionem Domitiani notavit, hoc saltem observamus, quod A. Christi 95. secus ac Baronius aliique sentiunt, huncce Imperatorem in Christianos sævire cœpisse arbitretur. Dionysium Areopagitam sub eodem Imperatore martyrio affectum docet, Græcorumque de eo fabulas explodit. De operibus, quæ Dionysio huic tribuuntur, erudite disserit, eaque perperam huic auctori vendicari, adeo manifestum esse ait, ut nemo antiquitatis mediocriter peritus ea de re dubitare possit; simulque Natalem Alexandrum secus sentientem notat. Circa vitam Domitillæ hoc agit,

ut S. Domitillam hanc, eamque virginem, distinguat a Domitilla Flavii Onesimi uxore; cum Victorino quoque martyre non confundendum Victorinum pœnitentem, docet. Lucam Evangelistam non Judæum, sed Gentilem fuisse, priusquam Christianorum disciplinam sequeretur, valde vero simile esse ait. Eundem non ipsius Christi, sed Apostolorum discipulum fuisse probat, Græcorumque de eo commenta explodit. Historiam Evangelicam ab eo anno circiter 53. conditam fuisse arbitratur, & contra Estium probat. Theophili, cui libros suos inscripsit Lucas, nomine non quemvis Dei amantem, sed certum hominem indigitari pronunciat, & alia de morte & reliquiis ejus subnectit. Timotheum nec Derbæ, nec Thessalonicæ, sed Lystræ potius natum esse probat: ast eum cognatum Pauli fuisse, probari posse abnuit. Eundem a Paulo Philippos missum & in custodiam datum anno 62, ex Ebr. XIII. v. 23. colligit. Hinc de Actis Timothei, quæ Polycrati tribuuntur, de tempore, quo mortuus est, & de corpore ejus Constantinopolin translato disserit. Tandem de Clemente Romano observat, nonnullos asserere, quod Petrum in Episcopatu Romano immediate exceperit: alios autem quod quartum inter Episcopos Romanos occupet locum. Fatetur difficile esse, veterum sententias hac super re conciliare; tandem tamen Baronii sententiam, a qua Cotelerium quoque, Bollandum, & Alexandrum non procul abesse ait, approbat, quod Clemens a Petro Episcopus ecclesiæ Romanæ fuerit constitutus, sed quod sua sponte & Lino & Anacleto cesserit, & hisce demum mortuis hocce munus adierit. In chronologia Lini, & ceterorum Romanæ ecclesiæ Episcoporum ad Pontianum usque, Eusebium se sequi dicit, idque non sine ratione a se fieri prolixe probat. Hinc de tempore, quo Linus mortuus est, ejusque martyrio, adhuc quædam observat, & Cletum eundem cum Anacleto esse probat. Epistolam Clementis ad Corinthios circa annum 97 scriptam esse asserit, & loca quædam obscuriora hujus Epistolæ illustrat, additisque nonnullis de tempore, quo Clemens mortuus est, ejusque martyrio, disquirit: & tandem de altera Epistola ad Corinthios, quæ Clementi tribuitur, & cujus fragmentum Junius cum priori edidit, quædam observat.

Pars Secunda hujus Tomi sistit persecutionem Ecclesiæ sub Traja-

Trajano, Simeonem Episcopum Hierosolymitanum, Ignatium, Evaristum Romanum Episcopum, hæresin Elcesaitarum, ac Saturnini & Basilidis, persecutionem Ecclesiæ sub Adriano, Alexandrum Romanum Episcopum, Symphorosiam ejusque septem liberos Martyres, Sabinam Serapiamque, Telesphorum Romanum Episcopum & Martyrem, cum Hygino successore ejus; hæreses Carpocratianorum, Valentinianorum & Antitactarum, Marcionitarumque; Pium Papam, hæreses Ophitarum & Sethianorum, Marcosianorum & Arconticorum, Papiam Johannis discipulum & Millenarios; porro persecutionem Ecclesiæ sub M. Aurelio Antonino, Felicitatem ejusque septem liberos Martyres, Polycarpum, Ptolemæum, Lucam & anonymum quendam itidem Martyres, & tandem Justinum Philosophum & Martyrem. Tom. II. Pars II.

In Notis ad persecutionem Trajani, Eusebium contra Pearsonium & Dodvvellum desendit, quod asseruerit, Simeonem Hierosolymitanum anno 10 Trajani martyrium subiisse: Tiberiani ad Trajanum epistolam ut spuriam rejicit: de Antonino Pro-Consule Asiæ, de quo Tertullianus, Cæsario Martyre, actis Hyacinthi & Eudociæ, & aliis Martyribus disquirit. Simeonem ad Hierosolymitanum Episcopatum ante annum Christi 70 pervenisse autumat. Ignatium post Evodium demum ad Episcopatum Antiochenum evectum, sed a Petro Apostolo tamen consecratum fuisse pronuntiat, & ita cum Eusebio conciliare Chrysostomum annititur: hinc varios de Evodio Antiocheno rejicit errores, & de Actis martyrii Ignatii, pace Ecclesiæ Antiochenæ, Rufo quoque & Zosimo disputat. Epistolam ad Polycarpum Ignatio vendicat: Ignatii autem ad Philippenses & alias nonnullas suppositias esse agnoscit. Addit denique nonnulla de morte Ignatii ejusque reliquiis. Disquirit porro, quamdiu Episcopatui suo præfuerit Evaristus. Basilidem & Saturninum post Apostolórum demum ætatem, & quidem sub Adriano vixisse affirmat. Et ad Adriani quidem persecutionem, qua Christianos vexavit, delatus, de Martyribus nonnullis & Sanctorum actis disceptat: Quadratum anno Christi 126 Apologiam suam Imperatori exhibuisse pronuntiat, eumque cum Episcopo Atheniensi, cui itidem Quadrati nomen hæsit, neutiquam confundendum esse, sedulo inculcat. Ex iis, quæ ad vitam Alexandri Romani Pontificis notavit, maxime observatu digna sunt chronologica. Alexandrum itaque anno Christi 119, tertio Adriani, mortu-

num

um esse pronuntiat: circa annum, quo Primus, Episcopus Alexandrinus quartus, mortuus est, Eusebium notat; Justum autem, quintum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum anno 133 mortem obiisse memorat: Sixtum I, Episc. Romanum, quem & aliis Xystum dici observat, A. 128. die 23 Decembris, mortuum esse putat, idque rationibus confirmat. In notis ad vitam Symphorosiæ sollicitus est de quibusdam Sanctorum Actis, & id genus aliis huc pertinentibus quæstionibus. De Telesphoro Pontifice disputans, errores quosdam communes profligat, notatque Pontificale antiquissimum, in quo perperam dicatur, eum Episcopatui suo præfuisse temporibus Antonini & Marci, (ita enim legendum censet pro Antonini Macrini:) de tempore etiam, quo Eumenes Episcopus Alexandrinus mortuus est, itemque quamdiu Episcopatui præfuerit Hyginus, disputat. Ad Hæreticos iterum digressus, Carpocratem circa tempora Adriani in scenam prodiisse evincit: nec falsum esse, quod Tertullianus dixit, Valentinum duabus vicibus ex ecclesia esse ejectum, contra Pearsonium autumat. Eundem Valentinum tempore Aniceti Pontificis mortuum esse asserit; unde falli Tertullianum concludit, qui eum sub Eleutherio adhuc vixisse dicit. Fabulam quoque Prædestinati de Heracleonte ab Alexandro Pontifice damnato rejicit. Marcionem errores suos circa annum 145 spargere cœpisse, & aliquot post annis Justinum suam edidisse Apologiam, prolixe docet. Tertullianum Libro IV contra Marcionem cap. 4. pro Cerdone dixisse Marcionem asserit, & hac occasione contra Pearsonium disputat: quæ Epiphanius de placitis nonnullis Apellis refert, non satis cum iis, quæ Tertullianus, Origenes, Eusebius habent, consentire monet. Pium Pontificem Hygino, non Aniceto successisse, & quindecim circiter annos Episcopatui Romano præfuisse, probat. Hermem fratrem Pii eundem fuisse cum auctore libri, cui titulus *Pastor*, contra Baronium denuo negat. Literas quoque ad Justum Viennensem, quæ Pio huic tribuuntur, spurias esse pronuntiat: & denique de Sanctis quibusdam & eorum Actis non nulla subjungit. In notis ad Marcosianos Baronium perstringit, asserentem, concilium Gangrense sub Constantino celebratum in eoque Eutacten condemnatum esse. De Papia autem observat, eum fuisse discipulum Johannis Apostoli: sententiam de morte Judæ, quæ Papiæ tribuitur, sibi neutiquam verosimilem videri, nec vere Papiæ adscribi,

scribi, non dissimulat. M. Aurelii Antonini persecutionem illustrans, Athenagoræ Apologiam anno 177 scriptam, probat: multa quoque de variis Sanctis, qui hac ætate martyrio affecti sunt, Sanctorumque Actis observat. In notis ad Polycarpum, historiam quandam de vita Polycarpi ut suppostitiam rejicit, & de ceteris Episcopis, qui ante eum Ecclesiam Smyrnensem rexerunt, disserit. Cumprimis autem in eo operosus est, ut ostendat, Polycarpum die 23 Februarii, anno 6 imperii Marci Aurelii & L. Veri, sive 166 Christi, martyrio affectum fuisse. Refellit hic Pearsonium, autumantem, quod Polycarpus anno 147 martyrium subierit. Tandem ad Justinum perveniens refert, vitam Justini jam olim a se conscriptam fuisse, priusquam animum ad hosce commentarios edendos induceret. Hanc itaque, paucis mutatis, operi huic inserere ei placuit. In notis, Justinum circa annum 103 natum esse, non plane a veritate abhorrere putat. Patrem Justini Priscum, avum Bachium dictum fuisse probat. Eundem qua religionem, qua stirpem, Gentilem fuisse, priusquam Christianorum sacra amplecteretur: conversum autem eum fuisse circa annum 133 affirmat. Quod ad libros Justini attinet, breviorem istam Dissertationem ad Gentiles sive Græcos, non confundendam esse cum ejus Exhortatione ad Græcos monet: ipsam autem Exhortationem omnino Justino vendicat, & num eadem sit cum Elencho ab Eusebio commemorato, disquirit. Hinc de libro ejus de Monarchia, scriptis contra Aristotelem, & aliis, quæ perperam Justino tribuuntur, disputat: Apologiam Justini prolixiorem primam esse, eamque circa annum Christi 150 conscriptam docet: Epistolam Antonini ad provincias Asiæ de Christianis agentem, non Marco Aurelio, sed Tito Antonino Pio tribuendam prolixe evincit: alteram eamque minorem Justini apologiam ad Marcum Aurelium scriptam putat; tandemque de Actis, ut vocantur, Justini disquirit.

In Tertia denique Tomi II parte de Concordio Presbytero & Martyre Spoletano, Aniceto Papa, Melitone Episcopo Sardensi; Encratitis, Severianis, Apostolicis & Hydroparastatis hæreticis; de Montanistis & Cataphrygibus, Dionysio Episcopo Corinthio, Claudio Apollinari, de Bardesane hæreseos conditore ejusque filio Harmonio, de Alogis hæreticis, & Sotere Papa, disserit. Tom. II. Pars II.

In notis ad Concordium, Anicetum & Melitonem, de Sanctis nonnullis & Sanctorum Actis, ut & difficultatibus nonnullis chronologicis

gicis

gicis differit: Melitonem autem Sanctis annumerare non dubitat, etiamsi ab Anthropomorphitarum errore non alienus fuerit. Tatianum Encratitarum aliorumque hæreticorum principem & patrem rhetoricam docuisse, ex Eusebio probari posse negat. Abnuit quoque, Concordiam sive Harmoniam Tatiani hodie superesse. Montanistarum hæresin circa annum Christi 171 caput extulisse asserit: Mysiam Montani patriam partem Phrygiæ fuisse autumat, indeque Montanum & Phrygium, ejusque sectatores Phrygios, itemque Cataphryges dictos fuisse. Eleutherium Papam Martyresque Gallos Eusebio memoratos Montanistarum hæresi favisse negat: at Victorem Papam iis pluscululum indulsisse agnoscit: Epistolam Serapionis contra Montanistas in Concilio quodam scripta putat: Apollonium cum Thrasea & Asterio Urbano, & hunc rursus cum aliis subinde confundi monet. Hinc nonnullis de Zotico observatis, concilium Iconiense tempore Firmiliani circa annum 231 celebratum fuisse pronuntiat: perperam a Blondello asseri, quod Epiphanius docuerit, tempore Johannis Evangelistæ Thyatiræ nullam fuisse Ecclesiam, probat: Montanistas passionis Christi solennia die 6 aut 7 Aprilis peregisse, & hinc sequenti die Dominica festum Resurrectionis celebrasse, valde sibi verosimile videri, fatetur. Ad vitam Dionysii Corinthii, varia commenta, quæ de eo circumferuntur, explodit. Apollinarium Hierapoli natum esse, non satis solide a Bollando probari dicit, & opus, quod Apollinario huic contra Montanistas tribui solet, ei abjudicat. Bardesanem opus suum contra fatum Marco Aurelio inscripsisse negat, & tandem in notis ad vitam Soteris de loco, quodam Dionysii Corinthii, & anno quo Soter mortuus est, disceptat.

Comparet quoque in hoc opere prolixa & erudita epistola ad R. P. Lami, in qua disceptatur, an Christus Servator in ultima cœna agnum paschalem comederit? & an Johannes Baptista duabus vicibus in carcerem fuerit conjectus? Illud negaverat Lami in Harmonia Evangelica: hoc affirmaverat. Tillemontius contra in utroque a P. Lami differit. Tres autem Epistolæ hujus sunt partes: in prima sententiam suam eamque communem, quod omnino Christus pridie passionis suæ agnum Paschalem comederit, adstruit, & ad præcipua argumenta, quæ opposuerat Lami, respondet; in secunda dubia quædam levioris momenti diluit; in tertia denique alteram Lami de duplici Johannis captivitate sententiam impugnat. Agmen claudit Compendium Chronologicum, in quo, quæ tum in Commentariis hisce conscribendæ historiæ ecclesiasticæ inservientibus, tum in Historia Imperatorum a se edita, memoratu digna occurrunt, secundum seriem temporis disponuntur.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. III.

TRAITE' DE MECANIQUE, OU L' ON EXPLIQUE tout ce &c.

h. e.

TRACTATUS DE MECHANICA, IN QUO ID OMNE, quod scitu necessarium est in artium exercitio, nec non proprietates corporum gravium, quarum cognitio magnum usum habet in Physica, explicantur: Auctore DN. DE LA HIRE, Professore Mathematum Regio & Academiæ Scientiarum Socio.

Parisiis ex typographeo Regio, apud Joh. Anisson, 1695. 12. plag. 21.

CUm pleraque veterum scripta Mechanica temporum invidia nobis subtraxerit, paucique ex recentioribus in scientia motus tradenda cum fructu elaborarint, non poterit non gratissimus esse Matheseos & Philosophiæ naturalis studiosis hic liber, quo doctissimus Auctor 126 propositionibus accurate complexus est, quæ ad solidorum æquilibrium cognoscendum pertinent. Cum enim nonnulli recentiorum Archimedis tantum suppositionibus fuerint usi, alii rejectis illis novas adoptarint, quas tamen Auctor solas non sufficientes deprehendit ad bonam demonstrationem efficiendam, quidam denique maxime principalem propositionem instar suppositionis sumserint; conatus ille est hoc in opere propositiones omnes demonstrare more Geometrarum veterum, nullo usus vel axiomate, vel propositione fundamentali, præter illam, quam omnes, qui de Mechanicis scripserunt, ab initio statim supponunt; eamque ut magis redderet evidentem, in prima propositione demonstravit per aliam magis universalem, nullique in Phy-

ſica dubitationi obnoxiam, nimirum in potentiarum viribus æſtimandis, ſi omnia ex utraque parte ſint æqualia, momenta quoque illarum æqualia eſſe. Poſtquam ergo ſuppoſuit (1) Figuram corporis non mutare ejus gravitatem, poſſeque grave ut ſuperficiem, aut lineam, aut punctum ejusdem gravitatis conſiderari; (2) Directiones duorum corporum gravium machinæ adplicatorum eſſe parallelas; (3) Gravia in omnibus punctis ſuæ lineæ directionis æque gravitare: accedit ad machinarum explicationem, inprimis vectis, ad quem etiam reliquas machinas reducit, tam recti quam angularis: ita ut primum conſideret corpora tanquam nullam extenſionem habentia, ne diverſæ diſtantiæ a centro terræ & diverſa media demonſtrationes dubias reddere poſſint; deinceps autem oſtendat, quænam poſſit accidere corporibus mutatio reſpectu diverſarum directionum ſuarum partium verſus centrum terræ, in Hydroſtatico tractatu, propediem ut ſperamus edendo, explicaturus, quæ contingant corporibus motis in diverſis mediis liquidis. Speciatim in Cuneo, ſi vis eum pellens, tanquam potentia conſideretur, nullo habito ad percuſſionem reſpectu, & tota reſiſtentia corporis non elaſtici ſita concipiatur in fibris ſeu ligamentis, quibus continetur, poſitis in linea F R, demonſtrat, ſive Cuneus perfecte durus & lævis nitatur contra corpus findendum in D & E, ut in fig. 1, ſive in D F & E F, ut in fig. 2, ſemper potentiam, cujus directio eſt ſecundum lineam N S C F, ad reſiſtentiam in ſtatu æquilibrii eſſe ut F D ad L D, ſeu in caſu fig. 2. ut N A ad A C. [TAB. II. Fig. 1. & 2.] Neque vero potentiarum machinis applicatarum vires ſolum determinat, & ſubinde quæ in illarum uſu obſervanda ſunt notat doctiſſimus Auctor, ſed iis etiam alia affinia & ſcitu jucunda adjicit, qualia ſunt, quæ docet de tribus potentiis idem punctum per diverſas directiones trahentibus, & in æquilibrio conſtitutis; de inveniendo centro gravitatis linearum, ſuperficierum & ſolidorum; de moletrinis alatis & calculo virium, quas ventus in alas exerit; de figura, quæ danda horologio fuſo, ut tractio elateris æqualis reddatur; de majorum rotarum in vehiculis præſtantia præ minoribus, & his ſimilia. Atque hæc quidem prioribus 108 propoſitionibus traduntur: in reliquis autem agitur de principiis mechanicis ad motus animales explicandos adhibendis; de vi chordarum humectatarum in attollendis ponderibus; de forma cycloidali dentium aut brachiorum in machinis hydraulicis, &c. Inprimis accurate exponitur

tur de percussione, centro percussionis & oscillationis, motu gravium in planis inclinatis & cycloide, motu projectorum, ac resistentia solidorum: ita ut coronidis loco tria non vulgaria resolvantur problemata, quorum primum docet, chordæ non gravis partibus applicare pondera, ut quamlibet figuram curvam recipiat; secundum, invenire figuram superficiei in omnibus suis partibus æque gravis, quæ terminata duabus lineis parallelis sua gravitate curvedinem datam quamcunque assumat; tertium, determinare quanto sint onerandi pondere lapides fornicum, ut omnes maneant in æquilibrio, tametsi superficies, quibus se tangunt, sint maxime expolitæ.

THE ANTIQUITIES OF PALMYRA, &c.

Hoc est:

ANTIQVITATES PALMYRENÆ, URBIS ILLIUS Ejusque Imperatorum historiam, ab ea condita usque ad nostrum ævum complexæ. Accedit Criticarum Observationum Appendix de nominibus, religione & forma regiminis Palmyrenæ regionis. Nec non Commentarius ad Inscriptiones nuper ibi repertas. Auctore ABRAHAMO SELLERO.

Londini apud Sam. Smith & B. Walford, 1696. in 8. plag. 25.

CElebratissimæ olim per Orientem urbis Palmyræ venerabiles reliquias, de magnificentia ejus in flore suo adhuc constitutæ abunde testantes, ante annos non adeo multos, celeberrimum Mercatorum Londinensium, quorum industria cum orientalibus orbis partibus commercia florent, Collegium quosdam ex ordine suo, quos rerum hujusmodi scrutatione bene de litteris merendi accensos esse noverat desiderio, rimari jusserat. Qui licet eius, qui rerum summæ istis in locis tempore illo præerat, Arabum Principis perfidia, quæ prima vice difficillimum istud iter molientibus gravis fuerat, ita ut bonis per vim ereptis, de vita propemodum iis fuerit dimicandum, a nobili adeo instituto deterreri potuissent; denuo tamen illud, felicioribus auspiciis, anno 1691 aggredi fuerunt ausi. Quorum etiam Ephemeridis, quicquid in molestissimo itinere notatu dignum observatum ab iis fuerat, præcipue

pue autem accuratam ruderum Palmyrenorum delineationem complexæ, & illustri Regiæ Londinensi Societati oblatæ, ejusdem Societatis beneficio, una cum eorum, qui antea (anno nimirum 1678) idem iter, frustra licet susceperant, Diurno, curiosis hujusmodi rerum amatoribus copia in Actis (Transactions) Philosophicis facta fuit. Dedit illa res clarissimo Sellero, cujus alibi quoque honorifica, quam meretur, mentio in Actis nostris habetur, occasionem, & historiam illius urbis fusius persequendi, & reperta ibi antiquitatis monumenta ingenii sui luce illustrandi. Quod ipsum post Hallifaxium & Halleyum, quorum de historia Palmyrenorum & repertis apud eos antiquis monumentis stricturas nonnullas eadem illa Societas publici juris fecerat, quam præstiterit feliciter, facile Lectores judicaturos speramus, ubi brevem rerum potissimarum summam a nobis accipere non fuerint dedignati. Quam eo magis acceptam iis fore non dubitamus, quo impatientius hactenus, promissum aliquando ab illustri Cupero de urbe Salomonis ejusque reliquiis opus, a plerisque novimus esse expectatum. Historiam itaque nobilissimæ hu-
c. II. p. 3. jus urbis ab ipsis Salomonis temporibus Sellerus auspicatur. Illum enim Tadmorem, quod antiquissimum urbis nomen fuit, hodie quoq; ab incolis tractus istius retentum, condidisse, ex 1. Reg. IX, 18 & 2. Chron. IIX, 3. 4. probat; præterea que Abulfaraji, Joannis Malelæ, & Josephi testimoniis confirmat, de ipso illo Tadmoris æque ac Palmyræ nomine in Appendice prolixius acturus. Interea tamen in eam sententiam proclivis esse videtur, quæ cum Arabe libri Chronicorum interprete, restauratorem potius, quam primum conditorem Tadmoris, sive Palmyræ, Salomonem fuisse censet. Cum improbabile non sit, loca ista, in quæ Noachica arca post diluvium delata fuisse creditur, mature admodum habitata excultaque fuis-
c. III. p. 6. se. De situ inde ejus ex Ptolemæo, Plinio, Josepho & Chronico
p. 7. Alexandrino agit, solique salubritatem ex Josepho & Longini quadam ad Porphyrium epistola describit: primos autem incolas Abra-
c. IV. p. 11. hami ex Cettura posteros fuisse contendit. Mercatura porro eam præcipue efflorescere cœpisse, & ad istud, in quo aliquantisper consti-
c. V. p. 16. tit, fastigium evectam esse docet. Imperii formam pro temporum diversitate variam fuisse putat: Salomonis ævo per στρατηγὺς & ἡγεμόνας, quorum Josephus Ant. VIII, 2 meminit; post Crassi in Oriente

tiente cladem per toparchas illud administratum fuisse existimans;
donec Plinii tandem ævo αὐτονόμος evaderet, sub Caracallæ autem p. 17.
imperio in Coloniam Romanam abiret, & sub Odenatho denique
& filiis ejus in Oriente imperium acquireret: a quo fastigio ab Au-
reliano detrusa, nostro ævo Arabum Principum cuidam, Turcis p. 18.
tributum pendenti, obsequium præstare soleat. Religionem quod
attinet, Judaicam ibi Salomonis ævo obtinuisse non dubitat, Judai- c. VI, p. 19.
caque nomina superioribus etiam temporibus complura ibi obvia
fuisse observat. Quid quod ipsa Zenobia, (quam, utut a Cleopatra
genus repetat, originem tamen Palmyræ debere non dubitat, patre
quippe ejus, imperio ab ea jam amisso, ibi adhuc degente,) Judæos
mores fuerit secuta? in cujus gratiam quoque, honorificam adeo
scriptorum Mosis mentionem facere Longinum arbitratur. Quantum p. 20.
ad gentiles, quæ postea ibi invaluerunt, superstitiones, nomina ido-
lorum quorundam, qualia *Alagbelus*, *Malachbelus*, *Jaribolus*, *Ve-
nus Aphacitis*, ex monumentis Palmyrenis commemorat. Christia-
nismum tamen primis statim temporibus radices ibi egisse, persua-
sum habet, & Episcopos quosdam urbis ex subscriptionibus Con-
ciliorum commemorat; quorum primus est, qui Niceno concilio
subscripsit, *Marinus*. Similiter ex martyrologiis Martyres quosdam
Palmyrenos producit, e quorum memoria de Christianismo ibi p. 21.
quandoq; florente, sed a Mahometanismo sensim oppresso, constare
queat. Jam porro ad varia fata Palmyrenæ urbis describenda pergit:
nil tamen ante exercitam a M. Antonio in eam crudelitatem, successu c. VII.
tamen destitutam, & ab Appiano descriptam invenit, quod notari p. 26.
admodum mereatur. A quo tempore rursum usque ad Trajani æ-
vum libertate sua fruentem, sine insigni rerum vicissitudine eam flo-
ruisse observat. In illius autem expeditione contra Parthos & Ar- c. VIII.
menos, quam ex Dione describit, multa tulisse Palmyram eo argu- p. 30.
mento colligit, quod si aliter sese res haberet, opus non habitura
fuisset favore & liberalitate Hadriani, qui eam restauratam nomi-
ne suo Hadrianopolin appellari voluit. Indeque nummus apud Pati- p. 34.
num p. 203, præferens ΑΔΡΙΑΝ ...... ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ, non
ad Hadrianopolin Thraciæ, vel Cyrenaicæ, sed ad Palmyram, quic-
quid contra dicat Harduinus, referendus ei esse videtur. Nam non
Metropoleos tantum nomine insignem fuisse Palmyram, ex Ptole-

mæo probat: sed imaginem quoque mulieris tumulo assidentis in
nummo expressam, percommode ad eam, montibus & tumulis pas-
sim cinctam, quorum uni arx, ingressum urbis defendens, sit super-
structa, referri posse censet. Ad eandem alium quoque nummum
apud eundem Patinum p. 302 pertinere credit, in cujus parte aversa sa-
gittarius exhibetur, quod militum genere Palmyram præstitisse ex
p. 35. Historicis notum est. Imo ad istud Adriani beneficium, varias etiam
C. X. p. 38. inscriptiones Palmyræ repertas respicere monet. Breviter deinceps,
quomodo Colonia a Caracalla reddita fuerit, in matris Juliæ Domnæ
gratiam, quæ Syræ originis erat, postmodum autem Alexandro Se-
p. 40. vero in expeditione contra Persas auxilia miserit, perstringit. Et sic
ad Odenathum denique, & filios reliquamque familiam devenit, cu-
jus ope cum ad summum felicitatis culmen perducta Palmyra fue-
rit, prolixissime in ejus historia versatur. Ubi tamen Uranii Ἀραβι-
κά, in quorum secundo libro fuse Palmyræ res persecutus fuit, Do-
mnini item Antiocheni & Philostrati Atheniensis huc pertinentia mo-
numenta intercidisse, graviter dolet; nec minus periisse queritur pa-
negyricam in Odenathum Longini orationem: quæ omnia si tem-
porum evasissent injuriam, jejunis Latinorum scriptorum narratio-
C. XI..XVI. nibus de Palmyræ rebus facile carere possemus. Interea tamen ex
iis, qui ad manus nostras pervenerunt, Historicis, Agathia, Zonara,
Georgio Syncello, Zosimo, Joanne Malela, Sexto Rufo, Treb. Pol-
lione, Orosio fuse satis Odenathi res persequitur. E quibus hoc
p. 72. loco nihil aliud attingere placet, quam quod nummos Gallieni ad
annum C. 266 pertinentes, in quibus pacis Augustorum, & concor-
diæ Augustorum mentio habetur, minus recte de pace inter Gallie-
num & Valerianum Juniorem interpretari illustrissimum Comitem
Biragium (cujus mortem, quæ Calendis Aprilis anni hujus 1697 ipsi
obtigit, merito dolemus) Auctor existimet. Duo enim ejus rei
suppetere sibi ait argumenta, primum, quod Augustus nondum fue-
rit anno 266 Valerianus, sequenti demum anno illum honorem
adeptus, uti ipse fateatur Biragius. Alterum, quod nullæ cum Va-
leriano lites Gallieno fuisse uspiam legantur. Ideoque ipse de pace
cum Odenatho a Gallieno facta, cujus Treb. Pollio p. 184 memi-
p. 59. nerit, nummos illos potius explicat. Augustum enim Odenathum
fuisse, & a Gallieno in imperii societatem, post rem contra Persas bene
gestam cooptatum, ejusdem Historici auctoritate pag. 180 evincit, fru-
stra

ſtra eſſe oſtendens illos, qui inter Tyrannos eum retulere. Poſt ex-
poſitas Odenathi res ad Zenobiam pergit, cui Orientis imperium poſt c. XVII. p. 76
mariti Odenathi, ut & privigni Herodis fato, ceſſit, eidemque
Septimiæ prænomen fuiſſe, ex nummis obſervat. Ejus fratrem fuiſ- p. 78.
ſe Lucium Epidium Achilleum, qui XX poſt Palmyram ab Aure-
liano evaſtatam anno Ægypto præfectus, Imperii ſigna arripuit,
probabile ſibi eſſe fatetur, eo potiſſimum inducto, quod parens
etiam ejus Achillei nomine appellatus fuerit. Inde autem reliqua, c. XIIX ...
quæ ad familiam, corporis animique virtutes, eruditionem, religio- XXV.
nem, mores, & res geſtas ſtupendæ hujus Fœminæ ſpectant, accura-
te exponit. Religionis ejus occaſione quos taxat, inſignes duos erro- p. 86.
res commemorare hic juvat. Alter Triſtani eſt, qui Photii auctorita-
te narrat, Odenathum etiam, Zenobiæ maritum, Judaicam amplexum
eſſe religionem, ab uxore, quæ a Paulo Samoſatenſi ad Judaicam
Eccleſiam adducta fuerit, perſuaſum. Cum tamen hujus traditio-
nis nec vola nec veſtigium apud Photium extet: & turpiſſimus error
ſit, a Paulo Samoſatenſi, hæretico quidem, ſed Chriſtiano tamen
Epiſcopo, ad Judaiſmum converſam dicere Zenobiam. Alter Ni- p. 87.
cephori eſt, a quo traditam l. VI c. 27 hiſtoriam falſam plane eſſe,
& male accepto Theodoriti loco, lib. II de Hæreſibus, ubi de Pau-
lo Samoſateno agit, originem debere perſuaſiſſimum habet. Poſt C. XXVI. p.
infauſtam Zenobiæ captivitatem quid ſub Achilleo parente ejus ten- 117.
taverint Palmyreni, vel ut Zoſimus ait, ſub Antiocho, in ſequen-
tibus exponit, quaque ratione ad evaſtationem urbis inductus Au- C. XXVII.
relianus victor fuerit, explicat: Marci item Firmii, collapſas Zeno- p. 121.
biæ fortunas reſtaurare auſi, infelices ſucceſſus ex Vopiſco narrat.
Ipſam autem Zenobiam quæ fata Romæ poſtea manſerint, ex Lati- c. XXVIII.
nis potius Hiſtoricis, Hieronymo, Eutropio, Treb. Pollione, quam p. 124.
e Græcis longius remotis, Zoſimo puta, Joanne Malela, Zonara &
aliis diſcendum exiſtimat. Atque in ſpecie nonnulla de villa ei in c. XXX. p.
Tiburtino ab Aureliano conceſſa, & nomine ejus appellata, ex Fulvii 133.
Carduli Antiquitatibus Tiburtinis affert, imo & de filiorum ejus,
Herenniani & Timolai, exitu diverſas auctorum ſententias adducit.
Ipſam Palmyram vero, etſi miſere ab Aureliano deformata, omni- c. XXXII. p.
busque privilegiis ſuis exuta fuerit, penitus tamen deſtructam haud 140.
cenſet fuiſſe, utpote quæ adverſus Perſas propugnaculi loco potue-
ris

rit inservire: unde a Cerronio Basso ei præfecto Solis quoque tem-
p. 141. plum destructum restaurari Imperator voluerit. Et in eo quidem statu
eam perstitisse usque ad Diocletiani tempora censet, quibus Hiero-
clem Palmyrenæ provinciæ præfectum fuisse legimus in inscriptio-
ne Palmyræ reperta, quæ honoribus Diocletiani, Maximiniani, Con-
stantii, & Galerii, ob feliciter posita urbis *Castrorum* fundamenta,
consecrata est: in cujus urbis origines hac occasione paulo diligentius
simul inquirit, eamq; anno Christi 398 ædificari cœptam esse colligit.
c. XXXIII. Honorio imperante, præsidia Palmyræ, ad Ducis Phœniciæ provin-
p. 150. ciam tum spectantis, Præfectum primæ legionis Illyricæ obiisse, ex
Notitiis Imperii eo tempore, uti eruditorum fert sententia, collectis
probat. Atque hanc ejus fuisse conditionem tum, cum Stephanus
suum περὶ πόλεων opus ederet, putat: hinc enim esse ait, quod
p. 151. Φρούριον τῆς Συρίας ab eo appelletur. Inde vero ex Procopio *de
Ædificiis*, Justiniani de restauranda ea consilium exponit, atque eum
arcis prope Palmyram, cujus hodienum rudera supersunt, condi-
torem esse statuit, uti & aquæductus quinque milliarium iter sub
c. XXXIV. terra conficientis, & structo ex marmore spurio fornice tecti. In
p. 154. Mahomedanorum denique potestatem circa annum 638 eam deve-
nisse dicit, a quo tempore non munimentorum tantum cura nul-
la amplius habita fuerit, cum propugnaculum deinceps non extite-
rit, Persia quoque Mahomedanis parente, sed commerciorum quo-
que beneficium urbi huic perierit, ob assiduas Mahomedanorum
cum Christianis inimicitias, mercatorum societatibus tuto iter isthac
facere prohibitis. Ut adeo commerciis cum Sinu Persico interceptis,
Palmyra in deserto sita, nulloque alio quam commerciorum bene-
ficio sese tueri valens, in paupertatem, qua nunc premitur, præceps
fuerit data. Alios post illa tempora minoris momenti eventus nunc
p. 157. prætterimus. Id forte notatu non indignum, exiguum illum fluvi-
um, quem Palmyram alluere Ptolemæus, cum Euphrate vero postea
jungi Marius Niger tradit, cujusque nullum hodie vestigium appa-
ret, periisse, ex clarissimi Selleri sententia, terræ motu, quem anno
859 in tractibus illis sæviisse constat: qui eum ipsum esse fluvium
censet, quem illo tempore evanuisse Elmacinus memoriæ prodidit.
p. 159. Denique post collapsum Caliphatum in Babylonia imperium, in
Mamalucarum manus, & post eos destructos in Turcarum Impera-
toris

toris potestatem Palmyram incidisse dicit, sub quo hodienum a Principibus nationis suæ, quos Elmiros appellant, gubernentur Palmyreni, raptu plerumque vivere assueti.

Potissimis historiæ Palmyrenæ capitibus traditis, restat, ut ex appendice Criticarum Observationum speciminis loco unam vel alteram afferentes, reliquarum obiter indicium faciamus. Primo itaque statim loco de utroque urbis nomine, *Tadmor* nimirum & *Palmyra* agit. C. I. p. 175.
Primum quod attinet, Hebræi codices תדמר id scribunt, LXX interpretes Θεοδμόρ, vel ut Alexandrinus codex habet, Θεδμέρ. Quamobrem inepte ab Harduino in suis ad Plinium notis *Theudemer*, a Josepho vero Θαδαμόρα nomen illud scribi, Auctor existimat. Parum deinde memorat aliquando abfuisse, quin ipse quoque cum Sponio atq; aliis, Hieronymi auctoritate sibi persuaderi passus fuerit, *Thamar* apud Ezechielem cap. 47 eandem urbem cum *Tadmur* sive Palmyra esse. Jamque in eo se fuisse dicit, ut LXX interpretum versionem ex Hebræis codicibus correcturus, pro ἀπὸ Θαιμὰν καὶ Φοινικῶνος, legeret ἀπὸ Θαιμὰρ τοῦ καὶ Φοινικῶνος (h. e. *a Thamar, quæ & urbs palmarum sive Palmyra dicitur*). Veruntamen postmodum se deprehendisse ait, Prophetam dicere, *Thamar* urbem a meridionali parte Judææ terminum constituere, cum *Tadmur* contra in orientali plaga posita sit: atque adeo repudiata Hieronymi sententia, distinguendas duas urbes istas censet. Hieronymum autem nil aliud, quam urbis *Tamar* etymologiam, decepisse putat, quæ *palmam* notat, a qua ipsum *Palmyræ* nomen quoque esse perperam sibi, cum Græcæ originis hoc nomen sit, persuaserit. Indeque optimam esse τῶν LXX lectionem putat, cum Theman p. 176.
omnino, cum Hierichunte secundum Targum Jonathanis eadem, meridionalem Judææ partem terminet, a qua Φοινικῶνα sive Palmetum non longe dissitam fuisse, ex Strabone L. 16 constet. Jam *Palmyræ* etymologiam quod attinet, rejecta Hieronymi, & Joannis Malelæ sententia, quorum ille a *Palma*, hic διὰ τὸ πάλαι μοῖραν γενέσθαι τὴν κώμην τοῦ Γολιάθ, Palmyram dictam putat; nec non Halleyi opinione, qui a πάλμυς, quod βασιλέα πατέρα Hesychius interpretatur, vel Παλμύτη Ægyptiorum Deo vocem illam derivat; ipse a πάλμη, p. 178. p. 180.
quod scutum Persicum notat, originem vocis repetit. Quam appellationis rationem non loco tantum, qui propugnaculum contra hostes

fuit, apprime convenire, sed cum altero quoq; nomine *Tadmur* amice
p. 180. conspirare putat; præsidium enim Arabibus *Dimaron* significare.
Nomina autem, quæ Castaldus, Ortelius & Sansonus Palmyræ hodie ab incolis dari tradunt, explodit, nomenque antiquum *Tadmur* apud omnes eam obtinere dicit. Ut alia autem, quæ de hac urbe notatu digna, maxime autem de ecclesiastica ejus dignitate, de situ ex Arabibus Geographis, & aliis rebus affert, prætereamus; conjecturam ejus
p. 181. saltem adducemus de colonia juris Italici in ea constituta. Factum id enim a Caracalla esse, Ulpiani auctoritate supra affirmavit; jam tamen in ea fere sententia se esse ait, ut a parente ejus Septimio Severo coloniam factam esse Palmyram dicat, a Caracalla juris Italici privilegiis ei insuper concessis. Conjecturam autem illam duobus firmat argumentis: (1) quod alias quoq; illarum regionum urbes, Rhesaniam puto, Tyrum, Laodiceam, Nisibin, Singaram beneficio isto affecerit Septimius; (2) quod nomen Septimii frequens adeo sit in illustribus Palmyrenorum familiis, probabili peculiaris reverentiæ ob beneficium aliquod in Imperatorem illum indicio. Eadem occasione nomen ΜΗΤΡΟΚΟΛΩΝΕΙΑΣ, quod in inscriptionum aliqua Palmyræ tribuitur, examinat, dividendamque esse vocem istam putat in ΜΗΤΡΟ. & ΚΟΛΩΝΕΙΑΣ, ut sit Μητροπόλεως κολωνείας: quæ nomina ita junctim Antiochiæ quoque in nummis tribui ait, cum μητροκολωνίας
c. II, p. 187. nomen nuspiam omnino alibi occurrat. Post ista de nominibus Palmyrenorum, quorum in inscriptionibus mentio, agit, eaque Hebraica Syriacave maximam partem esse, utpote quas linguas locuti etiam antiquitus Palmyreni fuerint, ostendit. Optare autem hac occasione se dicit, ut iis, quibus Græcas Palmyrenorum inscriptiones debemus, Syriacos etiam characteres, qui Græcis in omnibus monumentis Palmyrenis, eadem ratione, qua in tabula marmorea apud Sponium (in Misc. p. 1.) subjecti comparent, depingere placuisset. Cum enim probabile ei sit, imo extra omne dubium fere collocetur ex eo, quod Hallifaxius observavit, (quod scilicet, cum in inscriptione aliqua Græca opera data erasum inveniatur Philippi Tyranni nomen, in Syriaca ei subjecta eodem, quo in Græca, loco similis lacuna reperiatur, quam idem exosum nomen olim litteris Syriacis scriptum implevisse videatur) nihil aliud Syriacis istis, h. e. vernaculis Palmyrenorum litteris contineri, quam quod Græcæ significant; plane non dubitat, inde &

Græca-

Græcarum inscriptionum, in nominibus præsertim propriis, admissos errores emendari, & vetus alphabetum Syriacum cum aliqua linguæ parte restitui potuisse. Quemadmodum autem ista ipsa observatio penitus dispellit Petiti fumos, quos nobis Syriacam Sponiani marmoris inscriptionem interpretans, vendere ausus fuit; utpote quam nihil aliud dicere verisimile est, quam adscripta verba Græca, ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΟΙϹ ΘΕΟΙϹ ΚΑΙ ΤΟ ϹΙΓΝΟΝ ΑΡΓΥΡΟΥΝ ϹΥΝ ΠΑΝΤΙ ΚΟϹΜΩ ΑΝΕΘΗΚΕ Λ. ΑΥΡ. ΗΛΙΟΔΩΡΟϹ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟϹ ΠΑΛΜΥΡΗΝΟϹ ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΥΠΕΡ ϹΩΤΗΡΙΑϹ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ Τ̄ ϹΥΜΒΙΟΥ ΚΑΙ Τ̄ ΤΕΚΝΩΝ ΕΤΟΥϹ Ζ Μ Φ ΜΗΝΟϹ ΠΕΡΙΤΙΟΥ: ita non monere hac occasione non possumus, recte omnino doctissimum Gallandium apud laudatum modo Sponium conjecisse, minus accurate expressos esse characteres illos, in ea, quam Sponius exhibet, marmoris Romani delineatione. Quamobrem eos summa diligentia accuratissime descriptos Lectorum nostrorum oculis hoc loco sisti non abs re fore judicavimus. Imo ut habeant, in quo exercere possint ingenium ii, qui rebus hujusmodi delectantur, addere etiam placuit aliam inscriptionem Palmyrenis litteris exaratam, quam Hallifaxius exhibet in scriptis ad Virum doctissimum Eduardum Bernhardum, nuper eheu! nobis ereptum, litteris, quas ab Ill. Societate Regia in Transactionibus Philosophicis, uti jam diximus, publicatas habemus. Cujus posterioris, si vera est Hallifaxii & Selleri modo a nobis exposita sententia, ille sensus esse debet, quem præmissa ei verba Græca sequentia conficiunt: ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΤΟΥ ΤΑΦΕΩΝΟϹ ΕΚΤΙϹΕΝ ΕΞ ΙΔΙΩΝ ϹΕΠΤΙΜΙΟϹ ΟΔΑΙΝΑΘΟϹ Ο ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟϹ ϹΥΝΚΛΗΤ .... ΑΙΡΑΝΟΥ ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ ΤΟΥ ΝΑϹΩΡΟΥ ΑΥΤΩ ΤΕ ΚΑΙ ΥΙΟΙϹ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΥΙΩΝΟΙϹ ΕΙϹ ΤΟ ΠΑΝΤΕΛΕϹ ΑΙΩΝΙΟΝ ΤΕΙΜΗΝ. Verum ut ad Sellerum nostrum redeamus, speciatim ille observat, sequioribus temporibus Græcorum Latinorumque more prænomina sibi adscivisse Palmyrenos, quæ Græca plerumque etiam Latinave habuerint, cognomine ex patria lingua semper derivato. Forsan autem malam apud Lectores gratiam non inibimus, si, quæ de Odenathi inter cætera nomine ei annotare placuit, hic repetamus. Scilicet Enathum a Malela semper Imperatorem illum vocari observat, quem, Syrum quippe, & linguæ

Tab.II,fig.3. Fig. 4. p. 191. p. 194.

Palmyrenæ non ignarum, rectius forsan, quam alios, nomen istud pro-
tulisse existimat: præcipue cum Ennathæ Scythopolitanæ Martyris
nomen ab Eusebio quoque commemoratum inveniatur. Hinc vero
in eam adducitur sententiam, ut idem Odenati, Ennathi & Egnatii
sive Ignatii nomen esse statuat: postremum enim horum in Latino-
rum saltem aurium gratiam paulo magis fuisse immutatum sibi persua-
det. Atque inde duos rarissimos apud Patinum (p. 413) nummos,
nec non inscriptionem quandam a Fulvio Ursino in notis ad Historiæ
Augustæ Scriptores (p. 509) publicatam explicat, in quibus inter alia
Gallieno Imperatori Ignatii quoque nomen tribuitur. Ipsum itaque
illud in Odenathi sive Ignatii Palmyrenorum Principis gratiam, cum
quo Imperatoris etiam titulum ob præclara in Persas patrata facinora,
c. III, p. 197. conservatumque nominis Romani honorem communicaverat, a Gal-
lieno adscitum fuisse, plus quam probabile sibi videri fatetur. Magi-
p. 197. stratus inde & publica Palmyrenorum officia in inscriptionibus me-
morata fuse exponit, qualia ἀγοϱανόμων sunt, βȣλευτῶν καὶ συγ-
p. 204. 210. κλητικῶν, ἐπιτϱόπων δȣκηναϱίων, γϱαμματέων, συμποσιάϱχων
p. 217. 230. & aliorum. Porro ad idololatricas eorum superstitiones describen-
das progreditur. Sicuti autem omnis idololatriæ primas origines a
c. IV. p. 241. Solis & Lunæ cultu repetendas esse persuasum habet, non memoratos
tantum in sacris litteris Pseudo-Deos, Baalem, Molochum, Milcho-
p. 245. mum, Rimmonem, Chemochum, Chiunum, Nisrochum, Nerga-
lem, sed & Saturnum, Jovem, Herculem, Osirin, Serapin, Belum,
Apollinem, Mithram, Marnam, & alios quamplures Solem repræsen-
tasse, prolixe ostendens; (quemadmodum & in Astarte, Urania, Iside,
p. 262. Mylitta, Alilath, Cybele, Junone, Lucina, Diana & Venere, Lunam
unice cultam fuisse existimat:) ita Syros, & inter eos Palmyrenos,
duos illos mundi oculos in præcipuo honore habuisse, atque ad eos ple-
p. 264. raque idolorum ab iis cultorum nomina pertinuisse arbitratur. Cum-
que de Sole rem manifestam faciat celeberrimum, cujus hodienum
rudera supersunt, Solis templum ab Aureliano olim restauratum; de
Luna potissimum agit, quam Veneris nomine eos veneratos dicit. Im-
primis enim Venerem Aphacensem, a fonte prope Naclam (ubi tem-
plum Veneris, quam Alilath, i. e. Lunam ibi appellari Abulfarajus ob-
servat, etiam erat) ita appellatam, eos coluisse, vel ex inscriptione
Palmyrena constare ait, ex qua pateat ἐπιμελητὴν τῆς πηγῆς Ἔφκας
sive

(sive 'Αφάκας) Palmyrenos constituisse. Unde & prolixe de fonte p. 269. 355.
& templo illo, ex Eusebio, Socrate, Zosimo, Sozomeno, Suida & seqq.
aliis disserendi occasionem arripuit. Malachbelum vero & Alagbelum in Palmyrenis inscriptionibus obvios, non, quod Seldenus existimavit, hybernum æstivumque Solem, nec ut cum Sponio Halleyus p. 248.
statuere videtur, Solem & Lunam repræsentare credit, sed Solis παρέδρυς & Φρυρὺς, qualem Osiridi, Solem notanti, Anubim Ægyptii quoque, Plutarcho teste, adjunxerint. Quoniam autem Vaballathi c. IV. p. 272.
in nummis aliisq; Palmyrenorum monumentis passim habetur mentio, de eo curatius agere in sequentibus instituit. Et Odenathi quidem Imperatoris, Zenobiæque mariti, eum filium fuisse, Halleyo aliisque pro ea sententia militantibus minime concedendum esse putat. Quin potius ejus ex Athenæo Herode, filio, (ex conjuge ante Zenobiam ducta ei nato) nepotem Vaballathum fuisse existimat. Concinnata itaque, duarum præcipue inscriptionum, quarum alteram supra p. 274.
exhibuimus, auxilio Odenathi genealogia, varia observat, quibus suam firmari contrariamque everti sententiam arbitratur. Primo enim p. 272.
id certum esse ait, superstiti adhuc Odenatho nepotes fuisse genitos, quandoquidem υἱωνῶν expressa mentio extet in monumento, quod sibi liberisque & nepotibus suis Palmyræ posuit. Illos autem ex susceptis e Zenobia filiis Timolao & Herenniano natos haud esse, inde colligit, quod parvuli adhuc fuisse a Treb. Pollione hi dicantur, cum pater eorum Odenathus periret. Probabile itaque esse ait, Herodis, Zenobiæ privigni (quem Odenathus in imperii societatem sibi adsciverit, & cui iniqua nunquam non illa fuerit, suos liberos imperio destinans) filios, istos Odenathi nepotes fuisse. Atque inter eos Vaballathum quoque exstitisse censet, qui Herode patre, avoque Odenatho interemtis, imperium invita arripuerit Zenobia, atque ob id ipsum, quod inimico in eam animo esset, Aureliani gratiam meruerit, quam titulus Imperatoris & in aversa nummorum Aureliani parte expressa imago abunde faciant testatam. Quoniam autem Vopisci locus (in p. 283.
Aurel. c. 38), quo *Vaballathi filii nomine, non Timolai & Herenniani, imperium tenuisse Zenobia* dicitur, adversari huic sententiæ videtur; erroris tum ex Treb. Pollione, tum ex ipso Vopisco, (l. c. cap. 22) *ubi filiorum nomine Zenobiam* in Oriente regnasse dicit, priorem Vopisci sententiam revincit; imo ad nummos etiam provocat, in quibus se-

cundi & tertii anni Timolai & Herenniani mentio habeatur. Et hinc
Tristani admittendam esse censet loci illius emendationem, modo
MStum aliquod illi faveat. Si tamen nimis dura illa videatur, for-
p. 284. san statuendum esse ait, Vopiscum apud Græcos Scriptores, a quibus
omnia sese accepisse ipse fateatur, 'Ουαβαλλάθυ υἱωνῦ invenisse,
quos tamen festinanter nimis inspiciens ita expresserit, ac si υἱῦ in
eorum libris reperisset. Porro caput Vaballathi in aversa nummo-
rum Aureliani parte invicte putat probare, hostem eum, non fili-
um Zenobiæ fuisse. Quod si aliter se habuisset, abductum etiam
eum cum Zenobia Romam, ut captivus ibi detineretur, oportuisse
censet. Quod tamen factum haud esse, ex nummis concludit, in
quibus septimus Imperii Vaballathi annus memoretur, cum quinto
vel sexto post Odenathi mortem Zenobiæ, evastata Palmyra, Ro-
p. 285. mam fuerit commigrandum. Denique cum urgeant Viri docti,
Herodis mentionem in Vaballathi nummos non haberi, contra
Athenæ vel Athenæi eum in illis filium dici, quo nomine appella-
tum Herodem esse probari nequeat; respondet Noster, primo id
certum esse, Græcis prænominibus usos Palmyrenos fuisse. Deinde
nummum ex Goltzio affert (p. 73. Thes.), cujus legenda ΟΥΑΒΑΛ-
ΛΑΘΟΣ ΑΘΗΝ, ΟΥ .... ita interpretatur 'Ουαβάλλαθος Ἀθη-
ναίυ 'Ουρώδυ, eam nominis Herodis scribendi apud Græcos usita-
tam esse rationem, omni dubio carere censens. Cæterum non dis-
simulat, se aliquando in ea fuisse sententia, nomen 'Αθήνυ in num-
mis Vaballathi ex transpositione litterarum, imperitorum linguæ Sy-
riacæ monetariorum culpa facta, ex nomine 'Ηράθυ, quo Odena-
thum appellasse Malelam supra monitum fuit, natum esse: quam
p. 287. tamen, ubi in Goltzianum nummum incidisset, mutasse se ait. Jam
ea adhuc commemorare liceat, quæ de appositis capiti Vaballathi
in nummis litteris VCRIMOR, vel ut alii corrupte habent, VCRI-
MP vel VÇRIMDR) commentetur. Male enim eas explicare
censet Harduinum: *Vice Cæsaris Rector Imperii Orientalis*; cum *Cæsa-
ris* titulus Aureliano, cujus vices in Imperio ille obiit, tribui nequeat,
non adeptis quippe summum imperium, sed ei tantum destinatis con-
veniens: ut adeo *Vice Imperatoris* dicendum potius fuerit, qui Ne-
mesio titulus in Gruteriana inscriptione datus esse deprehendatur.
Rectius

Rectius itaq; *Vir Clarissimus Rector Imperii Orientalis* legi, Noster exi-
stimat. Ita enim Provinciarum Gubernatores, (in quorum ordinem p. 279.
Vaballathum postremis temporibus ab Aureliano, utpote qui ani-
mo ab eo factus fuerat alieniore, redactum esse censet,) appel-
latos fuisse, exemplis e Gruterianis inscriptionibus petitis ostendit.
Attamen hujusmodi Provinciarum Rectores, ambitione ductos, Re- p. 282.
gum saepe aliosque splendidissimos titulos affectasse, ex Antiochi, qui
Sebastes toparcha fuit, magnumque Regem nihilominus se dicere
voluit, nummo probat. Et hinc nummos Vaballathi explicat, qui
habent VABALLATHUS REX UCRIM P.P. Quamvis non ab-
surdum esse censeat, si ista inscriptione novam aliquam Vaballathi,
illam forsan Cyrrhesticae partem nacti, cujus metropolis *Urima* pro-
pe Euphratem erat, quae in nummo errore quodam *Ucrima* voce-
tur, stationem significari aliquis dicat. Quae de Longino ultimo loco c. VI. p. 287.
paulo fusius tradit, ut hic repetamus, opus non esse ducimus; quin
potius ad Commentarium tandem deveniamus, quo inscriptiones Pal-
myrenas ei illustratas dare placuit. In eo id praesertim agit, ut c. VII. p. 295.
tum vitia, quae in eas, sive veterum statuariorum, sive exscriptorum
culpa irrepserunt, diligenter emendet, tum lacunas suppleat, & si quae
ad historiam ritusque veteres pertinentia in iis occurrant, studiose
annotet. Sic ex inscriptione Julii Aurelii *Zenobii*, qui Alexandro
Severo contra Persas exercitum ducenti suppetias tulerat, honori-
bus consecrata, Crispini, qui exercitui Imperatoris cum summa po- p. 316.
testate praeerat, praenomen, quo Rutilius appellatus fuit, eruit. Sic
cum in eadem inscriptione Philippi, qui Gordianum, suum in Impe- p. 320.
rio decessorem, interemit, nomen erasum conspiciatur, multa de
gentium cultiorum more abolendi exosorum sibi hominum memo-
riam & monumenta observat. Sic de Ἀρχηγέταις sive tribuum p. 333.
Principibus, quae vox in inscriptionum quadam corrupte Ἀρσαπέ-
της scripta, & ab Halleyo in ἀρταγέτης perperam, judice Sellero
nostro, mutata fuerat, multa notat, eaque occasione aliquot ve-
terum loca explicat. Cumque in inscriptione Jovis honoribus dica- p. 352.
ta Ἔφκας (vel uti legendum putat, Ἀφάκας) πηγῆς ὑπὸ Ἰαριβώλῳ
Θεῷ mentio fiat, denuo de templo Naclensi, vicinoque illi fonte
Aphacensis Veneris multa ex Sozomeno aliisque commentatur. Im-

primis

primis vero quis *Jaribolus* Deus, in ea memoratus, fuerit inquirit. Veneris autem Aphacensis, sive Lunæ πάρεδρον fuisse censet; id quod ex ipso nomine probabili conjectura colligi posse putat, utpote quod בעל ירח, h. e. *Dominum Lunæ* sonare videatur. Nec improbabile esse ait, eum, quem Adonidem appellatum, Græci πάρεδρον Veneris constituebant, *Jaribolum* a Syris dictum fuisse, cum idem *Baal* & *Adonai* significare omnino constet. Ut adeo hic quoque ab Halleyo, qui Jaribolum cum Aglibolo apud Sponium eundem esse putat, imo hujus nomen, quod vitio laborare censet, in illius mutari cupit, in diversa rursum abeat. Quæ autem porro de παρέδρων & συνθρόνων hujusmodi officio affert, prætereunda nobis nunc esse putamus; uti & reliqua, quæ inscriptionum harum occasione erudite disseruit: melius de Lectoribus nostris merituros nos esse sperantes, si etiamnum superborum urbis, totius aliquando Orientis dominæ, ruderum, ipso squalore suo venerationem quandam excitantium, accuratam delineationem oculis eorum subjiciamus, quam si prolixiori de rebus ejus narratione eos ulterius detinuerimus.

TAB. III.

MARTINI LISTERI SEX EXERCITATIONES MEDICINALES de quibusdam morbis Chronicis.


Londini apud S. Smith, 1694. in 8. plag. 26.

QUi ex Naturalis Historiæ, & Fontium medicatorum Angliæ, aliorumque scriptorum editione jam dudum inclaruit, celeberrimus Auctor, præsentis operis initio præfixit rationem, cur id emittere in lucem publicam voluerit. Nimirum non quæstus causa vel gloriæ spe se ait ductum, verum ut obtrectatoribus saltem ostenderet, se Medicinam non perfunctorie fecisse, sed ipsam ceu artem præcipuam coluisse semper. Ex his enim tractatibus de facili posse innotescere, quod artem Medicam ex ipsis fontibus curaverit, illamque totam ex adversariis propriis eadem facilitate, atque hos conscripsit, potuerit consignare. Majorum vero institutis se processisse ait, quod adverterit, ipsos morbos non multum mutatos fuisse ab antiquorum seculis in hunc usque diem, si victus & cœli ratio habeatur. Imo se nullum ex eorum, quos acutos vocant, numero observasse novum morbum, qui ad veterum vel classem, vel descriptionem referri

non

TA

PALMYRÆ CONSPECTUS



non possit. Hinc & medicamenta a majoribus celebrata per propriam praxin usumque se maluisse confirmare, quam vel Adeptorum arcanis nunquam aperiendis, vel Hypotheticorum hominum abortivis quasi remediis se addicere. Totus autem liber sex tractatibus continetur, scilicet de hydrope, de diabete, hydrophobia, lue venerea, de scorbuto & de arthritide. In singulorum evolutione ita se exhibet clarissimus Auctor, ut primo affectum ipsum descriptione ejus naturali sistat, addito plerumque modo, quo & procreari & curari consueverit; hinc ægrotos aliquot simili ægritudine pressos, atque utplurimum suæ olim curæ commissos adducat; mox rationem morbi ulterius investiget, causas scilicet efficientes, procatarcticas & evidentes, nec non medicamentorum apparatum cum cautelis subinde necessariis enumerando. Ex singulis vero tractatibus, ad legem instituti nostri, paucula huc trahemus, cætera lectoris perlustrationi relicturi.

Tract. I. de hydrope, ascitem utpote reliquis speciebus in Anglia frequentiorem considerans, ejus increscendi rationes a victu mutato derivandas putat, potissimum a potu nunc quam antea multo deteriore. Cerevisiam enim fuco quasi infici, dum coquatur, additione nimirum salis culinarii, vel calcis vivæ, vel sacchari fecum, in quibus omnibus mira vis caustica sit. Præterea ingurgitationem annuam & solennem aquarum mineralium sale calcario ex abundanti saturatarum accusat. Imo tandem vini spiritum quoque hisce accenset, quem ex rerum carnem exedentium numero pronunciat, ita ut ab hoc internæ stomachi fibræ sive villi exedantur, ipsumque viscus inflammetur, adeoque chylus crudus & lentus conficiatur. A chylo autem tali quomodo totus homo malum corporis habitum induat, pedumque primo tumor, hinc reliqua oriantur symptomata, pluribus edisseritur. Mox XVIII ægrotorum variæ ex hydrope miseriæ recensentur, quibus vel restaurata sanitas vel mors invisa finem imposuit. Hinc secundum indicationes efformatas medicamenta allegantur, in quorum naturam, dosin & operandi rationem fusius inquiritur. Primum vero inter illa locum occupat elaterium, quod non tantum auctoritate & assensu antiquorum, Scribonii Largi, Dioscoridis, Plinii, Aetii, egregia laude celebratur, sed & vix una aut altera ægrotorum modo

memoratorum curatio absque illo peracta refertur. 2. Radicis ebuli succus memoratur, utpote mitiori quidem facultate, non tamen sine quadam stomachi offensione aquas educens, sed inflammationes simul prohibens ac mitigens. Simili virtute præditam sambucum, Dioscorides & Trallianus affirmare perhibentur. Hac autem occasione vinum emeticum cum croco metallorum paratum, & celeberrimi cujusdam Scriptoris consilio ascititicis ad ℥j. & ℥jß iterato exhibendum, partim auctoritate aliquorum Medicorum tanquam periculosum, partim quoque ad expugnandum affectum ut invalidum rejicitur. 3. Iridis succus asciti percurando idoneus valde putatur, quod copiosissime aquas movere, humores crassos digerere, somnum conciliare, & torminibus mederi valeat; propterea ad strumas quoque fœminarumque locos emolliendos atque ad fistulas conducere asseritur. 4. Euphorbium se offert, ab Ægineta & Cælio Aureliano inter hydragoga primaria habitum, atque duorum vel trium cochlearium quantitate mulso commissum, in potu datum, vel ovis sorbilibus aspersum. Quamvis vero clarissimi Auctoris experientia hæc ipsius vis comprobata nunquam sit, hoc tamen se non ignorare ait, quod euphorbium eximiam virtutem exerat in corruptorum ossium aut carnis mundatione & perfecta restitutione. 5. Ad bryoniam albam accedit, a veteribus ad hydropes sanandos decantatam, ex suo tamen præscripto nunquam adhibitam. Eclegma inde cum melle fieri refert difficulter spirantibus utile, item tussientibus, strangulatu oppressis, divulsis, ruptis, laterum doloribus, ulcerum phagedænis, gangrænis &c. Gambogii, novæ resinæ, quoque meminit satis probatæ efficaciæ, nisi quod tormina excitet, duplici tamen ejus correctione, quæ traditur, præcavenda. Cæterum cum pleraque hydragoga ex herbarum genere (quo gialapam & sir. de spina cervina refert) minorum multo virium, & imparia morbo tam atroci domando judicet, ad metallica potius antiquorum procedere mavult, utpote in quibus omnes characteres ad hydropem curandum requisiti reperiantur. Sic itaque producuntur squama & flores æris, ærugo rasilis, atramentum sutorium, chalcitis, mily & sory, ex quibus posterioribus medicamentis se magisterium quoddam Veneris conficere ait clarissimus Auctor, quod aquas hydropicorum vehementer educat, somnum conciliet,

ac

ac præter fidem anodynum sit. Ultimo loco de lapide cæruleo sive Lazuli, & de Armenio sermo fit, ubi inprimis Willisius taxatur, quod utrumque catharcticorum numero improprie accenseri autumet, ac præterea Mercurio dulci incertitudinis atque infidæ purgationis notam adfigat.

Tract. II. de Diabete agitur, utpote affectu ad hydropem quasi pertinente, cum scilicet in utroque superabundans aqua peccet, atque in hydrope propter lentorem ægre moveatur, in diabete autem ob tenuitatem mira copia effundi soleat. Affectus & olim & nunc rarus, Londini tamen pro suo modulo cum hydrope jam pari passu grassari dicitur. Galeno, Tralliano, Ætio aliisque veteribus eum non sæpe visum fuisse, credibile putatur; hinc juxta Aretæi descriptionem, utpote omnium accuratissimam, ejus symptomata in principio, progressu & statu perfecto traduntur. Mox de subjecto disquiritur, utrum renes ex antiquorum sententia, an stomachus & intestina maxime tenuia, primario afficiantur? Cumque auctore Aretæo interdum contingat, ut renes potioni exitum non permittant, etiamsi cætera symptomata sæviant, adeoque cita mictio signum diabetis pathognomonicum, i. e. proprium & perpetuum haberi nequeat, hinc primaria affectus sedes stomachus & intestina statuuntur, adjectis statim aliquot rationibus idem comprobantibus. Imprimis vero a summo stomachi & intestinorum ardore certam aliquam facultatem deleteriam sive venenatam omni potioni præter naturam suam subito imprimi, ut vehementer diuretica & acris evadat, asseritur. Postea VIII historiæ adducuntur eorum, qui diabetis malo laborarunt. Tandem causæ efficientes, procatarcticæ & evidentes enumerantur, ubi medicamenta quædam mala, primo stomachum & intestina, mox renes & vesicam maxime infestantia recensentur, antimonium scilicet diaphoreticum, mel crudum & venenosum, balsamum Capavæ dictum, opium, vina arsenico vel sulphuris fumo nimium imbuta, thée, terebinthinata, spiritus vini & id genus plurima præter modum assumta, quo & aquæ muriaticæ sive sulphureæ, aut salibus & metallis terrenis ebriæ referuntur. Hac occasione digressio fit ad fontes medicatos populo Londinensi maxime usitatos, & a suis locis nominatos, nimirum Hoxden, Streetham, Dullidge, Barnet, Epsom, Sunning-hill, Nord-hall, Tunbridge.

ge. Ex his Hoxdenenses aquas ferratas, & naphtha quadam imbutas gratissimi odoris fœniculum aut anisum spirante pronunciat: Streethamenses vero leviter tantummodo ferratas, magis vero calcario sale turgidas inveniri. In genere autem affirmat Auctor, omnes aquas atramentosas quatenus tales ex solo pyrite oriri, quod in nullo alio lapide vitriolum prope Londinum temere reperiatur. Hinc explicat, quomodo atramentosæ, ac quomodo vitriolicæ aquæ evadant, atque tandem de nitro calcario, a sale petræ nec non nitro antiquorum diverso memorat, quod fere omnibus illorum fontibus plus minusve insit. E diverticulo autem in viam regressus, symptomatum in diabete præcipuorum ætiologias tradit: (1) cur urina adeo dulcescat, ut sacchari vel mellis saporem referat? Ubi remota Willisii aliorumque opinione id paulatim ideo contingere arbitratur, quod primum aquosior seri pars effundatur, mox colliquatione procedente ipsa quoque seri pars chylosior &c. (2) Unde tam insolens urinæ effusio? Resp. a nimium colliquato & attenuato chylo, a quo mox ipsum serum sive chylus veteranus intra habitum corporis in quendam ichorem quasi corrumpatur. (3) Deducta sitis insatiabilis ratione ab inflammatis visceribus, & parte exteriore intestinalis corporis habitus pariter summe inflammata, ad remedia tandem devenitur, quæ Aretæo auctore eadem, atque in hydrope habentur, ita ut universa quoque victus vitæque ratio eadem esse debeat. Duo tamen præcipue curationis scopi proponuntur: (1) ut stomacho imprimis, sitis fonti, auxilium feratur. (2) ut colliquatio a veneno orta sedetur; ubi lac commendatur, & fructus quilibet, (ut poma granata, limones, fraga, cerasa) aquæ pro potu incocti, vinum itidem meracius adstringens, ac tandem hiera, quæ utrique indicationi curativæ abunde satisfacere perhibetur. Quod vero hiera picra Galeni non intelligatur, sed aliud medicamentum Scribonii Largi historia & laudibus decantatum, fusius exponitur, simulque declaratur, quod huic antidoto inferioris seculi Medici male theriacam Andromachi ut succedaneam supposuerint. Existimat vero clarissimus Auctor, diascordii paululum ob mitem & temperatum effectum, exhiberi cum utilitate forsitan posse.

Tract. III. Hydrophobiam, affectum præcedenti contrarium, totalem

talem scilicet aquæ potusque omnis aversionem explicat. Quemadmodum vero a canis rabidi morsu hoc morbi genus exoriri, indubitatum est; ita non tantum rabiosi canis, sed & hominis demorsi conditiones ob oculos ponuntur, idque potissimum ex relatione Cælii Aureliani, qui omnium antiquorum in hoc affectu describendo diligentissimus celebratur. Mox prognosticon adjicitur unicum, in quo Scriptores fere omnes consentire dicuntur; aquæ scilicet metu oppressis in angusto spem esse, imo neminem hoc morbo correptum servari posse. Hinc historiis ex simili malo ægrotorum recensitis, quæ antiquorum hac de re notitia fuerit, brevissimis adducitur. Suam vero mox subjicit rationibusque roborat sententiam celeberrimus Auctor, ipsam scilicet salivam præcipue vitiari, simulque existimat, a morsu canis rabiosi novam naturam caninam aliquatenus homini superinduci. Id quod liquido constare putat ex ejus latratu vere canino; ex linguæ exertione rapidoque deglutiendi modo; ex potionis horrore in erectiore hominis positione; & delectabili aspectu, atque spontanea & vehementi appetitione ejusdem potus, si æger quadrupedum more procumbat. Potionem vero hos miseros per se non aversari, sed ideo saltem, quod propriam salivam venenatam, a potulentis sibi oblatis vehementius, quam a crassis aut solidis cibis motam, deglutire amplius in stomachum non sustineant. Quæstionibus deinde aliquibus respondet, e. g. cur sola saliva inficiatur, non itidem alii humores aut ipse sanguis? cur canina saliva sola, non aliorum insanientium quadrupedum rabiem efficiat? cur aliqui ex morsu canis rabiosi non hydrophobici fiant, sed vel ipsi, vel eorum tamen nati insania peculiari & infectoria vitientur in plures usque generationes &c. ac triste tandem corollarium subnectit, plurimarum ita familiarum illustrium nescio quam melancholiam & insaniam hæreditariam de facili posse procreari. His præmissis, inde rationes & remedia huic morbo accommodata adducuntur. Quamvis vero duplex præprimis intentio pro cura venditetur, una scilicet prophylactica, ne demorsi homines in aquæ timorem incidant: altera curatoria, quæ hydrophobicos sive aquæ metu jam occupatos curet; utrinsque tamen pleraque remedia communia perhibentur. Cumque saliva venenata præcipue noxia sit, illa imprimis evacuanda & temperanda judicatur,

tur, ne ſtomachum amplius offendat. Ex fonte autem Chirurgico commendantur cucurbitulæ, ignis, medicamenta exedentia vulneri admota &c. ex pharmaceutico antidota, ut theriaca, mithridatium, hiera, nuces juglandes ab antiquis Plinio & Ætio laudatæ. Qua vero ratione rabioſis opem ferre valeant, verba clariſſimi Auctoris explicant: *Alia*, inquit, *peculiaris qualitas his nucibus donatur (quæ et cum oleo ex ſemine lini & papaveris communis eſt) nimirum per ſe ſiccari, pictoribus hodiernis notiſſima. Atque adeo hæ nuces propter hanc præcipue rationem aptæ natæ ſunt, ſalivam acrem & venenoſam obtrudere. Etenim cum corporis humani omnia ſalia fere urinoſa ſint, i.e. glabra & pinguia, quod digitorum attritione plane conſtat, hujusmodi olea ex ſimilitudine & natura quadam communi propius aſſociari, & cum levi corporis calore, quæ earum proprietas eſt, ſtrictius uniri poſſe, credibile eſt.* Inter antidota prophylactica recenſentur quoque cinis cancrorum fluviatilium, hippocampus marinus, ſylveſtris roſæ tuberculum, helleborus albus, ipſius rabioſi canis hepar coctum, oleum roſatum, quod cum fructu exhiberi poſſe quibusdam inductus rationibus putat celeberrimus Auctor. De violenta autem aquæ exhibitione, nec non de immerſione involuntaria in frigidam pariter diſſerit, exſtimans parum exinde aut nihil commodi expectandum eſſe. Ad quæſtionem tandem, cur hydrophobia morbus inſanabilis ſit, varie reſpondet, atque, ſi quid proſpere agi queat, a morſu illato ſtatim id moliendum eſſe arbitratur. Mantiſſa dictis adjicitur de corticis Peruviani exhibendi modo & tempore. Scilicet ſi juxta methodum Sydenhami ejusque ſectatorum febris paroxyſmo declinante is propinetur, & intermiſſione tota, remiſſionisve intercapedine aliquoties iteretur, multum iſtius pulveris nauſeante ſtomacho & fruſtraneo ſæpius eventu aſſumendum eſſe dicitur: e contrario autem, ſi e vino puro per diem unum, vel aliquot paucis tantum horis maceratus exhibeatur, idque ante adventum paroxyſmi (quando ſcilicet maxima corporis integritas eſt) maximeque ſi id fiat ipſo ineunte morbo, una ejus doſis plus debellare affectum perhibetur, quam decem alias exhibitæ. Cæterum refert clariſſimus Auctor, ſe unum ex primis eſſe, qui olim iſtud medicamentum inter antidota repoſuerit. Neque corticem illum putat minoris nunc efficaciæ eſſe, quam viginti retro

annis,

annis, adeoque non in illius bonitate, sed in exhibitionis tempore ac modo discrimen intercedere. Quam in rem allegat Badi Tractatum de Cortice Peruviano ante 30 annos editum, ex quo S. aliique nuperi Scriptores sua pleraque omnia, præter ineptum & intempestivum propinandi modum, hausisse judicantur. Se autem ait ante 20 annos cortice trunci istius arboris sæpe usum esse, ad crassitiem & latitudinem volæ manus, & profundis sulcis & fissuris conspicuo, imo aliquando valde carioso ac putrido, cum nullo tunc pretio melior haberi potuerit; nec unquam meminit eventum optimum & desideratum inde non successisse. Tandem animadversiones quoque leguntur in Petri Salii Diversi librum, quem tunc demum se vidisse primo refert celeberrimus Auctor, cum tantum non impressæ fuerint isthæc de hydrophobia cogitationes. Paucis vero traditur, in quibus tum ab invicem dissentiant, tum quoque conveniant, ac septem singularia ex Salio breviter excerpta communicantur, quæ visa sunt affectui lucem quam maxime fœnerari.

Locum IV. occupat plus quam ferina lues, quæ dicitur venerea, morbus novus, vulgaris, & contagiosus, ab humore aliquo venenato fere in coitu contractus, ulceribus, doloribusque se manifestans. Subjiciuntur statim symptomata, morbum in omni ejus statu circumscribentia, nec non modi, quibus soleat malum communicari. De origine quoque differitur, atque per Hispanos quidem in Europam ex insulis Americanis allatum illud esse traditur, ubi nimirum vel a morsu aut esu alicujus animalis, (forsan Inguanæ, bestiolæ haud mediocris ex serpentum quadrupedum genere) vel ab alio victu aliquo venenato, id ortum fuisse credibile putatur, & rationibus quibusdam confirmatur. Hinc in causam efficientem, venenum scilicet sui generis, ac quomodo id ex infecto in sanum corpus penetret, viresque suas explicet, inquiritur. Mox XV ægroti adducuntur, quorum labes occulta fere ex adjuvantibus remediis tantum agnoscenda. Existimat autem clarissimus Auctor, curationis scopum omnem in purgatione & medicamentis ex hydrargyro confectis, præcipueque nunquam satis laudando mercurio dulci & guajaci decocto consistere, imo his fere duobus medicamentis totam curationis methodum hodie includi. Horum itaque medicamentorum virtutes brevi consideratione examinat, atque de hydrargyro

non

non tantum probat contra Fernelium, quod usus ejusdem medicus primus non Arabum scholæ, sed antiquis Græcis jure meritoque debeatur; sed quid etiam differentiæ intersit inter cinnabarim & hydrargyrum, item quæ operationis sub salivatione ratio, & quæ commoda inde proveniant, simul exponit. Scilicet per hydrargyrum quidem malum leniri atque differri, non auferri, nec ullam curam absque guajaci interventu esse efficacem, nec tamen a guajaco solo prosperum successum exspectandum citra periculum recidivæ. Subnectitur deinde brevis de guajaco discursus, atque illud hydrargyri, ut hinc veneni in lue antidotum celebratur. Hæc curandi via per isthæc duo medicamina facilior cæteris atque expeditior putatur, citra sudorem scilicet peragenda, si medicinis purgatoriis adjuvetur, ac cætera boni regiminis præcepta serventur. Certissimus enim effectus promittitur, modo cura diutius paulo protrahatur. Imo vinum, experientia Auctoris, successus prosperitatem non fertur impedire, sed potius promovere.

Exercitatione V. Scorbutus sistitur, affectus scilicet præcedenti multis signis communibus valde affinis, propriis tamen, quæ recensentur, facile cognoscendus; a veteribus neglectus, superiore tandem seculo ab Eugaleno accurate descriptus. Causa efficiens allegatur victus salsus, ut, e. g. salsamenta e marinis piscibus vel muria conditis, vel per se siccatis, item caseus vetus & salsus &c. potiones quælibet salsæ, ut cerevisiæ in Anglia cum sale aut calce viva paratæ: item aer ipse marinus vere salsus; ceu salsæ pluviæ calidis maxime regionibus ex fide navigantium satis testari perhibentur. Quomodo autem ex sale condimentorum antiquissimo pessimum hoc morbi genus oriatur, stomacho primum & intestinis inde vitium contrahentibus, dum eorum filamenta exedantur, totusque ventriculus tenuior reddatur, ac inflammetur, chylusque adeo crudus & supra modum salsus conficiatur, pluribus differitur. Et ex hoc principio symptomatum omnium in scorbuto observatorum fons & origo deducitur; ubi incidenter explicatur, cur hydrargyrus in hoc morbo curando nil prosit; item, cur sanguis quidem muriaticus non deprehendatur, in habitu corporis tamen ejusmodi salis copia subsistat? Mox XII ægri producuntur, maculis varii generis & hæmorrhagiis mali naturam referentibus, quibus vel sanitas restituta,

vel

vel mors obtigit. Tandem ubi ad remedia devenitur, præcipua scorbuti medicamenta celebrantur cochlearia, limonumque; aurantiorumve succi, item olera & omnigeni fructus, quo magis acidi, eo meliores, ut inde acetum quoque & vitrioli spiritus valde prodesse statuantur. Imo quæ commoda ab istiusmodi acidis expectanda sint, acedi exemplo a Dioscoride summe laudati demonstratur, subjuncta statim operationis sive effectus ratione. Cochlearia vero & nasturtium ob piperatam, quam in sinu gerunt, acerbitatem, crassos corporis humores magis attenuare, & in omnes ejus meatus facilius sibi viam facere, adeoque salem crudum urinosum, ubicunque demum delitescat, propius subigere ac expellere dicuntur. De limonum, aurantiorum, malorumque Punicorum, scilicet perfecte maturorum, succis porro traditur, quod remediorum omnium ad hunc morbum præstantissima sint, miserisque nautis infinita experientia probatissima. Pisonis simul effatum subnectitur, qui ex nullo remedio simplici tot felices se vidisse ait effectus in tota praxi sua, quam ex limonibus. Ultimo loco quæstioni, cur scorbuto correpti, & sanguinis missionem, & purgationem male plerumque ferant? responsio apparatur.

Exercitatio VI arthritidem exhibet, seu dolorem articulorum, sive in pedibus, manibus aut coxendice hæreat, ac diversis nominibus salutetur. Quomodo autem differat a rheumatismo, paucis adjicitur, atque descriptio affectus ex C. Aureliano, summæ accuratiopnis viro, transscripta traditur. Mox de causa doloris conjuncta, nempe distensione præternaturali ab infarctu ductuum excretoriorum, in tendinibus cartilaginosis membranisque ad ossa pertinentibus differitur. Causa vero antecedens in stomachi actionem labefactatam conjicitur, cum scilicet chylus crudus ac lentus in hoc morbo paretur. Hippocratis itaque opinio, quod causa sit sanguis bile & pituita corruptus, inque articulos effusus; nec non modernorum quorundam sententia, quod nescio quis sal tartari peccet, rationibus nonnullis refellitur. Hinc Auctoris cujusdam assertio, de exiguis quibusdam paroxysmis quotidie recurrentibus ad podagram constituendam, bella atque lepida fictio appellatur, alia istius rei ratione adjecta. Aliquot quoq; quæstionibus respondetur, e.g. cur mulier podagra non laboret, nisi menstrua defuerint? item cur pueri & eunuchi

ea non torqueantur? Mox XII ægrotorum historiæ subjunguntur, in quibus plerumque venæsectio celebrata legitur, nec non alvi ductio, vel per enema, vel per laxans medicamentum. Emplastrum quoque unum vel alterum quandoque opem tulisse fertur, v. g. pag. 22. & 23. empl. viride ex Scribonio Largo, item cataplasma ex mica panis siliginei, croco, aloe & lacte &c. Deinde prognosticon de morbo hoc insanabili adducitur, quod nimirum nemo a Medico expectare debeat, ut a podagra semel liberatus deinceps in perpetuum sanus persistat. Rationes inveniuntur subjunctæ. Ubi imprimis & hoc annotamus, quod Auctor vehementer neget, tophos ulla arte posse dissolvi; quod tamen omnino se perfacili negotio beneficio Herculis sui Antipodagrici præstare posse gloriatur Nathan Lacy in Tractatu de Podagra a nobis mense Sept. anno 1694 p 330 recensito. Cæterum non dubitat celeberrimus Auctor, ex antiquorum virorum auctoritate, ac propria & multiplici plurimorum annorum experientia asserere, arthritidem posse sanari, non ineunte tantum morbo, sed etiam veterascente. Cum vero id alioquin negaverit S. curamque potius naturæ maluerit committere, ejus rationes perstringuntur, & quæ forsan in remedii vicem ab illo allegantur, v. g. vectio in curru, item equitatio &c. non satis commode suaderi judicantur. Medicamenta tandem memorantur ex veterum imprimis & propria observantia optima, cum externa, tum interna. Inter priora laudantur unguenta & acopa ex squilla confecta: inter posteriora tanquam præcipua referuntur hiera antiquissima diacolocynthidis, & altera picra Galeni. Ad præservationem vero emetica commendantur mitiora, veteribus quidem elleboro usis incognita, sed tamen tutissima, quale egregium celebratur vinum emeticum, non tantum extra paroxysmum podagricum, sed alias quoque ad omnes nervorum affectus utilissimum.


A NEW LIGHT OF CHIRURGERY, &c.

Hoc est:

Novum Lumen Chirurgicum, in quo detegitur magis tuta & expedita via curandi vulnera, quam antehac in usu fuit, illustratum variis experimentis hoc anno in Flandria factis. Auctore JOH. COLBATH, Med.

Londini apud D. Brown, 1695. in 8. plag. 7.

Item:


fig. I
fig. IV
F
I

Item:

THE NEW LIGHT OF CHIRURGERY VINDICATED FROM the many unjust aspersions, &c.

Hoc est:

Novum Lumen Chirurgicum vindicatum a multis injustis accusationibus quorundam incognitorum calumniatorum, cum additione paucorum quorundam experimentorum hac hyeme in Anglia factorum. Auctore JOH. COLBATH, Medico.

Londini, apud D. Brovvn, 1696. in 8. plag. 6½.

CUm horum librorum Auctori parum arrideret trita Chirurgis methodus in curatione vulnerum recentium, accuratius in illam inquisivisse, eumque eam a ratione plane abludere deprehendisset, aliam tutiorem se & investigasse & invenisse, in priori libro profitetur. Id vero ut comprobet, primum nutritionem animalium explicat, quæ non sanguine fiat, qui pabulum sit biolychnii, sed sero, quod expleat interstitia fibrarum post transpirationem insensibilem vacua relicta; atque hinc concludit, vulnerum sanationem a natura eodem peragi modo. Deinde probare nititur, omnino impediri naturam in vulnerum cura a vulgaribus Chirurgorum remediis & methodo, quia medicamina usitata fibras divisas relaxent, ut succum nutritium continere nequeant, sed ille in vulnus effundatur, ibique corruptus in saniem degeneret, a cujus particulis fermentantibus tumores & inflammationes, imo febres symptomaticæ producantur, postquam in sanguinem fuerunt delatæ. Porro id quoque taxat in Chirurgorum plerisque, quod parum opis adferre possunt, ut ipsimet confitentur, vulneribus internis, pulmonum, hepatis &c. quod, cum vas sanguiferum læsum est, in sistendo sanguine ad cauteria & strictas ligaturas confugiunt, irreparabile non raro damnum læsis adferentes; quod carnium esu vinique potu ægris interdicunt; ac licet jam magna sit sanguinis facta profusio, venam tamen sæpius incidunt ad febrim propellendam. Contra autem sibi in promtu esse remedia, pulverem nimirum vulnerarium aqua calida solvendum, & tincturam sulphuris Veneris, asseverat, quæ nullam talem noxam inferant, sed vulnera tuto, cito, jucundeque persanent, sive externa sint, sive interna; quia profluvium sanguinis statim inhibent; nullum tu-

morem neque inflammationem efficiunt, nec febrim; quia ſuccum nutritium a corruptione & vulnus a ſuppuratione præſervant, ita ut quarto circiter die expletum reperiatur ſubſtantia gelatinoſa, quæ deinde in carnem convertatur; bis tantum applicantur in vulneribus gladio inflictis, & quarto demum die, ſæpius autem in illis, quæ a globis ſclopetariis illata, quia ex illis aliquandiu notabilis quantitas materiæ effluit, ſimulque ex illis corpora forinſecus illata eliminat; in eorum uſu non opus eſt, ut fragmina oſſium eximantur, quia cum reliquis prompte conglutinantur; neque ægroti carne & vino moderate aſſumendo prohibeantur. His ergo ut fidem conciliet, 14. inſignia experimenta in Flandria facta enumerat.

Ob hanc autem novam & humano generi maxime proficuam medendi rationam, libellis editis ſe impetitum fuiſſe a Chirurgis quibusdam invidis, tum multa quoque falſa de infelici remediorum ſuorum uſu in vulgus ſparſa queritur Auctor, hasque proinde, quas vocat, calumnias ut a ſe repelleret, conſcripſit libellum poſteriorem, in quo & falſitatem eorum, quæ perperam de ſuis medicamentis relata, tum uſum eorum innoxium & valde conducibilem experimentis ipſa in Anglia factis demonſtrare ſatagit.

ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ *RHYTHMO TEUTONICO LUDOVICO REGI Acclamatum, quum Nortmannos anno DCCCLXXXIII viciſſet. Interpretatione Latina & commentatione hiſtorica illuſtravit JOH. SCHILTER.*

Argentorati, ſumptibus Joh. Reinh. Dulſſeckeri, 1696. in 4.
Conſtant plag. 10.

INter alias rhythmicæ poeſeos utilitates hæc vel præcipua eſt, quod ejus ope barbaræ etiam gentes & literarum plane rudes, dulcedine iſtius allectæ, ſuarum rerum memoriam πατροπαραδότοις cantilenis ad ſeros usque nepotes conſervarunt, earum etiam quasdam ad nos transmiſerunt. De priſcis Germanis id Tacitus indicat cap. 2. & lib. II Annal. in fine, Arminium, Cheruſcorum Principem fortisſimum, a ſuis occiſum, *cani adhuc barbaras apud gentes* idem affirmat. De Gothis Jornandes teſtatur, ipſos *præclara majorum geſta in*

in carminibus patrio sermone comprehensa, frequenter concinere; & Eginhardus de Carolo Magno narrat, ipsum *barbara, & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canerentur scripsisse memoriaeque mandasse.* His carminibus accensendum est, quod e tenebris protulit, non juris solum, sed omnis elegantioris litteraturae, quam raro hodie exemplo cum legitima scientia conjunxit, peritissimus vir Joannes Schilterus, qui acceptum ex monasterio S. Amandi sive Elnonensi, a celeberrimo viro Jo. Mabillonio, veterem hymnum, victoriam Ludovici Regis, ut ipse existimat, Franciae occidentalis, seu Galliae, (qui Ludovici Balbi filius, Caroli Calvi nepos, Ludovici Pii pronepos, Caroli Magni abnepos extitit,) a Normannis anno 883. reportatam, juxta Carbonariam, in loco, qui vocatus tunc fuit Sodalcurch, decantantem, descriptum manu Dom. Eybenii, recensuit, Latina interpretatione delucide explicavit, & nodis eruditis illustravit. In his postquam de Ludovico hoc Rege Franciae late disseruisset, & an orientalis an occidentalis Franciae Rex (nam utriusque istorum temporum Reges hoc nomine veniunt, sit intelligendus, disquisivisset, tandem vero ex divisione regni Galliae inter fratres facta, quae praelium hoc antecessit, occidentalem Franciam Ludovico huic Normannorum victori paruisse ostendisset; varia in ἐπινικίῳ isto quae occurrunt vocabula, ex antiquitate Teutonica explicat, & significationes eorum eruit, quorundam etiam versuum sententias exponit. Sic *Thrubtin* & *Druhtin* Celtis & inde oriundis Francis, Alemannis & Belgis *Dominum* & *Deum* denotare §. 12. *magaczoga* paedagogum, educatorem §. 13. *dugidi* virtuosos & heroes §. 14. *githigini* famulitium, satellites §. 15. *fronisc* illustrem, generosum, *fron, vron* publicum, sanctum §. 16. *zala* numerum, partem §. 18 *wan* fraudem, dolum §. 18. *chorunga* tentationem, *arbeidi* periculum, *tholon* tolerare, pati §. 19 *lidan, lithan*, duci, ire, venire, transire §. 20. *koron* tentare, seducere §. 22. *baranscara* contumeliam § 23. 24 *thiob* hominem improbum, einen Dieb §. 25 *goudmann* nobilem, εὐανδρον §. 26 *falloses* veteratores, dolosos §. 27. *buren* se tollere §. 28. *erwirren* auferre, *girren* consternare, confundere §. 29. *irbalgan* irasci, indignari §. 30. *ingaldiz* impotentia animi, tyrannis §. 31. 32. *frammordes* in posterum §. 33. *ritan* equitare, & tam equo quam curru vehi, *reite* expeditio §. 34. *ritten* de-

defendere §. 35. *gundfanon* vexillum § 36. *alfromin* optimum § 38. *hiu* vos, *gesellion* commilitones §. 39. *notstallon* constabularium, militem necessarium §. 40. 41. *ginerien* liberare, salvare § 43. *boldon* fidelem, *belethe* heroem §. 43. *giskerin* donare, largiri, *giwahin* custodire, *ellian* festinare §. 44. *bilibin* mori, *kunne* familiam §. 45. *lioth* canticum, *liothfrono* litaniam seu preces publicas & sacras, *barr* carmen § 46. *armen* misereri §. 47. *wig* prælium, pugnam, bellum, *wigant* milites, *wigesleitida* belli duces, *widarwigan* rebelles §. 50 *gekunni* congenitum, *lid* siceram, potus genus §. 51. *webin* cedere §. 52. *lib* vitam §. 53. *salig* securum, liberum, unde *terra salica, Franci salici*, liberi & immunes ab oneribus vulgaribus, *caro, garu* paratum, *suvar* gravem, *eregrehtin* majestatem, gloriam §. 56 ostendit, & exemplis ex Otfrido, Willeramo, Sæmundo, aliisque monumentis linguæ Alemannicæ veteris, explicationes suas comprobat. Hujus linguæ, quæ majorum nostrorum fuit patria; quum utilis valde sit cognitio, & nemo feudorum consuetudines recte interpretari, historicos mediæ ætatis intelligere, officiorumque & dignitatum appellationes cognoscere possit, nisi ab hac instructus; in id jam incumbit doctissimi Schilteri industria, ut instructissimum linguæ Teutonicæ veteris *Glossarium*, quod multorum annorum studio collegit, digerat & in ordinem redigat, eum in modum, quo eruditus Gallus Carolus du Fresne, Dominus du Cange, ad Latinitatis & Græcitatis mediæ infimæque scriptores Glossaria insignia ac copiosissima condidit. *Otfridi* etiam, Monachi Weissenburgensis, volumen Evangeliorum ante octingentos annos rhythmo Germanico compositum, a Matthia Flacio anno 1571 Basileæ evulgatum, sed mendose admodum editum, idem antiquitatis sacræ & profanæ peritissimus Schilterus, ubi insignem illum codicem Msctum Vindobonensem, ex Imperatoris augustissimi scriniis impetrabit, in quibus eum extare P. Lambecius indicat Comm. de Bibl. Vind. Lib. II. cap. 5. 416. 465. publicam in lucem emittet; *Andreæ Ratisbonensis* Chronicon Bavaricum præterea, ex duobus egregiis MStis archivi Argentinensis, nitidius prolaturus; & *Poema vetus* Germanicum de bello Caroli M. contra Saracenos in Hispania cum notis evulgaturus, ista ratione, qua jam notas in ἐπινίκιον Ludovicianum exhibuit, in quibus p. 23. & 58. illorum operum spem fecit. Quam ut impleat, & otium ei viresque

que commentationes has publicæ luci exponendi successuræ suppetant, litterarum caussa vovemus.

HISTOIRE SOMMAIRE DE NORMANDIE.
Hoc est:
Historia Normanniæ compendiaria, auctore Dn. DE MASSEVILLE. Pars II. & III.

Rotomagi apud Petr. Ferrand, 1691. 1693. in 12. Alph. 3.

De prima hujus Historiæ parte Tomo I. Supplement. p. 202 exposuimus. Sequuntur nunc II & III. In secunda, & libro quidem IV continetur, quicquid sub Stephano Blesensi, Gotofredo Andegavensi, Henrico II, Richardo, & Johanne sine terra, Ducibus Normanniæ, qui omnes fere simul Angliæ fuerunt Reges, gestum est; & quam graviter Gallis iidem collisi fuerint, maxime cum Eleonora a Ludovico marito Galliæ Rege repudiata, Henrico II Angliæ post Regi nupsisset, isque adeo Aquitaniam & Pictaviam obtinuisset; quæ fuit ingentium bellorum Anglos inter & Gallos origo: quid Richardus, qui Cor Leonis dicebatur, in Palæstina egerit, ac qua ratione demum Johannes, dum quietus sedet in Anglia & voluptatibus cum nova conjuge indulget, Normanniam, felicibus Philippi II auspiciis coronæ Gallicæ denuo innexam, circa annum 1204 amiserit, prolixe explicatur. L. V. de statu Normanniæ ecclesiastico, qualis fuit seculo XII, agitur, quæque concilia habita, quæ schismata exorta, qui Archiepiscopi fuerint, quæ monasteria atque templa extructa fuerint, narratur. L. VI Philippi II, Ludovici VIII, & Ludovici Sancti, novorum Normanniæ Ducum & Regum simul Galliæ gesta, & istius inprimis singulares victoriæ de Ottone Imperatore, Johanne Angliæ Rege, Comitibus Flandriæ & Bononiæ, qui ipsius invidentes fortunæ societatem adversus illum inierant, reportatæ percensentur. Qua occasione peculiaris comparatio instituitur inter Philippum Augustum, & qui nunc imperat, Ludovicum XIV, quod uterq; post sterile aliquandiu parentum conjugium a Deo datus sit; uterq; in teneris annis regno potitus, exortas in eo turbas feliciter sedaverit; uterque, quas amiserant Majores, provincias recuperatas demum solertia sua conservaverit, Normanniam quidem, agrum Cenomanensem, Andegavum, tractum Turonensem, Pictaviam, Alverniam cum Bituricensis regionis p. 257.

&

& Picardiæ parte Philippus Augustus, Ludovicus vero Magnus Lotharingiam, Burgundiæ Comitatum, Luxenburgum, agrum Cameracensem cum insigni Hannoniæ, & Flandriæ portione; quod ambo hostes inde sibi eosdem, Germanos, Anglos & Belgas excitaverint; quod Julio mense duas ingentes victorias reportaverint, Philippus nimirum ad Boviniacum atque Ligerim, Ludovicus autem prope Floriacum ac in mari; quod pari zelo adversus infideles & hæreticos flagraverint, idemque studium circa conversionem eorum adhibuerint; quod uterque leges tulerint salutares, artes foverint, ædificia præclara extruxerint; quod filios ejus ætatis, ut exercitus ducere & castella expugnare vivis adhuc parentibus possent, ac ex iisdem nepotes quoque habuerint. Subjiciuntur in fine, prout in I quoque parte factum observavimus, variæ annotationes, in quarum ultima Matthæi Parisiensis nobilissimi Historici lublesta fides, quodque, cum Anglus fuerit natione, ex nimio partium studio & consueta scriptoribus πατριδομανία, quicquid a Gallis laudabiliter factum, silentio fere transmiserit, multis exemplis demonstratur. Promittit quoque Auctor *Tractatum Heraldico-Genealogicum illustrium Normanniæ Familiarum*, ut & *Chorographiam Normanniæ*, rogatque, ut, qui in scriniis suis asservant, quæ huic instituto possint inservire, benigne eadem sibi concedant.

Tertia pars in quatuor libros dispescitur, ex quibus VII, VIII & X iterum res in Gallia inde a Philippo Audace ad Carolum usque V gestas, tum & gravissima bella, quæ in hæc tempora inciderunt, & quorum Normanni subinde pars magna fuerunt, exponit; IX vero statum Normanniæ Ecclesiasticum, quem seculo XII habuit, eadem ratione, qua supra seculi XII Historiam sacram exhibitam fuisse monuimus, pertractat. In annotatis recensentur variæ opiniones de origine vocabuli *Echiquier*, quod Latini Scacarium vocant, & supremam Normanniæ Curiam sive Parlamentum ambulatorium denotat, quale circa A. 915 ibidem constitutum, & a Philippo Pulchro A. 1302 restauratum est. De Carolo Comite Valesiæ & Alenconii, qui imperante Carolo IV JA. 1325 obiit, id observatur, fuisse tot Imperatoribus atque Regibus aut consanguinitate junctum, aut affinem, ut titulum Imperatoris Constantinopolitani gesserit, cum uxorem duxisset ejus Imperii

perii hæredem a Martino V Arragoniæ Rex nominatus sit, Regis filius, frater, pater, quatuor Regum avunculus, Imperatoris socer, Imperatoris atque Regis gener, & septem insuper Regum affinis extiterit; neque tamen unquam ad supremam sive Imperatoris sive Regis dignitatem potuisse aspirare. Neque est transeundum, quod de Dieppensibus refertur, eosdem scilicet anno 1364 Guineam primos detexisse, vicoque ibidem, qui Dieppe dicitur, constituto in sui memoriam, ebur inde in patriam retulisse, quod hodienum tam singulari opera atque artificio edolare calleant, ut, qui paria cum ipsis faciant in hoc studio, alibi per totum terrarum orbem non inveniantur.

OUDE EN RECHT-ZINNIGE WAARHEID in't Stuck der Bedeeling der Tyden &c.

Hoc est:

VETUS & ORTHODOXA VERITAS IN DOCTRINA DE TEMporum œconomia & peccatorum remissione, obscurata quidem umbratiliumque novitatum nomine obfuscata, jam tamen in luce collocata & contra omnes objectiones vindicata a JOANNE SWARTTE, Philos. & S. Th. dum viveret Doctore, Ministeriique apud Leerienses Seniore.

Roterodami apud Bernh. van Sandbergen, 1695. in 4. alphab. 5.

REverendus voluminis hujus Autor, jam olim, in patriis præcipue Ecclesiis, haud exiguam famam sibi conciliavit, in quibus haud parum celebrata fuerunt, quæ ei cum Paulo Lessio intercessere de Sabbati observatione controversiæ. Occasionem illæ dederunt ei, ut publico scripto innocentiam suam & in doctrina puritatem defenderet, quod ante annos aliquam multos, *Veteris & orthodoxæ veritatis circa doctrinam de Sabbato* titulo insignitum, publicam lucem adspexit. Invenerat illud opus apud plerosque favorem, quem non omnibus obtingere patiuntur sua fata libellis, qui proinde optabant, ut aliis in posterum scriptis Ecclesiam demereri vellet Reverendus Autor ejus. Qui etiam ab iis haud ægre admodum persuasus

ſuaſus, illud, quod titulus voluminis oculis noſtris nunc obverſantis indicat, argumentum prolixiori opere perſequi animum induxit, præcipue cum hujus conſilii ſui in ſupra memorato tractatu mentionem injeciſſet. In eo autem non fidei atque doctrinæ ſuæ tantum rationem ſe reddidiſſe monet, ſed polliceri quoque non dubitat, quamplurima minime vulgaria Lectoribus ſeſe in eo eſſe oblatura. Noſtrum jam erit, methodum ejus pauciſſimis indicare.

Totius itaque operis, quod molitus, veluti fundamentum, non procul ab initio ejus, hoc fere ſternendum eſſe cenſuit: quod Deus omniſufficiens, perfectus, omniſapiens, & omnipotens, ab æterno propoſitum habuerit, decretumque fecerit, ex lapſorum hominum cœtu λαὸν περιούσιον ſibi deligendi, quem Mediatore intercedente ſibi reconciliaret, fide donaret, vitaque æterna immutabili conſilio bearet, ut divinas ſuas virtutes & gloriam eo ipſo exereret atque manifeſtaret. Decretum iſtud variis nominibus in Scripturis appellatum, διαθήκης præcipue & ברית nomine inſigniri, easque voces teſtamentum potius, hoc eſt, diſpoſitionem de hæreditate, quam fœdus ſignificare, variis rationibus oſtendit. Teſtamentum vero hocce æternum & immutabile teſtatorem Deum triunum, ſecundam tamen ſpeciatim Trinitatis perſonam; hæredes certos eosque nominatim deſignatos homines exſiſtere, bonorum vero eam rationem eſſe, ut iis excidere nequeant hæredes, ſed vi teſtamenti firmiter & in æternum ea poſſidere debeant, docet, ita tamen ut non niſi intercedente Teſtatoris morte, hæreditatem adeant. Duas autem quaſi teſtamenti hujus partes eſſe ſtatuit, quarum prior Filium hæredem omnium paternorum bonorum conſtituens, eique regnum in populum juſtum decernens, fundamentum quaſi poſteriori parti præbeat, qua membra & ſubditi illius regni cohæredes conſtituantur. Cum autem teſtamentum hoc certas quasdam conditiones ab hæredibus impleri requirat, opus eſſe, ut ſponſor adſit, qui ex ipſis hæredibus primogenitus Chriſtus ſit, qui pro nobis fratribus ſuis minorennibus, imo nondum natis, de implendis conditionibus iſtis fidem ſuam obſtrinxerit. De hoc itaque officio Chriſti, quod mediatorium communi nomine appellatur, prolixe agit, atque ut paucis mentem ejus de eo complectamur, non *expromiſſionis*, ſed *fidejuſſionis* rationem ejus ſponſionem habuiſſe putat; ob quam nimi-

nimirum Pater & judex se ab hæredibus futuris exacturum non esse declaraverit, ut ipsi debita sua exsolverent, usque ad tempus istud, quo sponsor illud præstiturus erat; ita tamen ut in illis tanquam præcipuis debitoribus obligatio ad pœnam, ipsumque debitum, usque ad tempus plenariæ satisfactionis, tam respectu implendarum testamenti conditionum, quam respectu pœnarum promeritarum, a sponsore præstandæ maneret. Testamentum autem istud, uti e re illorum, qui hæredes fuerunt constituti, non erat, ut obsignatum quasi & occultum maneret: ita Deum ejus argumentum hominibus omnibus ævis, diversimode tamen, revelasse. Pro diversis itaque revelationis modis, tria tempora accurate distinguenda esse, quorum primo testamentum æternum nuda promissione ab Adamo usque ad Mosen, secundo umbris & figuris a tempore Mosis usque ad Christi adventum, expositum fuerit. Quibus denique successerit tertium, quo umbris & typis cessantibus, ipsum corpus sive res illis significata locum eorum occupaverit. De tribus hisce temporibus, divinaque, quæ illis obtinuit, œconomia, simpliciter primo opinionem suam proponit, Cocceji semper vestigiis inhærens, quam deinde pariter ad hactenus propositam de testamento sententiam fusissime deducit, multisque argumentorum ponderibus confirmare annititur; refutatis sollicite objectionibus eorum, quibus iste Theologiam tradendi ratio minus probatur, sacrisque literis, Propheticis imprimis, ea qua solent Cocceji discipuli methodo & ingenio explicatis.

DELL' ISTORIA DEL MONASTERO DI S. BENEDETTO &c.

Hoc est:

Historia Monasterii S. Benedicti intra Padum & Larionem, in tractu Mantuano Libri V. autore D. BENEDICTO BACCHINO, e Congregatione Benedictinorum Casinensi &c.

Mutinæ, apud Capponum &c. A. 1696. Alph. 2. pl. 3.

Benedictus Bacchinus, celeberrimus Vir & vel Diarii Eruditorum Italici editione nomen dudum adeptus, a Simeone Belinzani Abbate Cœnobii Benedictini, quod est in ditione Mantuana inter Padum & Larionem, cujus in se insignem benevolentiam in præfatione

deprædicat, persuaderi se passus est, ut Monasterii istius historiam scriberet, eandemque Eminentissimo Cardinali Cœlestino Sfondrati, Benedictinorum insigni, dum viveret, Patrono dedicaret. In ejus libro I expositis breviter Longobardicis rebus, reliquiisque familiarum post demtum Longabardis in Italia imperium superstitibus, ad Sigefridum accedit, qui in Lucensi civitate circa seculorum IX & X confinia dominium habuit, divitiisque & potentia cumprimis eminens, natas ex se illustres maxime in Italia familias, & quæ hodienum perdurat, Estensem quoque reliquit. Is ex filio Attone Theudaldum habuit nepotem, qui primus Cœnobium, de quo sermo est, circa annum 1007. fundavit, ac B. Virgini, S. Benedicto, S.Michaeli Archangelo, & S.Petro sacrum esse jussit. Illustravit ejus initia S.Simeon, qui cupiditate videndi religiose per Asiam & Europam loca, huc venit quoque, & multa miracula operatus est; opes vero ac ædificia Theudaldi filius Bonifacius, extructo inter alia in S. Simeonis istius honorem novo templo, insigniter auxit, & ex Beatrice altera conjuge anno 1046 Mathildem genuit. Atque hujus maxime insignia in Benedictinos illos beneficia eaque insuper merita extiterunt, ut plurimus sit Autori nostro per universam Historiam de ipsa sermo, qui omnem Sigefridi genealogiam, ad illam usque Mathildem, peculiari schemate, ut quicquid in hoc I libro continetur, uno statim obtutu cognoscatur, sub operis initium exhibuit.

Mathildis hæc, ut L II. exponitur, cum mortuo patre Bonifacio, Gothofredum Lotharingium Ducem vitricum esset nacta, filio hujus Gothofredo juniori desponsata (ut tanto firmius pangeretur adversus Imperatorem fœdus, cum quo & Gothofredo ob Lotharingiam & Beatrici ob ditiones Italicas intercessit controversia & postquam mortuo jam vitrico, una cum Matre multa hactenus & ab Henrico III. Imperatore, & inter Antipaparum gravissimas contentiones perpessa, ditiones aliquandiu gubernaverat, eidem demum 24. annorum virgo anno Christi 1069. matrimonio fuit juncta, quamvis non tam conjugii, quam, quæ Lamberti Schafnaburgensis verba sunt, *quandam viduitatis speciem longissimis ab eo spatiis exclusa prætendebat, cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet, & ille Ducatus, quem in*

Lo-

Lotharingia administrabat, negotiis implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marchiam Italicam inviseret. Una igitur ditiones suas moderatæ sunt Mater & Filia, & una nomina sua diplomatibus subscripserunt. Mathildi vero post mariti & matris obitum Anselmus quidam, Lucensis Episcopus, Pontificis Romani providentia Rector spiritualis & Consiliarius status contigit, qui prudentia sua Mathildi non parum profuit, arctaque cum Alexandro II & Gregorio VII Pontificibus amicitia eandem conjunxit, & inter Antipaparum furores, & adversus Imperatoris odium, quantum potuit, servavit; quamvis, ut erant turbida tum tempora, non vulgariter subinde & ipsa & Cœnobium ejus Benedictinum affligerentur. Ejus Anselmi, qui, ut Monachi Benedictini regulas Cluniacensis Congregationis assumerent, & eidem A. 1080 unirentur, autor fuit, vitam virtutesque & mortem atque exequias, sub libri hujus finem, Bacchinus prolixe describit.

L. III de secundis Mathildis cum Guelfone Bavariæ Duce nuptiis agit. Hunc sibi elegerat maritum, *non tam*, ut Bertholdus memorat, *pro incontinentia, quam pro R. Pontificis obedientia, ut tanto virilius S. R. Ecclesiæ contra Schismaticos posset subvenire.* At enim vero multarum calamitatum causa extitit hoc conjugium: siquidem Henricus IV Imperator odio adversus Guelfonem Italiam ingressus, Mantuanam ditionem late vastavit, nec monasterio pepercit, & ut a fide, qua Romano Pontifici addicti erant Monachi, in suas partes pertraherentur, annisus est. Sustinuit tamen vim Imperatoris egregie Mathildis, eoque repulso trans Padum, cœnobio suos incolas & florem suum reddidit, atque tametsi a marito quoque in gratiam cum Henrico redeunte desereretur, non defecit tamen animo, sed eluctata, quibus premebatur, angustias, victoriam subinde de validissimo hoste reportavit. Unde ut grati animi erga Deum, judice Autore nostro, extaret documentum, nova beneficia in monasterium contulit, quin & ex favore in Romanam Sedem, omnia bona sua, quæ habebat & acquisitura erat, Ecclesiæ S. Petri obtulit; qua sua liberalitate id promeruit, ut Pontifex monasterium Benedictinum liberum & a quacunque aliena jurisdictione exemtum esse juberet.

Sequitur Libro IV Imperatoris mors, & Synodi Guastallæ in Mathildis ditione, ad componendas inter Italos Germanosque de Episcoporum investitura controversias habitæ, fit mentio. Inde Mathildis novæ donationes, & Vidonis quoque Comitis, qui subditus ipsius fuit, & hinc in eodem donationis diplomate eidem tanquam Feudi dominæ ad latus adjungitur, munificentia singularis, & quod terras aliquas Benedictinis obtulerit, deprædicantur. Contigit dehinc Henricum V. novum Imperatorem in Italiam venire, cujus non minus Legatos, quos præmiserat, benigne excepit Mathildis, ac ipsum quoque egregie coluit, magno vicissim ab eodem affecta honore, cum post Pontificem captivum factum, roma Redux *matrem* appellaret, juraretque non aliam mulierem huic similem se vidisse, eidemque Mantuam subjiceret, & Proreginam Liguriæ constitueret. Idem Benedictinis quoque, maxime precibus Alberici Abbatis, qui consanguineus ipsius erat, permotus, privilegia confirmavit, & concessum ab Henrico IV immunitatis diploma ratum esse jussit; cujus exemplum sequentes Imperatores omnes ad Leopoldum usque, qui nunc gloriosissime imperat, imitati sunt, sic ut Cœnobio *Imperialis Monasterii* titulus fuerit paratus.

Ultimo libro inter alia laudatur Monachorum istorum in describendis libris industria, quorum multi in Vaticanam Bibliothecam fuerunt translati. De Mathilde vero scribitur, quod iminente jam vitæ fine, ut plurimum in monasterio hoc fuerit commorata, librosque evolverit, & delectata Monachorum psalmodia pietatis exercitiis perpetuo vacaverit; quod & lecto jam decumbens D. Jacobo Protectori suo sacellum exstrui jusserit, tandemque in ipsius Vigilia A. 1115. placide exspiraverit & in cœnobio fuerit condita. Hæc ea sunt, quæ Bacchinus libro hoc, cujus ad nos exemplar beneficio Illustris *Magliabechii* pervenit, pertractat, usus maxime Donnizonis cujusdam industria, qui Mathildis res gestas carmine heroico decantavit, exhibensque sub calcem libri diplomata, quorum in ipso operis contextu facta fuerat mentio.

A DIS-

A DISCOURSE CONCERNING THE AUTHORITY &c.

i. e.

Dissertationes, quibus autoritas, stylus atque perfectio Veteris Novique Testamenti librorum expenditur. Volumen III.

Autore JOHANNE EDUARDI Collegii D. Joannis apud Cantabrigienses quondam Socio.

Londini apud Jon. Robinson, &c. 1695. alph. 1. plag. 15½ in 8.

CLarissimus *Jo. Eduardi*, cujus non infrequens hactenus in Actis nostris mentio facta fuit, inter alia in id quoque ingenii vires impendit, ut cœcas plerumque in æstimandis bonis suis mortalium mentes, divinos Scripturarum thesauros vero suo censere pretio doceret. Conscripsit eo animo tria spissa satis volumina, quibus excellentiam eorum, in quantum humana eam assequi potest infirmitas, ob oculos omnibus ponere atque celebrare suscepit. In quorum primo & secundo uti id potissimum egit, ut evidentissimis argumentis autoritatem suam Scripturæ assereret, & styli ejus indolem, docte innumera fere ejus loca interpretatus, nobis traderet; ita in tertio hoc, quod nunc perlustrare animus est, ut ex ejus genio de reliquis etiam conjecturam facere Lectores queant, summam ejus & undiquaque absolutam perfectionem considerare constituit. Eo igitur in illud omnes ingenii nervos intendit, ut Biblicam eruditionem solidissimam esse perfectissimamque, S. Literas bibliothecam plane numeris suis absolutam solas constituere, quin denique omne eruditionis genus, omnes artes iis contineri, jucunda solertia evincat.

Totius autem hujus voluminis summa ad quinque fere capita redit, de quibus singulis quanta fieri poterit brevitate dicemus. Primum pertinet ad usum perfectionemque Scripturæ, in relatione ad res spirituales nostramque salutem concernentes consideratæ. Eam enim tam fidei nostræ perfectam regulam atque normam, quam vitæ canonem esse, Autor ostendit, ad quem ea penitus sit exigenda. Non nimis autem prolixus est in hac operis sui parte, sed postquam nec Judæorum Cabbala, sive orali lege, nec Pontificiorum traditionibus, nec Familistarum, Quakerorum, aliorumque

[Margin: c. I. p. 9. — p. 14. — p. 34. — p. 37.]

En-

Enthusiastarum fanatico Spiritu opus nobis esse ad supplendos, quibus Scripturam laborare somniant, defectus, demonstraret; ad id statim progreditur, quod alterum hujus tractationis caput constituit, ut scilicet Scripturæ excellentiam & perfectionem inde evincat, quod nihil fere sit sive eruditioni sive vitæ usibus inserviens, cujus non
c. II. p. 45. prima saltem principia & quasi semina in illa inveniantur. Fusissime omnium istud argumentum persequitur, a rebus historicis at-
p. 47. que ad vitam civilem pertinentibus initium faciens. Ubi postquam de antiquitate Hebraicæ linguæ, quam primævam statuit, prælibasset, atque magnum pro excellentia S. Literarum inde duxisset argumentum, quod ejus puritas in iis solis nobis servata fuerit; primas mundi origines atque creationis historiam, antiquissimarum item gentium ortus & habitacula, juris civilis & judiciorum origines, variasque imperiorum inter gentes facies, quatuor denique Monarchiarum conditionem ex Scripturis vel solis, vel melius quam
c. II. p. 111. ex aliis libris omnibus, nobis innotescere evincit. Unde quid Scripturæ de agricultura & pecuaria, quid item de antiquissimis cibi & potus generibus, ritibusque in illis sumendis adhibitis, quales accubatio, discalceatio, pedum lotio & alii, nos doceat, persequitur,
c. III. p. 157. primosque artium mechanicarum inventores ex iis recenset. Porro ad literarum inventionem progreditur, omnemque scribendi rationem, qualis antiquissimis temporibus obtinuit, ex Mosis Historia aliisque Scripturæ monumentis exponit: quæ item ad Poesin, ad Musicam, & ad rerum naturalium scientiam spectantia in ea occurrunt, percenset, atque speciatim Anatomiæ, Medicinæ, Chirurgiæ, mortuorum condiendorum artis, ejus item quæ ad pharmacopolas spectat, antiquissimam mentionem in Scripturis haberi, primosque qui eas excoluerint, in iis nominari ostendit. Navigationis etiam incunabula ex ea repetit; qua occasione cum de classe Salomonis, & Ophir regione, quam illa petebat, paulo fusius agat, quæ ea de re sentiat, non possumus non hoc loco repetere. Nempe
p. 194. non ad Indos, quod credunt nonnulli, Salomonis classem navigasse persuasum habet, idque tum inde probat, quod sine magneticæ acus usu, quam inventam tum nondum fuisse putat, longinquum adeo iter suscipi haud potuerit; tum hinc, quod mare mediterraneum κατ' ἐξοχὴν eo tempore mare, & mare magnum fuerit appella-

pellatum: quod nomen neutiquam ei daturos fuisse Chananææ terræ incolas Israelitas censet, si ad Indos navigantibus magnus ille, qui superandus erat, Oceanus innotuisset. Africam itaque classe ista petitam fuisse censet, ad quam littora legentes nautæ Salomonis penetraverint, auri quippe optimi in nonnullis locis feracem. Quæ conjectura eo verosimilior illi videtur, quod inter Apher, quod antiquius est Africæ nomen, & אופיר Ophir, ne in nomine quidem aliquam esse differentiam existimet. p. 196.
Id quoque notatu non indignum, quod de Salomonis classe 1 Reg. IX. 26 memoratum esse observat, ædificari illam solitam esse in Maris Rubri littore, in terra Edom. Hinc namque non Dionysii Alexandrini tantum locum illustrat, qui Erythræos, h. e. Edomitas, (ab Edom enim seu Esavo & regionem & mare Erythræum appellatum censet) primos navium architectos appellat; sed & alterum paulo obscuriorem Plinii locum, qui L. VII c. LVI ait: *navem primum ex Ægypto in Græciam Danaum invexisse; ante vero rationibus navigatum esse in mari rubro, inter insulas, a Rege Erythra.* Verum cum Autore clarissimo ad p. 197.
alia pergendum. Quæ de Astronomicis itaque rebus in Scripturis habentur, deinceps persequitur: atque de armis etiam aliisque bellicis instrumentis, quorum in iis mentio est, agit. Ubi multa, quæ p. 206.
apud cultissimas gentes sequioribus temporibus in usu fuerunt, antiquissimo illo ævo jam observata esse ostendit. Sic v. c. scuti in prælio factam jacturam apud Ebræos non minus turpem, quam postea apud Græcos fuisse, probat ex illis lessi, quem Saulo Davides cecinit, verbis II. Sam. I. v. 21. *ibi projectus est clypeus fortium, clypeus Saul* &c. ut alia hujusmodi silentio nunc prætereamus. Ea deinceps p. 221.
etiam, quæ de venationibus & saltationibus ex S. Scripturis discere licet, in medium affert, quæ item de ritibus matrimonialibus & nu- c. V. p. 225.
ptialibus, nec non de ratione commerciorum, & pecuniæ speciatim istis temporibus usu, in iis habentur. Nec superficiarie de vestibus varioque ornatu utriusque sexus agit, ut & de antiquissimis sepeliendi modis in Scriptura traditis, ritibusque ac ceremoniis, quibus c. VI. p. 263.
mortuos suos plangentes luctum suum testatum facere solebant. Ea occasione erudite de sepulcris veterum Britannorum agit, lapidumque cumulis, qui miræ artis cæmento in unum quasi lapidem coaluere, eis superimpositis. Atque inter alia antiquum nomen

Stone Hengs, quo vernacula lingua appellantur, inde ductum esse existimat, quod cæmento isto arcte sibi invicem cohæreant lapides; non quod, ut Camdenus existimavit, in aere quasi hæreant lapideæ istæ columnæ. Non expectabit Lector, ut quo modo hanc sepulcra construendi apud Britannos rationem, cum antiquissimis moribus ille comparaverit, quibus itidem receptum fuisse in Sacris Literis legimus, ut lapides imponerentur magnorum funerum receptaculis: quin potius nobiscum ad secundæ hujus etiam tractationis finem properabit, quem latissime patentem scientiarum campum in Sacris Literis nobis apertum commendans, rerumque in iis traditarum certitudinem cum aliorum scriptorum incertis narrationibus contendens, ei quoque tandem imposuit.

Jam tertio loco, quo melius SS. Literarum omnium oculis pateat excellentia, singulos, qui eas constituunt, libros speciatim perlustrat, atque in eorum autores, stylum, argumenta, aliaque a Critico non inutiliter discutienda, studiose inquirit. Prolixum nimis foret singula illa nunc persequi: sufficiat pauca ex iis annotasse. Inter
c.VII p.320. ea igitur, quæ de Mosis, cujus vitam & res gestas fusissime exponit, libris observavit, illud inter postrema haud videtur annotandum, quod historiam creationis cœli & terræ ab eo traditam peculiari quadam ratioue explicaverit. Ut mentem ejus quam brevissime exponamus, in primo commate primi Geneseos capitis, generalem quasi ideam ante omnia totius creationis delineari putat, quæ deinceps
p. 321. quoad singulas partes suas magis luculenter describatur. Prima autem die geminum opus absolvisse Deum censet, massam nimirum ex terra & aqua compositam, quam terram Moses, chaos profani scriptores passim appellent, e qua Deus omnia corpora ad mundum nostrum inferiorem spectantia deinceps produxerit, (utpote cum qua cœlestia corpora superioresque regiones nihil commune habeant) unde & Thales cum aliis quibusdam aquam vel potius li-
p. 323. mum aliquem, rerum principium recte statuerit; & lucem tenuem atque vagabundam, ab ignea nimirum & luminosa materia prosilientem, quam Spiritus Dei potentissima incubatione sua produxerit, ex qua purissimus æther cum cœlestibus postmodum corporibus fuerit formatus. Hæc duo itaque universalia rerum omnium visibilium principia, prima die condita statuit, & huic quidem agentis, illi

illi patientis partes assignat, atque eorum productione proprie sic P. 325.
dictam creationem absolutam esse monet, cum sequentium dierum operibus conditam prima die materiam omnipotens Creator adhibuerit. Per expensum secunda die conditum, nihil aliud quam aeream regionem intelligit, aquarum parte verbo omnipotente Creatoris rarefacta & attenuata exortam, & spatium aliquod inter aquas supra terram prius congestas constituentem, ita ut superiores in nubibus contentæ ab inferioribus terræque propioribus dividerentur. Cum autem divisio aquarum secunda die penitus non absoluta fuerit (unde & approbationem divinam, qua reliquorum dierum opera ad perfectionem perducta bona pronunciavit, nondum absoluto operi concessam non fuisse putat) tertia die complementum illam accepisse ait, qua & divisis exacte, & in receptacula sua conjectis aquis, arida terra facta fuerit. Quarta autem die æthereum expansum, stellarum omnium domicilium, a modo commemorato expanso aereo distinguendum, conditum esse censet, quod luce in varia corpora compacta ornatum fuisse, Historia Mosis nos docet. Atque hanc suam de creatione cœli & terræ opinionem non Cartesiana hypothesi tantum censet esse magis probabilem, multoque motus legibus convenientiorem, sed & Burnetium se- p. 330.
verissima notat censura, cujus de opere quarti diei judicium ne Philosopho quidem, nedum Christiano dignum esse arbitratur. Cum enim illi parum verosimiliter Mosis verba rem proponere existimet, eo quod quarta die plura atque majora, quam reliquis diebus omnibus, a Deo producta esse innuant, miratur Philosophum non percepisse, materiam illam rudem, massam inquam terraqueam, quæ operum reliquarum dierum fuit, ex nostri Autoris sententia, principium & elementum, non adeo facile moveri potuisse, quam fluidam æthereamque lucis materiam, ex qua quartæ diei opera concinnata fuere. Mittamus reliqua huc pertinentia, & unicum saltem p. 393.
id ex iis, quæ in ista voluminis parte ab Autore nostro disceptantur, annotemus, eum, ut majorem Salomonis scriptis autoritatem conciliet, eorum partes etiam tueri, qui eum post lapsum ad meliorem mentem rediisse, æternæque salutis factum esse participem statuerunt.

De quarto nunc etiam, quod tractandum suscepit, capite non

nullam erunt dicenda. Duabus nimirum eo respondetur objectionibus, quibus optimam, quam merito omnes de Scripturæ perfectione mortales fovere debebant opinionem, minuere atque infirmare
c. XI. p. 451. nonnulli nituntur. Prior est, quam sive a libris in V. T. uti existimant, allegatis, hodieque deperditis, sive a locis in Novo Fœdere productis, atque in nullo sacrorum monumentorum hodie obviis, nonnulli petunt. Et libros quidem in V. T. allegatos quod attinet, nullum eorum deperditum esse, sed partem eorum, quæ hodie habemus, monumentorum eos constituere, Lightfooti & Rabbinorum plerumque insistens vestigiis docet. Ad loca vero e Novo Fœdere in hanc rem prolata ita respondet, ut vel asserat e libris V. T. quæ illis utcunque respondere videntur, vel non scriptum aliquod, sed dictum, ore à divinorum Virorum nonnemine tantum prolatum, quandoque ab Evangelistis & Apostolis citari dicat, vel generatim, tantum Veteris Testamenti doctrinam, ad nullum peculiarem locum respicientes Apostolos proponere statuat. Sic v. c. Jaco-
p. 463. bum Apostolum iis, quæ c. IV. v. 5. Epistolæ suæ allegat, neque respicere credit ad Gen. VI, 3. neque ad Num. XI, 29. neque quod Knathbull existimavit, ex libro deperdito ea esse putat deprompta, sed in genere Virorum Dei in V. T. indicari credit doctrinam, qua de cordis humani depravatione passim homines quid tenere debeant edocuere: similique modo Lucæ XI, 49. etiam explicari jubet.
p. 466. Locum vero 1. Cor. V, 9. quo inducti nonnulli aliam adhuc, præter
p. 467. eas, quas hodie legimus, Pauli Epistolam olim exstitisse sibi persuaserunt, ita exponit, ut vel ἔγραψα pro γράφω poni dicat, haud infrequenti in Novi Testamenti libris enallage, Ebraismi aliquid redolente, atque adeo hanc ipsam epistolam intelligi credat: vel ῥῆσιν illam ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ a Paulo intertam esse contendat, cum relegeret suam epistolam, ad ea quæ paulo post c. VI, 13 18. & VII 2. scripserat, oculum intendente. Prolixum nimis esset singula referre, quibus aliis hujusmodi locis quamplurimis respondet: ad alteram enim etiam objectionem deveniendum est. Ea ab immani, quod
c. XII. inter Hebraicum textum, & LXX. ut vulgo appellantur, Interpre-
p. 477. tum versionem intercedit, discrimine desumitur. Cui posteriori cum nimium quantum nonnulli tribuant, suspectus non reddi non potest Hebræus, prout hodie circumfertur textus, nisi idoneis argu-

mentis

mentis ab originali in versionem culpa devolvatur. Clarissimus itaque Autor noster, succincte enarrata LXX Interpretum historia, ita Hebraicum textum tuetur, ut omnem tamen illis, quod parum prudenter nonnulli faciunt, autoritatem non eripiat, sed diversitatum varias causas adducat, quarum singulas haud exigua exemplorum copia illustrat. Sunt illæ, quod codicibus vocalibus destitu- p. 492.
tis fuerint usi, atque adeo diversam in punctis consonantibus subjiciendis quandoque rationem secuti fuerint: quod consonantes e- p. 496.
tiam ob formæ similitudinem passim inter se confuderint: quod & p. 498.
vocales & consonantes simul quandoque parum accurate legerint: quod æquivocæ valde pleræque voces hebraicæ sint, varieque adeo reddi potuerint, id quod postmodum omnium vocis cujusdam significationum haud gnaris diversitatis suspicionem fecerit: quod por- p. 502.
ro sensum sæpius quam verba expresserint Interpretes Græci: quod p. 509.
codices eorum a librariis quandoque corrupti sint: quod denique p. 510.
paraphrasin potius quam versionem passim dederint. Utut autem hasce diversitatum causas expendentibus difficile non sit, conciliare in plerisque cum Ebraico textu Græcam versionem, atque id saltem efficere, ut neque contra illius integritatem, neque contra hujus fidem aliquod idoneum argumentum ex utriusque collatione desumi queat; negare tamen non potest, addidisse LXX. Seniores quandoque nonnulla, quæ planissime Ebraico textui contradicant, ut quando Noachi corvum non rediisse ad eum dicunt, & Cainanum in Patriarcharum genealogiam intrudunt; quos gravissimos esse lapsus non dissimulat, nisi cum Bocharto eos quoque librariis tribuere aliquis malit. Quod vero nonnulli deliberato animo quam- p. 511.
plura loca, ad Messiam aliaque hujusmodi mysteria pertinentia, corrupta ab iis fuisse censens, sive indignos tantarum rerum cognitione Gentiles existimantibus, sive ne offenderent aures eorum tam abstrusis mysteriis, veritis, neutiquam ei probabile videtur; quin potius sequioris ævi Judæis, si quæ tales in versione ista occurrant corruptiones, tribuendas eas esse existimat, ferali in Christum ejusque sequaces odio debacchantibus. Atque iis etiam deberi Chrono- p. 514.
logiæ in ista versione censet corruptionem, ne scilicet chronologico argumento de adventu Messiæ a Christianis convinci possent. Sed omittamus ista: aliæ enim etiam in LXX. Interpretibus diversitates

inveniuntur, quibus ab Hebræo textu recedunt, a Judæis sequioribus minime profectæ. Cur autem, inquit Cl. Autor noster, cum ita sese res habeat, Christo & Apostolis allegantur, & quidem ipsa eorum loca producentibus, quæ aliter Hebræus textus repræsentat? Atque mox ista difficultate ita se expedit, ut quandam agnoscat συγκατάβασιν Scriptorum θεοπνεύστων, versione ab omnibus Judæis tum approbata, & a Gentilibus etiam Hebraicarum literarum ignaris unice legenda utentium, atque adeo illis ex principiis eorum cum ipsis disputando, his vero Sacras Literas, prout manibus eorum terebantur, repræsentando consulentium. Ut tamen omnimodo ab illis versionem istam approbatam non esse evincat, loca illa studiose indicat, in quibus a versione illa Græca recedendum sibi esse putarunt. Superfluum cætera esse ducimus, ea quæ de Orientalibus versionibus, nec non de versionibus Latinis tam veteribus quam modernis, ut & reliquis Græcis interpretationibus, hujus posterioris objectionis occasione, Clar. Autor disseruit, utpote quæ ad rem, quam agit, non adeo multum faciunt, ab ipso quoque breviter solum perstricta. Quin potius ultimum rerum, quas in hoc volumine tractandas suscepit, caput tribus adhuc verbis attingamus.

c. XIII. p. 532. Anglicam nimirum Sacrarum Literarum translationem denique castigandam suscipit, atque tam in Veteri quam Novo Testamento vitiis eam haut raro laborare demonstrat, cujus laboris ejus specimina quædam hic quoque edere non gravaremur, nisi oppido paucos nossemus esse, qui apud alias gentes versione illa soleant uti.

c. XIV. p. 596. Coronidem vero denique toti huic operi seria ad versandas nocturna diurnaque manu Sacras Literas adhortatione imponit, quibus subsidiis tractandis versari debeamus, si solidam ex iis scientiam cupiamus haurire, una ostendens.

M. GEORGII LANI SS. THEOL. BACCALAUREI Mausoleum Saxonicum.

Lipsiæ apud Autorem, & Jo. Lud. Gleditsch, 1696. 8. Alph. 1. plag. 16.

Con-

COntinentur hoc opere Panegyrici, quibus Serenissimorum Saxoniæ Electorum Albertinæ lineæ, gloriosissimæ memoriæ, *Mauritii, Augusti, Christiani I, Christiani II, Joh. Georgii I, Joh. Georgii II, Joh. Georgii III,* & *Joh. Georgii IV* vitam, mortem ac res gestas & prosa & carmine Heroico doctissimus Auctor descripsit, publice antehac diversis temporibus in Academiæ nostræ templo Paulino recitati, unoque nunc volumine omnium usui expositi. Ut vero planiora cuncta redderentur, Notas Rhetoricas, Philologicas & Historicas adjicere visum Auctori fuit, quibus Reformationis a B. Luthero quondam divinis auspiciis susceptæ inprimis Historiæ lucem aliquam affundere sategit.

CABALA OR MYSTERIES OT STATE &c.

Hoc est:

Cabala sive Mysteria ad Rempublicam ejusque administrationem spectantia, literis contenta, quas Viri illustres, & in rebus gerendis tam in Anglia quam alibi insignes, Henrici VIII, Elisabethæ, Jacobi I & Caroli I ævo scripserunt.

Londini apud Tho. Savvbridge &c. 1691. in fol. Alph. 5. plag. 20.

TErtia hæc editio est libri jam olim anno 1654 paulo minori, & novem post annis hac ipsa, qua nunc prodit forma, Londinensibus typus evulgati. Qui uti ab eo, quo lucem primum adspexit, tempore abunde se commendavit illis, qui magnorum virorum consilia penitius intueri, iisque cum eventibus diligenter comparatis, prudentiæ capere incrementa satagunt; ita opus non habet, ut nostra opera atque commendatione nunc primum eis innotescat. Quo minus tamen recentissimam hanc editionem, paulo licet serius ad nos perlatam, penitus sileremus, id potissimum in causa fuit, quod non indicibus tantum, Lectorum usibus perquam accommodatis, prodierit ornatior, sed auctario etiam non contemnendo insignis eorum favorem sibi expetat. Istud, ne plane nihil de eo dicamus, maximam partem absolvunt literæ & monumenta, ad res a Roberto Leicestriæ Comite, & Thoma Barone Buckhursto, Serenissimæ Elisabethæ jussu atque auspiciis, superiori secu-

feculo in Belgio, molestum Hispanorum jugum excutere tum molliente, gestas spectantia. Quorum uti haud postrema portio vel de copiarum utriusque partis conditione, vel de urbibus & castris sive obsidendis sive tuendis, vel de necessariis bello sumtibus comparandis, aliisque hujusmodi agit, quæ omnibus æque Lectoribus utilia atque accepta hodie fore, polliceri non possumus: ita haud pauca tamen inter ea deprehendimus, quæ agitatis eo tempore sive in Anglia sive in Belgio consiliis, haud parum lucis affundere posse videantur. Maxime inter ea observationem meretur earum rerum copiosa enarratio, quæ secus, quam vel Serenissima illa Regina, vel Leicestriæ Comes optassent, in Belgio a Buckhurstio gesta fuerunt. Quæ ita tamen referuntur, ut ea, quæ ad defendenda illa a Bukhurstio, ad exaggeranda vero eadem a Leicestriæ Comite allata fuere, una subjungantur. Verum quantacunque ista sint, non sola auctarium novæ hujus editionis absolvunt: habentur enim in eo etiam nonnullæ Caroli I literæ, ad historiam excitatorum anno 1642 a Magno Regni Concilio motuum pertinentes. Imo & alia nonnulla accedunt non parum jucunda, e quibus paulo luculentius commemoranda esset Bajazethi Chami Turcarum Imperatoris ad Alexandrum VI. Pontificem Rom. de interficiendo fratre suo Gem epistola, nisi eadem nupero Specimini Historiæ Arcanæ de Vita Alexandri VI (p. 22.) inserta, propius jam plerisque innotuisset. Imo forte etiam hoc loco commemorari non indignæ sunt, quæ sub finem hujus appendicis exhibentur, Henrici VIII Angliæ Regis ad Cardinalem Cibum, & Caroli V Imperatoris ad modo dictum Henricum epistolæ: in quarum priori Henricus urbis Romæ evastationem, Caroli auspiciis a Duce Burbonio patratam, lugubri oratione deplorat, vitamque & opes ad tuendam Romanæ Ecclesiæ autoritatem offert: in altera vero Carolus Henrico consilii facinorisque sui rationes exponit, atque injusti nihil sese admisisse demonstrat; sibi ipsi imputare debere, Romanam Ecclesiam, si quid gravius fuerit passa, existimans, utpote quæ unice flammæ ipsi adeo perniciosæ materiam prima subministraverit.

(o)

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. IV.

NICOLAI PARTHENII GIANNETTASII, SOC. JESU,
Æstates Surrentinæ.

Neapoli apud Jac. Raillard, 1696, in 8. plag. 18½.

QUi venustissimorum poematum de re nautica & piscatoria cantu, librisque *Piscatoriorum & Nauticorum*, *Halieuticorum* item nominibus inscriptis, & in his Actis Tomo I Supplem. p. 1. & 577 recensitis, superioribus annis elegantiorum literarum cultores demulcere fategit, & dulcissimorum carminum horum suavitate in admirationem rapuit; idem Dialogorum festivitate nunc Lectores mirifice oblectat, felicissimi ingenii & profluentis dictionis in utroque tam soluto quam ligato genere Scriptor luculentus ac plane insignis. Surrentum, urbs eximia regni Neapolitani, in ora sinus istius, circumjacenti agro *Surrentini* nomen dedit, fertilitate collium celebri, de quo Columella Lib. III cap. 8 affirmat. *hujus agri vites*, non minus ac Massici, Albani ac Cecubi, *omnium quas terra sustinet, in nobilitate vini principes esse.* In isto tractu cum villa sit sita, in qua Auctor rusticans vel solus oculos pascit, vel cum amicis e vicinis locis, cumprimis autem Neapoli, accurrentibus animum oblectat, ei *Surrentini* nomen imposuit: cujus loci amœnitatem, & totius regionis jucundissimum situm ad mare fertilitatemq; graphice describit, ibiq; se rusticantem sæpenumero ab amicis salutari, eruditisque confabulatio-

nibus, vel inter epulas, vel inter deambulandum recreari, narrat *cap. 1.* Sermones hos in commentaria a se relatos *Surrentinarum Æstatum* nomine insignivit, & collocutores Quinctium, Eulalium, Sextum Nigrum, Lucilium, Antigenem, Quattum Manium, Valerium, Taurinum, Sylvium, Cardinalem, Cantelmum, Vellejum nominat, qui cum ipso de variis rebus sermones miscuerunt, quorum argumenta breviter exponemus. Apud Indos regem (cujus divitiæ & magnificentia opesque sic describuntur, ut in universo terrarum orbe quidquam vel opulentum magis vel splendidum non reperiatur) quotannis, dum illius natalitius dies recurrit, ponderari, & quot libras pendat, exactissime trutinari solere, & si gravior pinguiorque is reperiatur, magna lætitia populum affici, *cap. 2.* narrat. Qua ratione perexiguum in navi gubernaculum, quod in puppi temonem vocant, universam navigii molem regat, &, quaquaversus gubernatori visum, tam facile verset, *cap. 3.* exponit. A seipso convivium adornatum, & fercula varia sua manu confecta, gallinaceos pullos coctos, artocreas ficedulis ac coturnicibus variisque condimentis instructum, placentas confectas, vitulinos lumbos assatos, liba ex dulcibus conflata, convivisque coquum & pistorem hunc mirantibus apposita, *cap. 4.* narrat; quibus artibus Auctorem pollere, etiam *e p. 73. 76, 96. 98. 243. 248.* liquet. Fame expleta ubi Vesuvium adjacentem nonnullos fumi vortices ac flammarum cuneos ex ambusto cratere evomere cernerent, eaque occasione de fulminalibus, seu machinis bellicis ac tormentis, quæ fulminis vice æreas pilas quam longissime ejaculantur, sermonem instituissent, quidam amicorum operis poetici mentionem injicit; quod Auctor de re bellica molitur, e quo libri istius, qui de bellicis tormentis agit, initium recitat *p. 34.* cujus ut gustum Lector habeat, hos excerpere lubet versus:

Nunc Martis tormenta, quibus vel prælia miscens
Extentis tonat in campis, vel fervidus arces
Fulminat obsessas, & mœnia dejicit ictu:
Quam varia, & qualis sit bellatoribus usus,
Dicere nunc labor insequitur. &c.
Principio tormenta, nigris quæ vexit ab umbris
Sanguineus Mavors, Furiis & Dite ministro,
Ardentes quoniam jaculantur ad æthera flammas

Hor-

Horrisonis late bombis, cognomine nostri
Illa hinc Bombardas appellavere, vocantes.
Mirum, horrendum, ingens inventum Martis, aperto
Edere seu stragem campo, seu fulmine clausas
Dejectare velit totis cum mœnibus urbes. &c.

Opus sane præclarum futurum, & tactica, poliorcetica ac navalia bella pulcherrimo carmine expositurum, cujus etiam mentionem *p. 36. 65. 103. 118. 191. 205. 211. 219. 253.* facit, ad quod absolvendum Auctori otium & secessum a Neapoli, quem necessarium sibi esse ait, inque Surrentina villa sua commorationem optamus. Dum vero carminis de tormentis initium recitat, amici ex eo quærunt, apud ques primum gentes tormentorum bellicorum fuerit usus, an Sinenses, an Venetos, an Gallos, an Anglos, an Germanos? quibus respondet *p. 42.* sibi videri ab incolis regni Butani, quod ultra Seras & Alemenses situm, originem accersendam tormentorum bellicorum, quæ ibi reperiantur ante quingentos annos facta, tum ænea tum ferrea, sclopi item minores affabre politi. Ab his populis ad Peguanos primum, inde ad Sinas artem conficiendarum istarum machinarum pervenisse, *p. 43.* De adamantum ortu, & quibus in locis reperiantur, quaque vel arte vel industria eruantur, *cap. 5.* docet, de earumque natura *cap. 6.* disserit. In quo præter ea rosæ laudationem Græcam ex Achille Tatio Lib. II. petitam *p. 56.* editionis Salmasii, quæ ex Sapphus poematibus deprompta creditur, epigrammate Latino eleganti reddidit *p. 56.* Ex Bellicis, quæ absoluta esse *p. 63.* indicat, elegantem locum de equorum delectu & equestri exercitatione *cap. 7.* recitat. Vesuvii montis incendium, quod anno 1696 contigit, & Auctor ipse spectavit Eminentissimo cum Cardinale Jacobo Cantelmo, prolixe describit *cap. 8.* facta simul mentione, quomodo cocolatæ potio præparetur *p. 84.* Libri secundi *cap. 1.* variorum ferculorum ab Auctore perite confectorum apparatus narratur *p. 96.* & e Bellicis ipsius carmen de fortitudine Andr. Cantelmi Ducis Hispani recitatur *p. 103.* Terræ motuum causam ignem esse *cap. 2.* docetur, & de iisdem *cap. 3. 4.* late disseritur, ac instar cuniculorum arte factorum, ignem in terra, ubi sulphur & nitrum accenderit, cocussiones concitare *p. 117.* ostenditur; attenuatos etiam vapores *p. 127.* earundem causam esse, nequaquam vero a planetarum habitudine eas effici *p. 137.* indeque nec prædici posse *p. 136. 138.* Muscus, odoramenti genus, ex animalis in Tartaria vesica quomodo petatur, traditur *cap. 5.* Carmen

venuſtum de lue hypochondriaca & medicina adverſus eam ex ſuccino *cap 6.* recitatur. Lætiſſima Campaniæ ora *cap. 7.* decantatur. Harmonicam ſeu muſicam eſſe inter ſapores convenientiam, ita ut ſvavis reſpondeat octavæ ſeu διαβασῶν, pinguis quintæ ſeu διαπέντε, ſalſus quartæ διατεσσάρων, inſipidus ſemiditono, adſtringens ditono &c. in *eod, cap. p. 173.* ab aſtris etiam ſapores pendere & iis aſſimilari *p. 179.* demonſtratur, & adſtringens ad Saturnum, pinguis ad Jovem, acer & amarus & auſterus ad Solem, dulcis ad Venerem, ſalſus ad Martem, inſipidus ad Lunam, acidus ad Mercurium refertur. De Muſicæ inventore, ſive Orpheo, ſive Amphione, ſive Apolline, ſive paſtore quodam Arcade, Bœotiove, ſive Pythagora, de utilitate etiam ejus *cap. 8.* diſſeritur. Libri tertii *cap. 1.* Veſuvium bis centum paſſus de ſua altitudine incendiis perdidiſſe affirmat Auctor *p. 198*, neque tamen e tartaris ignem iſtius montis prorumpere *p. 200*, & quæ de geniis ſpectriſque ad montem iſtum viſis narrantur, fabulas eſſe ait *p. 201.* Homeri & Virgilii loca, de clypeo Achillis a Vulcano confecto, in Bellicis ſe imitatum eſſe & tormento bellico accommodaſſe *cap. 2.* profitetur, prolixamque & elegantem deſcriptionem inde profert *p. 205.* Villam Pollii Felicis a Statio decantatam ut luſtrarint, & vetera monumenta ſint ſcrutati, ac Herculis Neptunique fana a Pollio extructa inveſtigarint, *cap. 3.* narrat, & Ignatii Lojolæ laudes qua ratione tum Bellicis ſuis, tum Saberidi (juvenile quam vocat poema) intexuerit, memorat *p 218. ſeq.* Thracii Boſpori & Conſtantinopoleos amœnitatem *p. 223.* exponit. Ridiculam de ſpectro, quod falſo tale putatum eſt, hiſtoriam *cap. 4.* narrat. Montes ignivomos præter Veſuvium *cap. 5.* nominat *p. 245.* vera autem quæ cauſa ſit incendii horum montium *cap. 6.* ediſſerit, & e Bellicis ſuis ſic canit:


Nimirum multo quoniam ſuccenſa calore
Materia in rapidum vertit ſe foſſilis ignem.
Quæ poſtquam intumuit, nec jam ſpumoſa tenet ſe,
Inſtar aquæ, rupto quæ defluit aggere ripæ,
Immenſa ex alto ſeſe cratere refundit
Fluvio, & circum rapidis vorat omnia flammis.

Quod deinde lautius explicat *p. 254. ſeq* Carmen ſoterium pro reſtituta Hiſpaniarum Regi valetudine *cap. 7.* decantat. De ſimiarum ludicris & riſum non magis quam admirationem moventibus geſticulationibus ac præliis *cap. 8.* agit.

CON



Fig. 2.



T 3 A.1

tionibus ac præliis *cap. 8.* agit.

CON

CONTINUATIO ANATOMIÆ MARSUPIALIS AMEricani, in Collegio Greshamensi dissecti ab EDUARDO TYSON, M. D. Collegii Medicorum & Societatis Regiæ Socio, atque Anatomiæ apud Chirurgos Londinenses Professore.

Excerpta ex Actis (Transactions) Philosophicis Anglicis Mens. April. 1698. No. 239.

ANatomiæ hujus partem, quæ externam inprimis animalis hujus exotici conformationem cum osteologia complectitur, in Actis hisce mense Septembri A. 1698, pag. 407. seq. exhibuimus. Nunc reliqua persequemur. Cum vero ex partibus internis eas potissimum designare mens sit, quæ singulari conformatione, nec in aliis æque animantibus ita obvia, pollent, circa thoracis viscera contenta non aliud innuendum occurrit, quam pulmones molles, spongiosos, dilatari aptos ac convenienti magnitudine præditos, in uno latere tres lobos, in altero autem unum solummodo, sed amplitudine tribus æqualem, obtinuisse; cor vero, duabus auriculis & duobus ventriculis instructum ac pericardio solenni ratione inclusum, pro totius corporis magnitudine extitisse majus, conumque obtusiorem habuisse.

Circa gulam magnæ aderant glandulæ maxillares. Lingua, longitudine tres pollices, latitudine autem tres pollices quartas paululum excedens, aspera erat, variisque ornata protuberantiis, quarum apices introrsum vergebant.

Abdomen, in quo plura curiosius notari merentur, a thorace dividebatur ab interposito diaphragmate, lato, robusto ac carneo, latiori thoracis parti adnexo; quod ipsum tamen quo minus ab abdominis visceribus, animali cauda arboribus adpenso, comprimeretur, provide ab intestinorum inferius ostendenda suspensione solebat impediri.

Sub diaphragmate locabatur ventriculus, (*Tab. IV. Fig. 1. B.*) TAB. IV. ab hepatis portione coopertus, & figura ordinaria, ratione extremorum protuberantium quodammodo semilunari, qualem tophus pilosus inde extractus & *Fig. 4.* delineatus exhibet, circumscriptus. Imprimis structura & situs duorum orificiorum, alterius gulæ, (*Fig. 1*

 A.)

A.) alterius pylori, (*ibid. e.*) peculiari prorſus ratione ſeſe habebant, cum adeo vicini eſſent, ut ſe invicem contingere viderentur, ac inciſo etiam ventriculo non niſi tenuis iſthmus utrique interponeretur. Orificia iſta haud in ventriculi extremitatibus, ſicut communiter, occurrebant, ſed ſuperius circa mediam, magis tamen eam partem, quæ duodenum (*ff.*) reſpicit, inſerebantur. Ventriculus ipſe ſatis parvus & contractus admodum, quod per aliquot dies nihil alimentorum aſſumptum fuiſſet, conſpiciebatur, longitudine circiter tres pollices cum dimidio, ac profunditate duos pollices adæquans. Gula, ingeſta quæ ad ventriculum defert, longitudine novem pollicum, craſſis conſtabat fibris muſcularibus; pylorus autem contenta rurſus evacuans, viam monſtrabat patulam, omni conſtrictione annulari ſive valvulari, qualis in plerisque animalium reperitur, deſtitutam, quamvis fibrarum carnearam craſſior hic, quam in aliis inteſtinis, eſſet faſciculus.

Sed ante ventriculi diſſectionem in altero ejus latere foramen aliquod eundem perterebrans, magnitudine ac figura piſi communis, obſervabatur, enatum occaſione ulceris, quale præceſſiſſe omnino margo ſanioſus perſuadebat, quin mortem ipſam animali attuliſſe vix dubium relinquitur, cum a repoſitorio ſuo antea decidiſſet, ac ab eo tempore ad motionem impotens anſam cuſtodi præbuiſſet ſuſpicandi, devoratum aliquid ab ipſo fuiſſe, quod gulæ etiamnum inhæreret aut ſaltem ventriculum læderet.

Nec abſimilem ventriculi perforationem in humanis jam cadaveribus *Autor* ter annotavit, quarum ultimam ſicuti paulo ante ægri obitum cum alio Medico in conſilium vocatus prædixerat, ita & de eadem in ipſa poſtmodum ſectione certior fuit redditus. Cauſam vero ejusmodi perforationis in ventriculi glandulas, a Peyero & Nehemia Grew in inteſtinis deſcriptas, quatenus in ſcrophulas vel ſteatomata degenerantes tunicas ventriculi exulcerant, vel ideo *Noſter* rejicit, quod in exemplis recenſitis glandulas dictas, exilisſimas alias ac ſæpe vix in ſenſus incurrentes, hinc inde perquam magnas atque ſteatomatoſas videre ſibi licuerit. Quodſi autem perforatio ventriculi ab inflammatione potius in apoſtema faceſſente, vel a veneno etiam corroſivo dependeret, foramem multo amplius, nec regulare tamen, haberi, tum in infante, in quo interior ventriculi regio multum erat ſphacelata, tum in alio ſubjecto, quod arſenicum aſſumſerat, *Autor* pariter obſervavit.

Etsi vero ventriculus perforatus erat, nequicquam tamen contentorum ejus in abdominis cavitatem effusum deprehendebatur, neque post ventriculi dissectionem quicquam etiam in eo extabat, quod per viam hanc potuisset evacuari, quoniam non nisi ægagropila, superius indigitata semilunaris, muco quodam pilos glutinante obducta, inibi continebatur.

Ut intelligatur nihilo minus, quomodo alimenta in ventriculo sufficienter digesta commode inde in nutrionis gratiam dispensentur, neque tamen perpylorum satis potentem, speciatum in consueto animalis situ inverso, ubi cauda se suspendit, regurgitent, singularem intestinorum ac mesenterii structuram perpendere convenit. A mesenterio alias intestina colligari pariter atque certa ratione ordinari, vel ex eo constat, quod intestina mesenterii peripheriæ exteriori non tam adnectantur, quam ab externa potius mesenterii membrana utriumque protensa ita investiantur, ut, tunica ista communi ab altera musculari caute separata, totius intestinorum tubulus extrahi, & relicta pellicula communis, cum mesenterio continuata, intestinorum adinstar queat inflari. Quod mesenterium hic duplex, secus ac in multis aliis animalibus, occurrebat, alterum minoribus, alterum majoribus sive crassioribus intestinis destinatum, ratione figuræ & magnitudinis omnino inter se discrepans, licet utrumque corpus esset continuum. Prius vocare placet mesenterium (*Fig. 1. u.*) minorum posterius autem mesenterium (*W.*) majorum, scilicet intestinorum; quia minorum & majorum appellatio saltem in præsenti subjecto, rem aptius quam vulgaria tenuium & crassorum nomina, reputetur exprimere. Cum duodenum (*ff.*) a ventriculo sub colo, (S) ubi hoc cum cœco (R) cohæret, ad mediam spinam descenderet, protensio exinde mesenterii minorum lineam spiralem in morem cochleæ æmulabatur, quanquam circumvolutiones intestinorum flatu distentorum haud perfecte spirales, sed tales existerent, qualis in figura eo quidem ordine, quo se invicem insequebantur, literis Alphabeti *g. h. i.* & sic porro notatæ, ex parte repræsentantur; magna enim gyrorum portio profundiorem tenebat situm, quam ut depingi posset.

Alterum mesenterium majorum, quod mesocolon hic minus apposite diceretur, quoniam ad coecum (*rr.*) & rectum (*t.*) æque spectabat ac ad colon, (SSS.) vergebat magis ad planitiem, in peripheria

pheria vero figuram circularem habebat, in quantum cœcum & colon minora inteſtina ambiendo, integrum fere circulum deſcriberent.

Inteſtina minora, & quidem inflata, ad ſex pedum & dimidii accedebant longitudinem. Cœcum ſex pollices, & colon atque rectum duos pedes longitudine æquabant. Peripheria duodeni, puta flatu expanſi, tres pollices, ac ilei (q) duos pollices cum dimidio habebat; circumferentia vero cœci in parte capaciſſima ſex pollices, coli pollices quatuor, & recti tres circiter pollices adæquabat. A ſpina ad extimam usque inteſtinorum protenſionem ſex pollices menſurabantur, & diameter maxima, quam colon in figura ejusmodi circulari conſtituebat, ſeptem pollices aliquantum excedebat.

In toto inteſtinorum canali nulla valvula, nec ad cœcum ipſum, comparebat. Et quamvis foramen, in cœcum quod hiabat, multo minus eſſet capacitate ipſius inteſtini, via tamen intra illud ad contenta recipienda & emittenda ſatis patebat. Etenim cum multa aqua pro fæcibus inteſtinorum eluendis in ventriculum immitteretur, hæc cœcum omnino prius replebat, quam colon; & ubi colon elevaretur, aqua ex hoc in cœcum primum, & dein repleto iſto in ileon pergebat.

Aſt relictis, quæ circa glandulas inteſtinorum tunicæ, circa ſanguifera meſenterii vaſa &c. potuiſſent obſervari, dicere tantum *Autor* pergit, quid ſibi de integra inteſtinorum ſtructura & figura, uſibus a natura deſignatis perquam accommodata, videatur.

Primo namque auxilio numeroſarum iſtarum inteſtinorum gyrationum & circumvolutionum, chylus longe commodius in chylifera ſeparatur vaſa. quoniam inteſtinorum capacitate adeo larga & ſine valvulis exiſtente, mora ſic contentis chymoſis injicitur, ne celerius juſto deſcendant, ac penitus cum fæcibus potiorem partem eliminentur.

Deinde ope iſtiusmodi cochleæ ſive ſpiralis figuræ meſenterii primi, cui minora affiguntur inteſtina, regurgitatio contentorum ex inteſtinis ad ventriculum in frequenti animalis ſitu declivi, quando cauda adpendet, impeditur. Quamvis enim via ex ventriculo per pylorum ad duodenum ſatis pateat, in prædicto nihilominus corporis ſitu, quo magna inteſtinorum moles ad diaphragma urgetur, reduplicatio quædam ſive complicatura duodeni non poteſt non inferri, tranſitum per pylorum multum occludens, conſequenter contentorum

aſcen-

ascensum æque difficilem reddens, ac ubi animal quatuorpedibus innititur.

Aliam intestinorum structuram eamque inversam *Autor* in *Anatomia Tajacu sive Apri Mexicani Moschiferi*, a nobis in *Actis A. 1685. p. 75.* recensita, exhibuit, dum colon ibi figuram spiralem in *Tab. I. Fig. 5.* repræsentatam, intestina vero tenuia planum aliquod constituebant; quemadmodum spiralis intestinorum circumvolutio in diversis animalibus diversa, v. g. in capris & cervis ac potissimum in rusticula sylvatica, deprehenditur; ob reliquas tamen partes adhuc describendas, vix ad singula comparativæ intestinorum Anatomes licebit digredi.

Pancreas amplum erat, altera parte (quantum *Autor* recordatur,) ad splenem protensum, & altera ad duodenum descendens.

Splen, obscure rubens, longitudinem duorum pollicum & dimidii, ac unum pollicem in parte latissima habebat.

Hepar, coloris minei, vere magnum erat, e tribus lobis (*Fig. 5.* B. B. B.) contextum, quorum duo notabiliter superabant tertium, non nisi hepate inverso conspicuum; quo in situ una non in alterius solum lobi majoris margine profundæ incisuræ, (*o o o*) inæqualem sive serratum illum reddentes, sed in medio etiam partis concavæ ejusdem lobi plures fissuræ (*ddd*) profundæ advertebantur, eum forsan in finem, ut in animalis situ inverso, quando cauda suspensum est, tanto commodius partibus aliis queat cedere. Folliculus (C.) fellis multum hic habebatur capax; situs autem hepatis & lienis vix diversus, ac in aliis animantibus conspicitur.

Partium urinariarum conformatio a solenni textura parum quoad vesicam urinariam recedebat. Renes, (*Fig. 2.* A. A.) utrinque figura phaseolum exprimentes, pollicem unum ac dimidium longitudine, ac tres pollicis quartas latitudine parum excedebant. Venæ (*bb.*) atque arteriæ (*cc.*) emulgentes satis comparebant; interius vero ad superiorem partem renum glandulæ renales, (DD.) renes succenturiati quæ nonnullis dicuntur, habebant situm, magnæ omnino ac obscure rubicundæ, pariter atque renes, cum in hominibus aliisque animalibus colore utplurimum albicante vel flavescente gaudeant. Ureteres, (*ee.*) quinque circiter pollices & dimidium longi, in collum vesicæ urinariæ implantabatur, quemadmodum in *Figura* lite-

ra f. monſtrantur, primum ſub utroque uteri extremo incedentes, hinc vero quaſi duplicati illud transgredientes. Veſica urinaria (G) inflata magnitudine & figura ovum gallinaceum referebat. Collum veſicæ ſive urethra longitudine pollicis vaginæ uteri incumbebat, in canalem demum, veſicæ urinariæ ac vaginæ uterinæ communem ac pollicem circiter cum dimidio longum, deſinens.

In plerisque animalibus circa renes duæ magnæ adipis portiones illos tegentes ac membrana adipoſa comprehenſæ occurrunt; hic vero quatuor magna & protuberantia adipis deprehendebantur fruſta, utrinque duo; quorum duo in pelvi abdominis prope veſicam urinariam & partes uterinas, reliqua vero duo inter hæc atque renes collocabantur, e multis laminis ſeparatu haud difficilibus coagmentata. Atque ex his duo illa adipoſa corpora, quæ utero adjacebant, teſtes ſub ano interius jacentes a Marggravio & Piſone videntur denominari; quanquam in maribus veri teſtes etiam juxta hos Autores alium ſitum obſervent.

Verum quoad uterum, tantum abeſt, ut nullus ſecundum Marggravium & Piſonem adfuerit, ut potius non duo ſolum ovaria, duæ tubæ Fallopianæ, duo cornua uteri, ſed & duo uteri atque duæ vaginæ uterinæ haberentur.

Ovaria, (*ff.*) unum utrinque, ad extremitates cornuum uteri obtinebant ſitum, adnexa uteri alis ac magnitudine viciam exæquantia. Vaſa præparantia, nempe arteriæ (*nnn.*) & venæ, (*oooo*) perquam erant conſpicua, maximam partem cornibus uteri deſtinata. Prope ovaria fimbriæ (*Fig. 3. bb.*) foliaceæ cum tranſitu ad tubas Fallopianas cernebantur; quæ tubæ Fallopianæ (*Fig. 3. cc. Fig. 2. tt.*) duo erant graciles canaliculi, alis uteri ſuffulti, flexuoſe progredientes ac in extremitates cornuum uteri deſinentes. Cornua uteri (*Fig. 3 dd, Fig. 2 u. u. w.*) inflata magnitudinem habebant calami anſerini, & longitudinem unius pollicis atq; dimidii; alis uteri adhæreſcebant in utroque termino aliquantum incurvata, & quidem, in uteros ubi abeunt, introrſum, extrorſum vero altera extremitate reflexa. Subſtantia ipſorum craſſior videbatur uteris ipſis, non tamen æque transparens, propter copioſa vaſcula ſanguifera, quibus undique irrigabantur. Etenim in parte interna, tam ſuperius, quam inferius, omnem cornuum longitudinem ampli vaſculorum ſanguineorum perreptabant trunci, plures e lateri-

bu

bus emittentes ramulos, haud dubie in gratiam fœtuum, qui in animalibus multiparis uteri cornua inhabitant ibique formantur. Atque hic interne parva quædam interioris membranæ notabatur elongatio, uteri cornua quasi in cellulas, licet imperfecte, dispescens. Catuli alias una vice nunc quatuor vel quinque, nunc sex vel septem, gestari perhibentur.

Duo uteri (*Fig. 3. e e. Fig. 2. a a.*) circa medium præcise, ubi cornua duo terminum acquirunt, jungi invicem ac extrinsecus non nisi unum corpus continuum efficere videbantur, ab hoc tantum conjunctionis loco juxta vesica collum, utrinque protensum, ad postmodum ad idem vesicæ collum ubi vaginam uteri ingreditur, reflexum. Hæc ipsa nihilominus pars continuitatem præ se ferens, cum post inflationem & exsiccationem dissecaretur, a membrana (*Fig. 2. y.*) instar diaphragmatis transversa juxta cornuum insertionem in duo corpora adeo exacte separabatur, ut nulla inter utrumque intercederet communicatio.

Et certe fabrica hujus partis perquam miranda existit, qualis in alio animali aut saltem in quadrupede nondum innotuit. Fœmellis quidem in ostrearum & gammarorum specie duplex est uterus, quemadmodum maribus quoque penis duplex; ex quadrupedibus tamen terrestribus nostrum animal est unicum, quod gemino gaudet utero, & ita quidem, ut uterque eorum, tum reflexionis memoratæ intuitu, tum ratione diaphragmatis imperfecti mox describendi, rursus duplex appareat.

Uteri tales non æque alis, ac ovaria, tubæ & cornua, alligabantur, sed, ubi ad cornuum insertionem inter se uniuntur, strictius longe cum collo (*Fig 3. l l.*) vesicæ, quam intercedentibus membranis cum recto cohærescebant. Quo in situ collum vesicæ ipsi diaphragmati, quod distinctionem gemini uteri inferre fuit dictum, incumbebat. Atque hic loci corpus utriusque uteri crassitiem extremi digiti æmulabatur, peripheria vero unum pollicem ac tres quartas mensurabatur. Cum autem uterque inde uterus lateraliter, non vero secundum spinæ longitudinem, protenderetur, cavitas ejus interna successive increscebat, ac circumferentia circa reflexionis angulum duos pollices cum dimidio æquabat. E diverso, dum uteri sic lateraliter ad pollicem unum & tres quartas protensi ad vesicæ denuo collum reflecteban-

ctebantur, (*Fig. 3. e e.*) demumque in duas vaginas, (*Fig. 2. i i.*) sub urethra (*b.*) locatas, desinebant, ab angulo reflexionis cavitas utriusque uteri paulatim imminuebatur, ac multo angustior reliqua uteri parte reddebatur. Idcirco capacitas utriusque uteri ad externam prominentiam, ubi reflecti incipit, erat maxima; quæ tametsi primum communis videretur ad longitudinem pollicis, postea nihilominus interne membrana (*z.*) detegebatur, ab interno uteri latere ac potissimum a cornibus, ubi latera uterorum duplicantur, producta, hancque cavitatem ex parte dividens, diaphragmatis propterea secundi vel imperfecti nomine insignienda.

Vasorum sanguiferorum in lustratis uteris quatuor ampli notabatur trunci, a vasis hypogastricis (*p p p.*) & spermaticis (*n n n. o o o.*) provenientes, ac plures ramulos per totam illius longitudinem suggerentes. Plures itidem in uteris hisce inflatis & exsiccatis fasciculi fibrarum muscularium advertebantur, certam inter se distantiam servantes, ac integram uterorum longitudinem emetientes, pro fœtibus eo promtius excludendis.

Duæ vaginæ, (*i i Fig. 3. f.*) extremis uterorum ad vesicæ collum reflexis continuatæ, crassitie straminis triticei sub urethra (*Fig. 2. b.*) excurrebant. Quemadmodum vero eadem cum urethra longitudine, unius videlicet pollicis, gaudebant, ita, & cum urethra in canalem quendam communem (k.) coibant, capacitate ipsis æqualem ac unum pollicem cum dimidio longum. Hic, propter numerosa vascula sanguifera rubens, in recto denique intestino prope anum ita figebat terminum, ut in animali vivo non aliud foramen extrinsecum, quam quod ad rectum ducit, patesceret. In sectione tamen elevata cute, instar valvulæ illud tegente, foramen ipsum, viam ad canalem communem ostendens, ac flatum per tubulum ad vesicam urinariam pariter atque uterinas partes, nempe vaginas, uteros & cornua admittens, cernebatur; adeo ut fæcibus, urinæ & fœtibus eliminandis non nisi unicum in cute foramen (*Fig. 3.* C) conducat.

Tandem ex Osteologia in Actis A. 1678, p. 407. sq præmissa solæ vertebræ, spinam cum prima constituentes, restitant explanandæ. Nempe altera cervicis vertebra non solum spinam (*Fig. 6. b.*) latam, crassam & triangularem, sed & sinum (*c.*) profundum, ac semicircularem, magnæ vertebræ primæ portioni recipiendæ, sicque articulationi firmandæ,

accommo-

accommodatum exhibebat. Neque pro essu odontoide sive dentato, (*d.*) qui nomen vertebræ dentatæ ipsi conciliat ac in primæ vertebræ foramine, transitum simul medullæ spinali concedente, recipitur, neque posterius processibus obliquis, duobus æque superioribus, (*e.*) ac inferioribus, (*f.*) destituebatur. Altera hinc cervicis vertebra iisdem processibus, (*Fig. 7. e e. f f.*) tam anterius, quam posterius, erat instructa; sed spina (*d*) ejus tres pollicis quartas alta & tertiam pollicis partem crassa existebat, in apice parum fissa. Dictis pariter processibus uti tertia, ita & quarta atque quinta vertebra gaudebant; spinæ solum earum, itidem crassæ & in apice fissæ, quoad magnitudinem & crassitiem successive decrescebant. Vertebra sexta, præter processus memoratos, utrinque simul acutum quendam transversum ac spinam multo breviorem magisque acuminatum habebat, quam præcedaneæ. Septimæ cervicis vertebræ non nisi duo processus obliqui anteriores, & duo transversi acuti erant, una cum spina brevi admodum & acuta, ita ut spina primæ vertebræ thoracis, quando caput attollebatur, apicem quintæ vertebræ cervicalis contingeret. Omnes hæ vertebræ tam valide & arcte invicem cohærebant, ut in articulatione ista longitudinem duorum pollicum nondum explerent, etiamsi quælibet earum satis esset lata. Sed admirationem cumprimis excitabat crassities & robur spinarum secundæ, tertiæ, quartæ & quintæ vertebrarum cervicis, in aliis animantibus non æque occurrens, haud dubie ad injurias arcendas, quas lapsus aliquis potest inferre, adeoque ad idem cum cranii protuberantiis osseis munus obeundum. Nec alium in finem spinæ diversarum vertebrarum thoracis & lumborum prominebant planæ ac latæ, quam ut ictus tanto commodius exciperetur, ubi animal in terram decidere contingeret; qua ratione & cervici, & dorso, & capiti, nullum fracturæ periculum imminet, cum securitas & defensio ubique præsto sit insignis.

Superiores septem vertebræ thoracis duos obliquos obtinebant processus (*Fig. 8. b b.*) anteriores, sub obliquis posterioribus vertebræ impositæ excurrentes; duos obliquos processus (*cc.*) posteriores, eosdem vertebræ inferioris transgredientes, duosque pariter processus transversos (*d d*) in extremis leviter sinuatos, (*e e.*) ad capitula adnexarum costarum excipienda. Spinæ (*a.*) harum vertebrarum tenues erant, acutæ & tres circiter pollicis partes longæ. Sex reliquæ

 ver-

vertebræ thoracis inferiores ſpinis brevibus, craſſis & planis gaudebant; proceſſus ipſarum obliqui, ſpinæ utrinque continuati, canaliculum quaſi efformabant; & proceſſus transverſi quodammodo a prioribus diſcrepabant. Vertebræ lumborum (*Fig. 9.*) quo propius ad os ſacrum accedebant, eo magis craſſities earum in apicibus ſeu extremis imminuebatur; ſed hic proceſſus obliqui (*b b, c c.*) aderant gemini, quatuor nempe in utroque vertebræ termino, latiores tamen inferne. Tres vertebræ oſſis ſacri ſtricte adnaſcebantur oſſi ilium, ultima nihilominus non æque perfecte, ac duæ ſuperiores; ſed huic utrinque latus quidam erat proceſſus transverſus, quemadmodum omnes ſpinam tenuem obtinebant. Duæ primæ vertebræ caudæ non niſi unam ſpinam, parvam & acutam, habebant; in reliquis vero cunctis, tam ſuperius, quam inferius, duæ obſervabantur ſpinæ, ſupernæ tamen latiores. In ſex prioribus vertebris caudæ utrinque latus quidam proceſſus transverſus ad internodii longitudinem eminebat, in reliquis autem vertebris ad principium tantummodo & finem aliqua protuberantia utrinque cernebatur. Circa mediam caudam vertebræ erant longiſſimæ, unum circiter pollicem longæ; breviores autem ad radicem & extremitatem caudæ.

Aſt curioſiſſimum omnium Naturæ mechaniſmum ſpinæ iſtæ videbatur exhibere, recta locatæ in medio inferioris vertebrarum caudæ partis. Vertebarum primæ tres nulla certe ejusmodi ſpina gaudebant, neque tali indigebant, veluti ambitu oſſium coxendicis comprehenſæ; ſed in reliquis vertebris cunctis, ad caudæ usque extremitatem, illæ obſervabantur, & tanto quidem minores ac breviores, quo propiores termino caudæ exiſtebant. Spinæ (*Fig. 10. b b b.*) hæ, ubi longiſſimæ, unam circiter pollicis quartam æquabant vel parum etiam ſuperabant, & ad articulationem cujuslibet internodii in medio ſitæ cum præcedenti non minus quam ſubſequenti vertebra cohæreſcebant. Corpus ſiquidem non integrum ac continuum eædem efficiebant, ſed duobus cruribus, in extremitatibus poſtea perfecte unitis, a vertebris exſurgebant. Qua ratione oſſibus hiſce multum accedit roboris, foramenque (*c c.*) intermedium transmittendis vaſculis ſanguiferis inſervit, prout & ſtria ſive vagina per omnem vertebrarum longitudinem pro recipiendis iisdem annotabatur, ne a compreſſione vaſcula dicta lædantur, quando animal cauda adpendet. Atque

Atque huic negotio ipsi expediundo nulla omnino structura alia æque videtur proportionata; ubi namque cauda circa ramum aliquem arboris est voluta, ab unco ejusmodi spinæ integrum corporis pondus facile sustentatur, nec magnum adeo musculorum requiritur robur; utpote qui ad caudam magis inflectendam faciunt, a singulis vertebris præcedentibus enati ac in subsequentes utrinque implantati. Præter quos tamen, pro integra cauda corroboranda, quatuor quoque musculi, duo videlicet superne & duo inferne, ab osse sacro oriundi advertebantur, per totam caudæ longitudinem decurrentes ac tendines internodiis sive vertebris singulis infigentes, ita ut cute detracta musculi hi tendinosis suis expansionibus omnem quasi caudam exterius investire viderentur.

De cætero quem eximum & specificum usum descripta cauda in praxi medica præstet, Hernandez prolixe edocet: *Cauda hujus animalis*, inquiens, *egregium est medicamentum; trita enim drachmæ unius mensura, atque ex aqua aliquoties devorata, nullo præassumto alimento eo die quo hauritur, urinæ meatus mire abstergit, eadem evocata, tractisque lapillis, & quacunque alia re meatus obstruente. Venerem excitat, generat lac, ac per fractis medetur, & cholicis, partum accelerat, menses elicit, extrahitque tusa & imposita aculeos qui sunt infixi, ac ventrem emollit.* Concludit denique: *Et fortassis nullum extat medicamentum ad has res omnes peragendas præstantius.*

Explicatio Figurarum Tabulæ IV.

Fig. I. Ventriculum ac intestina cum diversis gyrationibus repræsentans

A. Gula.
B. Ventriculus.
c. Perforatio ventriculi ab ulcere inflicta.
dd, Protuberantiæ duæ ventriculi in duabus extremitatibus,
e. Pylorus.
f. Principium duodeni.
g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, Intestina tenuina & nonnullæ eorum circumvolutiones; aliæ quippe profundiorem situm servantes visum effugiunt. Ordo autem, quo sibi invicem succedunt, ordine Alphabeti indigitatur, ita ut g. insequatur f, & g, succedat i, atque i, excipiat k, usque occurrat q, ubi ileum exoneratur in cœcum, vel hoc repleto in colon ad primam literam S. RR.

RR. Cœcum.
SSS. Colon.
T. Rectum.
V. Primum meſenterium, ſeu meſenterium minorum inteſtinorum.
W. Secundum meſenterium, ſeu meſenterium majorum inteſtinorum.

Fig. 2. partes urinarias atque uterinas ſiſtens.

AA. Bini renes.
bb. Venæ emulgentes.
cc. Arteriæ emulgentes.
dd. Glandulæ renales.
ee. Ureteres duo.
f. Inſertio ureteris ſiniſtri in collum veſicæ.
G. Veſica urinaria ad latus reclinata.
h. Urethra.
ii. Duæ vaginæ uteri.
k. Via communis ab urethra & duabus vaginis.
l. Arteria aorta ſive magna.
m. Vena cava.
nn.n. Arteriæ ſpermaticæ.
oo.oo. Venæ ſpermaticæ.
ppp. Arteriæ & venæ hypograſtricæ.
rrr. Alæ uteri, ſeu potius cornuum.
SS. Ovaria.
tt. Tubæ Fallopianæ.
uu. Cornu uteri lateris ſiniſtri non apertum.
W. Cornu uteri lateris dextri non apertum.
xx. Duo uteri aperti.
y. Diaphragma duos uteros dividens.
zz. Diaphragma imperfectum, ex parte quemlibet uterum dividens ac viæ incumbens iſtius uteri partis, quæ duplicata ad vaginam tendit.

Fig. 3. ſpecialius uterinas partes oſtendens.

AA. Duo ovaria.
bb. Fimbria foliacea.
cc. Tubæ Fallopianæ.

dd.

dd. Duo cornua uteri.
EE. Duo uteri reduplicati.
f. Incisio colli uteri sinistri, quo via ejus ad vaginam hoc in latere pateat.
g. Vagina sinistra aperta.
h Ostium vaginæ dextræ.
i. Via communis ab urethra & vaginis.
k. Urethra.
ll. Vesica urinaria incisa.

Fig 4. Tophum pilosum, seu ægagropilum e ventriculo exemtum demonstrans.

Fig. 5. Hepar exhibens.

A. Vena cava.
BBB. Tres hepatis lobi.
C. Vesicula fellis.
ddd. Fissuræ in hepatis corpore.
eee. Incisuræ in marginibus hepatis.

Fig. 6.

A. Spina secundæ vertebræ cervicis.
b. Crassities ejus.
c. Sinus amplus pro vertebra prima recipienda.
d. Dens hujus vertebræ.
e. Processus obliquus superior ab uno latere.
f. Processus obliquus inferior ab eodem latere.

Fig. 7.

A. Monstrat spinam tertiæ vertebræ cervicis cum naturali ejus crassitie.
b Foramen, per quod medulla spinalis fertur.
cc. Duo foramina parva pro vasculorum transitu.
d. Fissuram repræsentat in spinæ apice.
ee. Duo processus obliqui superiores a parte antica.
ff. Duo processus obliqui inferiores a parte antica.

Fig. 8. sistens primam vertebram thoracis.

A. Spina, quæ longa est & acuta.
bb. Obliqui processus anteriores.
cc. Obliqui processus posteriores.
dd. Processus transversi.
ee. Ubi costæ connectuntur.

f. Foramen, quod medulla spinalis transit.

Fig. 9. quartam vetebram lumborum repræsentans.

a a. Duo obliqui processus superiores a parte postica.

b. Spina.

c c. Duo obliqui processus inferiores a parte postica.

Fig. 10, secundam & tertiam vertebram caudæ exhibens.

a a. Duæ vertebræ caudæ.

b b b. Spinæ sive unci interiores, quorum ope commodius cauda valet suspendi.

c c. Foramen in medio hujus spinæ, viam vasculis sanguiferis concedens.

DE DEI BENEDICTIONE COMMENTARIOLUS, SEU AD selectiora Patrum Excalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini de vocali Dei cultu statuta Observationes variæ, quibus binæ accedunt Disquisitiones: I. de Hymni Te Deum laudamus *Auctoribus. II. de Cantu a D. Ambrosio in Mediolanensem Ecclesiam inducto. Auctore P. EUSTACHIO a S. UBALDO, ex eisdem Excalceatis S. Mediolanensis Inquisitionis Consultore.*

Mediolani, apud Carolum Antonium Malatestam, 1695, 4.
Alphab. 1. plag. 19½

QUid in maxima hujus operis parte præstiterit doctissimus ejusdem Auctor, facile quis vel ex ipso titulo intelliget. Videlicet in eo totus ille occupatur, ut Ordinis sui statuta circa laudes divinas voce decantandas explicet, &, quicquid vel ad *Horas*, quæ audiunt, observandas, vel peragendum diurnum nocturnumve *Officium*, vel celebrandam aut quotidie aut certis diebus festis *Missam*, eamque sive publicam sive privatam, vel ad munia ejusmodi alia spectat, secundum præscriptas constitutiones examinet. Unde de variis *Orationibus*, *Psalmis*, *Antiphonis*, & *Litaniis* inter Excalceatos S. Augustini Monachos dici & cantari solitis prolixius heic agitur, ritusque in vocali hoc supremi Numinis cultu tenendi solicite excutiuntur.

Sed placuit præterea Auctori eruditissimo Excursus duos, ac eos quidem satis libere evagantes, instituere, duasque subnectere Disquisitiones, quarum summam paulo curatius rimari nostrum esse arbitramur.

Prima

Prima nempe hymno, *Te Deum laudamus*, consecreta est, ejusque antiquitatem ultra Sanctorum Benedicti & Cæsarii tempora assurgere, statim in frontispicio subinnuit. Post de ejusdem origine Auctor disspicit, ac clarissimi Tenzelii ante omnia sententiam, quod ille ex matutino Græcorum hymno expressus magisque auctus fuerit, adducit, & hanc subtilem quidem nuncupat excogitationem, quæ tamen præter arbitrarium inventum nihil firmitatis habeat. Ejus vero auctorem modo Hilarium Pictaviensem, modo Abundium, modo Sisebutum, Nicetium modo, & modo Nicetam, modo plures e Sanctorum Patrum numero venditari, sed nullum tamen horum id nominis mereri observat, cum potius Ambrosio & Augustino vera inventionis gloria tribuenda sit. Neque enim adstipulatur iis, qui soli eum Ambrosio vindicant, sed conjungendos maxime venire hos duum-viros contendit, ac testem imprimis S. Datium, idem in Chronico suo afferentem, advocat. At enimvero cum a multis impugnetur istud Chronicon, hinc adstruendæ ejusdem auctoritati multum operæ impendit, atque uti istud hodie quidem non reperiri amplius admittit, sic olim certe extitisse indubium pronunciat, cum pluries & a pluribus, quos nominat, Scriptoribus antiquis allegetur & laudetur. Ipsum vero Mediolanensem Archi-Episcopum, Datii nomine insignitum, seculoque sexto clarum, & non alium quendam multo recentiorem, quod Puricellus velit, subintelligendum venire autumat, pluresque hujus suæ opinionis rationes in medium adducit, multa interim huic Chronico subin additamenta accessisse haud inficiatus. Nec tamen, si a testimonio Datii vel maxime abieris, alia deficere monet istius suæ sententiæ argumenta, quæ inter præcipuum sit istud, quod hæc adeo communis & inveterata sit: unde magnum illorum, qui idem secum statuant, catalogum attexit. Tenzelio autem silentium Augustini, cæteroquin gesta baptismi sui solicite commemorantis, urgenti respondet, ex argumento tali negativo nihil evinci, cum & plura alia, quæ de baptismo suo deque sua vita universa dicere potuisset, Augustinus prætermiserit.

Secunda Disquisitio de *cantu a D. Ambrosio in Mediolanensem Ecclesiam inducto agit*. Cum nempe dubium reddatur per diversas Eruditorum opiniones, utrum vel cantus alternationem, vel populi cantum simplicem Ambrosius apud Mediolanenses primus introduxe-

rit, neutrum horum ab eo factum Noster censet, ac potius modulati cantus in Ecclesia ista observandi auctorem beatum huncce Patrem pronunciat, multisque hoc assertum argumentis ex Augustino, teste quippe oculato, statuminat, duas etiam priores sententias latius refutat, ac tandem Josepho Ripamontio & aliis, qui modulati cantus originem S. Cajo, tertio Mediolanensis Ecclesiæ Antistiti, attribuant, satisfacit.

GEOMETRIA MOTUS, AUCTORE JOHANNE CEVA, Mediolanensi.

Bononiæ typis Ant. Pisari, 1692, 4. Plag. 13. & tab. æn. 9.

PRopositum fuit Auctori, jam aliis scriptis celeberrimo, naturam motuum pleniori methodo, quam antea factum putat, Geometrice exsequi, eum præcipue in finem, ut viam aperiret, & quodammodo alveum sterneret aquarum doctrinæ; quod argumentum utilissimum & profundæ indaginis jam diu meditatur. Quamvis enim concedat, indivisibilium methodum intelligentiam afferre faciliorem, quam si quis rigori geometrico penitus insistat; visæ tamen sunt illi difficiliores demonstrationes magis decere Geometras. Primo ergo libro, qui 16 propositiones complectitur, de motu egit simplici, certisque formatis curvis, quibus velocitates, tempora &c. mobilium universaliter repræsentantur, ex illarum consideratione & comparatione naturam motus elicit, mentionem quoque faciens figurarum infinite longarum, quæ definitæ tamen sunt magnitudinis, nec non infinitarum (excepta conica) hyperbolarum quadraturas admittentium, quia illarum mensuram in aquarum rationibus ex usu sibi futuram sperat. Secundi libri propositionibus 46 de motu composito exponit, quo dum fertur mobile, consideratur habere plures in diversas partes, vel etiam in eandem partem, conatus, ex quibus oriatur tertia vis ab illis distincta. Præcipue autem curvis exprimere docet accelerationes motuum, directionesque mobilium explanat, ostendens quomodo semitæ illorum inveniendæ sint, si pluribus affecta sint directionibus. Postquam autem de spiralium & parabolarum æqualitate nonnulla tradidit, Galilæi propositionem, quod tempora similium vibrationum sint in subduplicata ratione arcuum exactorum, seu longitudinum pendulorum, quorum sunt vibrationes, quam Auctor

quon-

quondam haut ruditer deceptus falsam crediderat, sua pariter ac Vincentii Viviani, eximii nostri ævi Geometræ, demonstratione confirmat, librumque concludit consideratione funiculorum, qui a ponderibus appensis extendi possunt illisque remotis se in pristinam restituere longitudinem, inquirendo, qua id fiat ratione, cum funiculi sunt dissimiles aut inæquales, aut pondera inæqualia. Appendicis loco novum genus balistæ ad ejaculanda missilia aptæ, cujus arcus ex pluribus constat partibus elateriis suis instructis, oculis objicitur & declaratur.

DISINGANNI, OVERO RAGIONI FISICHE FONDATE SU l' Autorità ed Esperienza, &c.

Hoc est:

ERRORIS CONFUTATIO, SEU RATIONES PHYSICÆ AUctoritati & experientiæ innixæ, quæ probant, aërem Venetiarum omnino salubrem esse, Nobilitati Venetæ consecratæ a LUDOVICO TESTI, Medico Physico.

Coloniæ, apud Joh. Wilhelmum Schell, 1694, 4. plag. 12.

Occasionem hoc opusculum, quod beneficio Magliabechii nostri ad nos pervenit, conscribendi clarissimo Auctori dederunt literæ Antonii Vallisnerii, Medici ac Physici Rheginensis, in quibus commemoratum fuerat, suum quendam amicum, qui Venetias ire destinaverat, moras adhuc nectere, veritum parum sanum esse Venetiis, media in palude fundatis, aerem, eumque suæ opinionis sequentes allegare rationes: Ex paludibus continue exspirare particulas aqueas & impuras, a quibus crassior reddatur aer graviorque, ut majori cum vi premat vesiculas pulmonares, liberumque sanguinis motum præpediat; aquæ particulas anguilliformes circumplicitas spiris aeris vim ejus elasticam corrumpere, & prohibere, quo minus nitrum illud perfectissimum, quod sanguinem volatiliorem reddit, intricatum particulis vaporosis satis in pulmonibus separari possit, ut proinde sanguis densior maneat & obnoxius stagnationi; his accedere tetros illos odores, qui, cum canales excavantur, aut aquæ sint depressiores, ex particulis cœnosis aut aliis rebus corruptis exhalant, & nares non tan-

ſum offendunt, ſed in ſanguinem quoque per pulmonum poros ſe inſinuantes, ad putredinem eundem diſponunt; porro ſalem, qui una cum aqua elevatur & cum aere inſpiratur, mille malorum eſſe cauſam, ſi a ventis agitatæ ipſius particulæ acuantur, ipſeque acidorum naturam induat; fortaſſis etiam Venetias, mari quippe vicinas, expoſitas eſſe Auſtris, qui peſtes ſint liquidorum & venenum ſolidorum. Rogavit proinde Valſinerius Ludovicum Teſti, qui jam multos annos Venetiis vivus valensque tranſegerat, ſcrupulos ut eximeret amico, qui ut hanc epiſtolam exararet, auctor ipſi fuerat. Reſpondens ergo ille Diſſertatione epiſtolica ſatis prolixa, ſanitatem aeri Veneto aſſerit variis argumentis. Ac primum quidem conſiderare jubet tempus, ex quo fundatæ Venetiæ. Quoniam enim plures quam 1200 jam præterierunt anni, cum flos Nobilitatis Italicæ eo confugit, probabile non eſſe putat, ſi locum hunc ſanitati inimicum deprehendiſſent ſapientes viri, fixam ibi locaturos fuiſſe ſedem, præſertim evaneſcente tandem periculo. Deinde ad ſuum provocat exemplum, qui relicta terra continenti, ubi gravibus laboraverit morbis, ſe Venetias contulerit, ibique viginti jam annos vixerit nunquam lectulo affixus. Ad rem porro ipſam procedens, primam ex tribus propoſitionibus, quas probare ſuſtinet, nimirum, Venetiarum aerem optimas habere conditiones, quæ ad ſanitatem corporis conſervandam faciant, hoc confirmat argumento, quod ab aqua ſalſa exſpiret volatile aliquod benignumque acidum (id quod teſtentur aurea & argentea vaſa, quæ aeris injuriæ expoſita nigrorem facile delendum contrahant) quod aeri commiſſum & ab hominibus inſpiratione hauſtum putredini & corruptioni omni reſiſtat, & conjunctum cum alcali volatili corporis noſtri blandam fermentationem excitet, in qua purum ab impuro ſegregetur. Secunda propoſitio, quod ſcilicet, cum copioſis tellus madeſcit imbribus, ſecurius ſit habitare Venetiis, quam in continenti commorari, hinc ſtabilitur, quod aqua dulcis ſuperabundans corrumpitur, putresque emittit halitus, qui inſpirati limoſum lentumque reddunt ſanguinem, obſtructionesque pariunt, quæ malorum poſt ſe trahunt iliada. Id quod Venetiis metuendum non ſit, cujus urbis atmoſphæra corruptioni reſiſtat, ipſa vero terra aqua ſalſa cooperiatur. Ne vero quis fœtorem ex palude exhalantem objiciat, negat doctiſſimus Auctor, illas ingrati odoris particulas noxias eſſe humano corpori, quia ſi tales forent, tanta illarum copia, quanta ex palude emittitur,

non

non possset non endemium aliquod producere malum, quod Venetis esset proprium, nec commune cum illis, qui terram continentem inhabitant; confutatoque Sanctorio, qui melancholiam hypochondriacam Venetiis præcipue vigere asseruit, ad experientiam suam provocat, & aliquot annorum, inprimis anni 1693. exemplis comprobat, magis alibi sæviisse morbos, quam Venetiis. Ante autem quam ad tertiam propositionem ostendendam accedat, qua contendit Cl. Auctor, si quis accuratam vivendi rationem observare velit Venetiis, illum æq; diuturnam hic agere posse vitam, quam ullo alio in loco, qui ab aere saluberrimo celebratur, bene monet, se non asserere, plane mortalitatis legibus solutos esse Venetos, præsertim si Auster diu spiret huic urbi infestus, cæteris tamen paribus nihil esse, quod in aere Veneto desiderari possit, & voracitati aut immoderatæ Veneri tribuendum, quod etiam Venetiis nonnulli miseram trahunt vitam. Alias enim bonitatem aeris vel hinc manifestam reddi posse, quod sanguineum Venetis impertit temperamentum, & magnus Venetiis reperitur hominum longævorum numerus. Ac ne quis dicat, corrigi aeris malignitatem frequentibus illis ignibus, qui quotidie ardent in urbe plusquam ducenta milla hominum capiente, gratis hoc fingi respondet, cum æstatis tempore, quo rari incenduntur ignes, aer non minus purus sit, & quæ inclusæ vivunt virgines Græcæ monasterio insulæ paludis dimidio milliari Venetiis distantis, hujus tamen remedii non participes, ita belle se habeant, ut multæ non annum solum 80. & 90. attingant, sed centesimum quoque vivendo superent. Tandem ut omnes difficultates, quæ contra hanc theoriam moveri possunt, ab ipsa experientia destruerentur, factis experimentis ostendit, citius a vaporibus aquæ dulcis quam salsæ corpora corrumpi. Vasis enim, quibus terras varii generis indiderat, easque humectarat aqua, nunc salsa nunc dulci, ignem lucernæ subjecit, ut blanda fieret evaporatio, halitibusque illis 24. horas exposuit pisces facile computrescentes, v. g. tincas, sardellas, &c. deprehenditque in vase, cui indita terra fuerat ex canali Veneto aqua salsa humectata, piscem incorruptum durasse, perinde ut factum in alio vase, quod terram sabulosam ex flumine Brenta sumtam & aqua dulci perfusam continebat: fuisse autem corruptos ab illis exhalationibus pisces, quæ processerant tum ex terra sabulosa conjuncta cum terra salsa canalis Veneti, quam aqua dulci salsæ permixta imbuerat; tum ex

terra

terra sabulosa Brentæ fluminis sale suo spoliata & aqua dulci madefacta; tum quoque ex terra canalis Veneti aqua dulci calida sale suo orbata & denuo eadem perfusa; tum denique ex terra nigra ex agro allata, & madescente aqua dulci. Sequitur post hæc Valsinerii epistola, qua Testi rationes probat & confirmat; idemque agit Prosper Magatus medicus itidem Rheginensis in Reflexionibus, quæ colophonem libro imponunt, super aerem Venetum. In his doctis dijudicandum proponit, an non in pulmonibus pars aliqua lymphæ ab aere secernatur, præsertim cum in istis tanta copia vasorum lymphaticorum reperiatur, quanta in nulla alia corporis parte, & procul dubio in cellulas innumeras ideo divisi sint pulmones, ut aer inspiratione haustus diutius in illis detineatur, & commode ab illo secedere possint particulæ aqueæ, collectæque in cellulis abire in ductus lymphaticos. Item quoque hinc probabile reddi putat, quod animalia, quæ abundant lympha, magnos quoque habent pulmones, quod melancholici sine cibo potuve durant aliquot dies, neque tamen sudorem & urinam emittere desinunt; quod dysenterici excernunt plus humoris aquosi, quam alimenta ipsis suppeditare possunt; quodque catharri & fluxiones rheumaticæ magis hyberno tempore, quo aer frigidus humidusque est, quam æstate, homines affligunt.

THE ARTIFICIAL CLOCK-MACKER. A TREATISE OF WATCH and Clock-Worck.

h. e.

ARTIFEX HOROLOGIOPOEUS, SEU TRACTATUS DE AUtomatis, quæ vel indice solo, vel etiam campanaram sonitu horas designant, auctore W. D. M. A.

Londini apud Jacob. Knapton, 1696, 8. plag. 9.

QUæ de automatopœia huc usque scripserunt viri docti, pauca sunt & ita comparata, ut ab hominibus artem hanc profitentibus vix intelligi possint, nedum ab illis, qui artificiosis machinulis illis delectantur, & regulas, secundum quas construi solent, cognoscere cupiunt. Unde gratissimum suis quidem Anglis præstitisse officium censendus est solertissimus hujus libri Auctor, qui non solum præcipua,

quæ

TAB. VI. ad Tomum III Supplementorum pag. 369. Sect. VIII.




Fig. 1.




Fig. 3.




Fig. 2.




Fig. 4.





Fig. 5.

Fig. 6.



quæ ad automatων horariorum elaborationem pertinent, hoc libello perspicue complexus est, sed alia quoque huc spectantia non injucunda, & inprimis historiam illarum machinarum, eidem inseruit. Explicatis enim terminis technicis, artem docet supputandi numeros, quibus rotarum & tympanorum dentes conversionesque exprimuntur, quæ pertinent cum ad illam organi partem, quæ indicem circumducit, tum ad alteram, quæ efficit, ut campanæ sonitu horæ indicentur; hisque subjicit, quomodo cylindri phonotactici, qui non raro cum machinis chronometricis conjungi solent, sint dividendi, quibusque exprimendi denticulorum numeris motus corporum cœlestium. Porro indicat, quomodo mutanda automata illa exoleta, ut illis pendula applicari possint, aut alias illorum motus convertendus in alium, quæque ratio diametrorum in tympanis rotisque assumenda sit, ut apte se invicem movere possint. Cum autem accuratissime rotarum motum moderentur pendula, prolixius de his quoque præcipit Auctor, exhibetque numeros, quibus designantur varii generis automata, ut sint exemplorum instar præcepta tradita illustrantium. In his quoque habetur descriptio machinæ a Dn. Olao Römero excogitatæ, qua motus satellitum Jovis repræsentatur, quamque ille cum Dn. Flamstedio A. 1679. communicavit. Ultimo tandem loco habentur aliquot tabulæ, quarum prima est temporis resoluti in prima & secunda minuta; secunda inservit corrigendo horologiorum motui ex observatione fixarum; tertia denique ostendit ad decem priores gradus altitudinis Solis refractionem mediam a Dn. Flamstedio observatam, & hinc ortam variationem in tempore, quod sciatericum designat, cum Sol est in Æquatore, vel alterutro Tropicorum. Jam quod ad inventionem horologiorum attinet, probabile putat Auctor, semper homines usos fuisse instrumentis chronometricis, antiquissimum tamen post hominum memoriam esse solarium Achazi, refertque porro apud Græcos & Romanos in usu fuisse sciaterica, quorum auctor Anaximander Milesius habetur, & clepsydras quarum inventio P. Cornelio Nasicæ censori a Censorino tribuitur: celebrari quoque ab auctoribus horologium Dionysii, Saporis Persiæ Regis, machinam Ctesibis, sphæramque Archimedis & Posidonii. Artem autem αὐτοματοποιητικὴν successu temporis deperditam, ante pauca secula inventam denuo fuisse a Germanis, nec tamen satis constare de tempore & auctore. Ad recentiora

ergo progressus commemorat, incertum esse, quis pendula primus horologiis aptaverit, cum sibi Christianus Hugenius hoc inventum vindicet, alii hoc Galilæo, alii Justo Byrgio Rudolphi Imperatoris mechanico tribuant; id tamen esse certissimum, non viguisse illorum usum ante quam ab Hugenio fuit evulgatus, & primum quidem horologium oscillatorium ab artifice Germano Fromentill in Anglia secundum directionem Hugenii fuisse fabrefactum, paulo tamen post constructionem ejus mutatam a Londinensi artifice Clemente, ita ut oscillationes minorem circuli arcum percurrerent, contra quem tamen Hoockius sibi hoc inventum asseruerit: Hugenium porro mentionem penduli circularis tanquam a se inventi fecisse, sed contradicente Hoockio, qui sibi illud vindicarit: eundem Hoockium primum quoque in horologiis portatilibus libramento applicuisse filum elasticum, & alia quoque excogitasse A. 1658 automata duobus libramentis instructa; post hæc autem, & procul dubio elapso anno 1673, quo prodiit liber Hugenii de horologio oscillatorio, in quo nulla hujus rei fit mentio, Hugenianum innotuisse inventum, quo lamella elastica in spiram contorta libramento applicatur. Denique & A. 1676. a Dno. Barlovv reperta fuisse horologia repetentia majora, & circa finem regni Jacobi, ejusdem artificii minora; quo tamen tempore artifex quidam Londinensis Quare simile quoque suo Marte elaborarit, intrusione unius fibulæ præstans, quod Barlovv immissione duarum effecerat.

HERCULIS PIGANTII ICTI FERRARIENSIS RERUM PUBLIcarum Advocati & Senatoris ad Statuta Ferrariæ Commentariorum Tomi II.

Ferrariæ apud Bernardinum Pomatellum, 1694, fol. Alph. 10.

SOlemne quidem est politioribus Europæ populis in casuum anfractu ad Romanas leges tanquam ad communem juris fontem confugere, indeque aut normam aut sapientiam petere; anceps tamen plerisque invalido earum auxilio inniti, quas nec intermortuum autorum imperium tuetur, nec nostrorum Principum approbatio sustinet, quæque omnem autoritatem a Doctorum opinionibus recipiunt, pari sæpe numero de non usu ac de fori observantia testantibus. Tutissimum

ergo

ergo bene constitutis Rebuspublicis est visum, proprio jure uti, quæve ipsarum mores aut ratio ferenda suasere, scripto suis tradere. Nec minori & patriam & rem literariam merito sibi devinxisse crediderunt, qui ejusmodi statuta illius aut studio aut doctrinæ fiducia illustraverunt. Ut enim civi jus, in quo versatur, ignorasse turpe, sic cæteris aliorum leges nosse jucundum, & ad universalis solidæque Jurisprudentiæ cognitionem adspirantibus proficuum. Hinc nec sine fructu eruditus orbis consuetudines Parisiensium cum Molinæi, Burgundiæ cum Chassanæi, Mechlinensium cum Christinæi, Lubecæ cum Mevii, aliasque cum aliorum ergregiis commentariis legit, & Pignantio nostro Ferrariæ statuta potissimam quoad partem non dissimilibus lucubrationibus explicata debet. Cum vero ipsa ex antiquis illis de A. 1476 & 1534 magistratuum ope reformata, & ab Alphonso II Ferrariensi Duce A. 1567 confirmata, in plerisque regulis Romani juris insistant, nec non nisi speciali ex ratione ab iis abeant, exercitatissimus hic in schola, foro & judiciis JCtus & differentiæ causas exponere latius ac approbare, & convenientiam, ad multorum Italorum morem, ex allegata magis Dd. multitudine, quam legum vel vi vel subtilitate ostendere, duobus voluminibus constituit; quibus etiam nunc altera editione emissis Romanæ Rotæ decisiones accessere. Ex his nonnulla nunc annotabimus a jure communi recedentia.

Utque adeo e primis statim lineis observare licet, tam sancta habuisse Ferrarienses sua hæc statuta, ut ne usu unquam fori nec longissima consuetudine imminutari aut abrogari possent, expresse caverint: sic alienum nonnullis videbitur, quod nec cessionario extraneo contra civem actio concedatur, nec iis jus reddatur in civitate qui publicas collectas solvere cessant, & onus ejus subire nolentes lucro hoc indigni judicentur. Cum præterea in coercendo processu malitiisq; litigantium præscindendis seduli Ferrarienses fuerint, processum summarissimum sine admissu procuratoris in summa ad libras decem assurgente delinearunt, nec non paulo solenniorem in summa 50 librarum, & ordinarium in summa 50 libras exsuperante concessere; in inficiantes vero, vel exceptiones suas minus probantes pœnam arbitrariam statuerunt, & denique ut conjuncti in proximis ab utraque linea gradibus ad compromissa vel inviti compellantur, æquum duxerunt. Nec inde minus, ad temerarias lites evitandas, juramentum calumniæ procura-

toribus injunctum, illisque salarium ademtum est, qui ab altera parte illud petere aut negligunt aut temnunt. Libri autem mercatorii, qui justis instructi requisitis alias juramento accedente in quacunque summa probant, hic solum in artificum æque ac mercatorum mercibus ad 5 libras, & si mercatores zornalia, ut in Statutis vocantur, & librum authenticum insimul habuerint, ad 15 libras probare solent. Neve creditor malitiosus plus aut jam solutum petat, hoc facto, vel ipso juramento calumniæ præstito, non solum ad rem indebite exactam restituendam, sed etiam ad dupli pœnam & omnes litis expensas condemnatur. Utut cæterum in feriis observandis rigidæ fere sunt municipales leges, rusticos tamen ob commoditatem in iisdem ad jurandum admittunt. Condemnationem in expensas nullis interlocutoriis sententiis annecti, adeoque a negotio principali ejusque decisione dependere volunt: appellantem econtra ab interlocutoria, vel alio insufficienti gravamine, pœna 25 librarum plectunt; quin imo judicem salario privant, ubi an frustra appellatum fuerit nec ne expresse minus declaraverit; illi vero ad quem appellatum, omnimoda executio permittitur. Certum autem tam in interlocutoriis ad 30 solidos, quam in definitivis ad rationem petitæ summæ salarium judici constituitur. Rustici porro speciali gaudent privilegio, quod, ut alii mercatores in nundinis, sic ipsi diebus fori publici nequeant capi aut detineri. Mulieres vero nec intercedunt pro aliis rite, nec obligantur, nisi accedente ad communis juris solennitates parentum vel filii natu majoris, vel duorum ad minimum cognatorum præsentia. Ulterius possessionem defuncti & ante aditionem aut apprehensionem hæredis in hunc continuari, alterique per alterum etiam extraneum stipulari, & sine alia cessione aut ratihabitione acquiri actionem posse, cum Bononiensibus & Mediolanensibus, contra civilis juris regulas, non absq; æquitatis ratione commune habent. Econtra ab hac aliquatenus recedere videntur, cum vicinum cogunt alteri majorem fundi partem ad certam usq; mensuram, sed diversis villæ locis possidenti, suam minorem commutandam cum æque commodo fundo offerre, aut aream & domum proxime adhabitanti, & ædificium suum in decus civitatis noviter extendere parato, justo pretio vendere. Sic conductori quoq; in re conducta jus protimiseos indistincte concedunt, & pecuniam sub usuris credere sub pœna amittendæ sortis prohibent. Circa dotium materi-

am

am non minus specialiora quædam ordinata deprehendimus. Defuncto enim marito uxor dotem & a fratre datam eidemque in casum soluti matrimonii stipulatam recipit, imo & confessatam exigit, nec marito nec ejus hæredibus exceptione non numeratæ dotis ullo tempore competente; donationem vero propter nuptias non nisi expresse a marito per testamentum legatam acquirit, cum uxore vicissim mortua, & liberis non extantibus, dimidiam tantummodo dotem ille lucretur. In Feudalibus decisum, quod feudum ob culpam in dominum commissam ad ipsum dominum, ob delictum vero in alium ad agnatos & simultanee investitos indistincte, alienatum vero novum ad dominum, antiquum ad agnatos devolantur; quodque filii, patre quidem investituram negligente, sed ante domini querelam mortuo, noviter investiendi sint. In emphytheusi qui canonem per triennium e fundo recepit, licet de investitura non constet, dominium ejus directum firmiter est consecutus; solvere autem cessans utile quidem dominium non amittit, nec jure cadit, sed in pœnam dupli incidit. Jus porro præscriptionis inibi, ut in aliis quoque rebus, breves satis termini concedunt possessoribus, & in immobilibus rite alienatis, factaq; alienatione per præconem publice denunciata aut ad absentium notitiam delata, quatuordecim menses, in actionibus vero præscribendis quindecim anni sufficiunt. Ut deinde hæc statuta filio familias, vel invito parente, potestatem inter agnatos testandi deferunt; sic in successionibus diversam plane a communi jure rationem præscribunt. Masculi videlicet filiique soli, & iis deficientibus agnati ad quartum usque gradum juris Canonici, exclusis plane filiabus & ab ipsis descendentibus masculis omnique alias sexu fœminino, ad familiarum dignitatem servandam succedunt; his solum & quidem ab ascendentibus nondum dotatis, ad legitimæ quantitatem dotandis, matrique insuper & aviæ in legitima illis debita usufructu ad vitæ dies reservato. Quin & monasterium ingredientium bona, contra jura Canonica, non ecclesiæ sed agnatis ab intestato successuris deferuntur. Neve bene adeo dotatæ virgines ab exteris Ferrariensibus subducantur, sub pœna 3000 librarum mulieri, patri ejus & propinquis matrimonium cum illis contrahere sine magistratus consensu prohibitum. Alia quæ statum civitatis publicum in reliquis concernunt libris, speciatim recensere non adeo magnum operæ foret pretium; sicut & ex iis, quæ Autor in commentariis adjecit, aut in Rotæ Romanæ

decisionibus occurrunt, ut huc multa transcribamus vel ipsæ instituti nostri leges, quæ brevitatem nobis commendant, non videntur permittere.

AGRI PATAVINI INSCRIPTIONES SACRÆ ET PROfanæ F. JACOBI SALOMONII.

Patavii apud Aloysium Pavinum, bibliopolam Venetum, 1696, in 4. alph. 2. plag. 12.

PAtriam suam literis illustrare, & suorum civium gloriosis titulis exornare, eorumq; memoriam conservare, annisi sunt plures Patavini: præ cæteris Bernardinus Scardeonius, Sertorius Ursatus, Jac. Ph. Thomasinus; qui tam ex antiquis quam novis auctoribus, quicquid præclari de Patavino agro repererunt, & quicquid de præstantissimis hujus antiquissimæ celeberrimæque urbis civibus, qui vel literis, vel armis, vel ingenio, vel alterius cujuslibet rei gestæ gloria claruerunt, reperire licuit, ab interitu vindicare allaborarunt, non magis decorum putantes, statuam in Populi Romani foro habere sibi, quam alteri ponere. Quum autem in lapidibus vetustis & monumentis, præclarorum civium memoria quam maxime conservetur; istorum eximiam curam habuere, quos diximus, patriæ amantes viri, & saxa antiquis notis inscripta, quæ aut Patavii intra mœnia, aut extra in agro extant, justis commentariis sunt complexi. Neque hi tamen ita officio sunt defuncti, quin uberem materiam reliquerint industriæ doctissimi senis Salomonii, Ordinis Prædicatorum in cœnobio D. Augustini Patavino Fratris, ad colligendas agri Patavini sacras & profanas Inscriptiones toto animo conversi. Has summo studio collectas dum evulgavit, non nudas aut steriles in publicum mittendas duxit; verum historica rerum gestarum & bellorum a Patavinis ipsoque ejus conditore Antenore, a mille ante natum Christum annis & ultra gestorum ad superioris usque seculi tempora deducta narratione, nec non Geographica territorii Patavini veteris & hodierni designatione, crebrisque annotationibus, Inscriptiones quas exhibet dilucidavit; allegatis ubique scriptoribus, ex quibus quæ allata sunt depromsit, Alb. Mussato, Angelo Portenaro, Barth. Burchielato, Torello Sarraina, Sec. Lancellotto, Rolandino Grammatico, Petro Sardo, Petro Justiniano, Petro Marcello, Hier. Ate-

Ateſtino, Georgio Pilono, Jo. Palatio, Jo. Franc. Tinto, Jo. Bapt. Pigna, Jo. Bapt. Vero, Paulo Paruta, Laur. Pignorio, Lud. Moſcardo, Elia Cauriolo, Wilhelmo & Albrigetto Cortuſiis, Hieronymo della Corte, Bern. Corio, Bapt. Pagliarino, & aliis. Ex quibus omnibus quæ ad Patavini territorii, & Inſcriptionum ibi repertarum, cognitionem faciunt, magna cura excerpſit: ut non modo lapidum, antiquorum & recentium, ſepulcralium plerorumque, in iisque extantium epigrapharum, ſed etiam privatorum æque ac publicorum ædificiorum, templorum, baſilicarum, ædicularum, columnarum, ſacellorum, viarum publicarum, pontium, turrium, mœniorum, portarum, rerumque memorabilium & antiquitus in iſta terra geſtarum notitia animos lectorum imbuat. Ex epigraphis unicam, quæ Franc. Petrarchæ honori, quo Italia quam maxime nec immerito gloriatur, conſecrata fuit, poſtquam tumulum ejus Bavariæ Duces adiiſſent & conſpexiſſent, apponere libet. Nempe Arquadum collis amœnus atque cultisſimus, vino dulcisſimo abundans, Poëtæ hujus ſepulcro celeberrimus & maxime nobilitatus, & in æſtate quotidie ab advenis frequentatus, in cœmeterio ſub dio, æneum caput ad vivam Petrachæ imaginem conformatum conſpiciendum præbet, cum hac inſcriptione: FR. PETR. PAVL. VALDEZVCCVS. PAT. POEMATVM EIVS ADMIRATOR AEDIVM AGRI Q. POSSESSOR HANC EFF. P. ANN. M. D. XLVII. IDIB. SEPT. MANFREDINO COMITE VICARIO, referente Bernardino Scardeonio Lib. I. claſſ. 1. fol. 18. Hunc tumulum quum A. 1667. Bavariæ Duces inviſiſſent, ad parietem templi Arquadenſis, prope domum Archipræſulis, hanc inſcriptionem tabulæ marmoreæ inſculptam Auctor p. 154. narrat: *Arquades nunc memorabiles dignioribus obſequiis, illuſtrioribus [illegible] pæis feſtinantes accurrite, ovantes plaudite, jubilantes adſpicite Majeſtatem ubique fulgentem Electoralem Sacri Romani Imperii apicem, radiantes vultus, ſereniſſimos Soles Ferdinandi Mariæ, Adelaidæ Heroinæ, Bavariæ Ducum, generoſiſſimos, invictiſſ., glorioſiſſimos, pietate, religione, juſtitia incomparabiles, vitiorum ultores, virtutum altores, demum Charitum pupulas. Qui inſignis Petrachæ Romano triumpho laureati funeream inviſentes memoriam, tanto fati defuncto majorem honorent attulerunt, quam eo vivo Angliæ Rex nuptiali menſa donavit. Liviana lingua eloquentiæ theſauro Gaditanos traxit Franciſci cineres. Quid am-*

amplius? mira fama, tacita loquela, Principes protrahunt. Augustissimis igitur nominibus, Germaniæ in lytis sideribus, Bavaræ Genti felicitatem semper ominantibus, Euganeis præclara monumenta relinquentibus, Eques Marcus Hieronymus Bellinus Constantinus hujus Vicariatus Archipresbyter immortali memoria perpetuo dicavit. Anno ab orbe reparato MDCLXVII. Antiquius monumentum, Petrachæ & duobus aliis claris Italis consecratum superiore seculo, eadem pag. exhibet, quod in Archipresbyteralis templi pariete marmoreæ tabellæ inscriptum sit: *Danti Aldgherio, Francisco Petrarchæ, & Joanni Boccatio, viris ingenio eloquentiaque clarissimis, Italicæ linguæ parentibus, ut quorum corpora mors & fortuna se junxerat, nomina saltem simul collecta permanerent, Joannes Brevius Canon. Cenetensis, hujus Basilicæ Rector, in sui erga eos amoris obsequiique testimonium posuit MDXXIIII.* Arcæ marmoreæ, quæ ossa Petrarchæ continet, ἔμμετρον hanc inscriptionem insculptam p. 155. memorat:

Frigida Francisci lapis hic tegit ossa Petrarchæ.
Suscipe Virgo parens animam, sate Virgine parce;
Fessaque jam terris cœli requiescat in arce.
1374. 18. Julii.

Quin & sub sceleto felis Petrachæ, quod ibi conspicitur, hæc carmina Antonii Quærengi observat legi;

Etruscus gemino Vates exarsit amore,
Maximus ignis ego, Laura secundus erat.
Quid rides? divina illam si gratia formæ,
Me dignam tanto fecit amante fides.
Si numeros geniumque sacris dedit illa libellis,
Causa ego, ne sævis muribus esca forent.

* *

Arcebam sacro vivens a limine mures,
Ne domini exitio scripta diserta darent.
Incutio trepidis eadem defuncta pavorem,
Et viget exanimi in pectore prisca fides.

Has clarissimi Vatis conservandæ memoriæ causa præ cæteris exeerpsisse juvat epigraphas; plures enim depromere nimis foret prolixum & ab instituto nostro alienum.

PRÆ-

PRAXEOS MAYERNIANÆ EX ADVERSARIIS, CONSILIIS ac Epistolis ejus concinnatum Syntagma alterum.

Tractatus quatuor continens, 1. de febribus, 2. de morbis externis, 3. de arthritide. 4. de lue Venerea.

Londini apud Sam. Smith & Benjam. Walford, 1695. 8. plagul. 19.

QUod in Actis hisce anno 1691. pag. 57, in recensione primi Syntagmatis Mayerniani monuimus, id nunc quoque repetendum arbitramur, Syntagma alterum pari brevitate perlustraturi. Neque enim dubium est, quin alia longe facie præsens liber nunc compareret, si accurato judicio & limæ nobilissimi Auctoris sui ante editionem subjici potuisset. Cum autem ipso jam dudum defuncto in publicum prodeat, atque ex præscriptorum olim consiliorum & epistolarum apographis excerptum & confarcinatum opus sit, nemo facile mirabitur, si imperfecta forsan in eo deprehendantur quamplurima. Circumscribitur autem quatuor Tractatibus, quorum singuli diversis capitibus constant.

Primus quatuor complectitur, atque febrim continuam putridam, deinde malignam, mox pestem, & tandem febres intermittentes exhibet. Secundus circa morbos externos occupatus 22. capita continet, agitque de colica, præsertim biliosa, de enterocele, de sarcocele, de procidentia ani, de ulcere ab urethra in anum pervio, de varice in utroque testiculo, de mammarum cancro ulcerato, de bronchocele, de rachitide, de variis ad gangrænam remediis, de morsu canis rabidi, de sanguinis depuratione, de faciei rubore, de phlegmate salso & tuberculis faciei, de cutis & faciei maculis & asperitate, de tinea, de unguium deciduorum fragilitate lepræ specie, de psora, lepra & elephantiasi, de herpete, de pruritu in genere & impetigine, ac tandem in specie de ani, testiculorum & vulvæ pruritu. Tertius tractatus de arthritide in capita sectus non reperitur, sed varias duntaxat remediorum formulas proponit. Quartus de lue Venerea post prolegomena sex capitibus absolvitur, de luis scilicet recens conceptæ signis & symptomatibus, de ejusdem curatione generali, de gonorrhœa, de pudendi carie vel ulceribus & bubone, de carunculæ in ure-

thra curatione, ac tandem de inveteratæ luis ſymptomatum graviorum cura, videlicet ozænæ, faucium aut palati ulceris, oſſium palati &c. cariei, nodorum, tinnitus aurium ac ſurditatis. Horum omnium tractatio in eo tantum conſiſtit, ut medicamenta cum ſimplicia, tum compoſita capitibus certis inſerantur, præmiſſis interdum indicationibus aut monitis quibusdam, ad quæ reſpicere in curatione expediat. In ſpecie Tr. IV. de lue Venerea, natura mercurii, atque ex ipſo parata, medicamenta varia, nec non cura luis, & diæta ſimul obſervanda, paula fuſius explicantur. Nos ſequentia tantum huc trahimus præ aliis notabiliora.

Aurum fulminans ad grana III. vel IV. cum theriaca, mithridatio aut diaſcordio commiſſum in febribus intermittentibus paulo ante paroxyſmum; in continuis inſtante criſi jubetur exhiberi. Epicarpia quoque non vana judicantur, præſertim ſi recipiant, ☿um crudum & camphoram, aut fiant ex allio, ſale marino & pipere, ac digito minimo applicentur. In febre maligna enemata crebra, nec non urgente capitis dolore ſequens frontale commendantur: R. conſerv. roſ. rubr. & fl. roris marini a. ℥j. pulveris ſubtiliſſ. betonicæ ℥ß. amygdal. amarar. contuſar. parum no. IV. nuc. moſch. ʒß. unguent. alabaſtr. in aqua ſtillat. beton. lot. v. M. pro frontali. Contra peſtem amuleti ſequentis deſcriptio traditur. R. buſon. terreſtr. vel in clibano, vel ad Solem ſiccat. no. ij. arſen. cryſtallin. auripigmenti, mercurii ſublimati a. ℥iv. pulveris gentianæ, zedoariæ, rutæ, ſcordii a. ℥ß. caryophyll. macis a. iij. camphor. j. F. pulvis ſubtilis pro ſacculis interpaſſatis, vel cum mucilagine gummi tragac. F. ſcutum inſtar cordis. Bubones maturari jubentur ſequenti modo. R. cæpam magnam excavatam, repleatur theriaca, coqu. ſub cineribus, addatur eadem quantitas bulb. lil. albor. ſub ciner. coct. Contundantur ſimul in mortario (ſi crudus ſit tumor, addatur ſtercus columbinum & fermentum vetus) M. F. cataplaſma tumori applicandum. Superponatur panis e clibano calens. In febribus intermittentibus epicarpium e cortice mediano juglandis in aceto acerrimo macerato, duabus horis ante paroxyſmum applicatum, veſicas cum dolore excitare, & febrem quandoque fugare: genitale autem cervi pulveriſ. ad ʒj. in aqua card. bened. ante paroxyſmum ſumptum tribus, acceſſionibus febrem tollere perhibetur. Quodſi duabus horis ante proxyſmum ligentur ſummitates

mitates omnium digitorum (excepto medio) cum lana rubra, ita ut cum dolore intumescant, certissime post tres accessiones febris traditur exspirare. In doloribus colicis a bile unicum remedium celebratur dulcis vel manna cathartica purpurea cum pilulis mochlicis aut cochiae minoribus, vel extracto colocynth. exhibita. Specificum quoque in hoc casu laudatur allium crudum comestum, vel clyster potens ex allio contuso & in aqua cocto cum additione vini generosi apparatus. Salis autem armoniaci portio glandis instar effingenda & supponenda suadetur, cum experientia frequens testetur, affectum miserere mei dictum instar miraculi inde sanari; quidni ergo in colica prodesse queat? In sarcocele tanquam specificum commendatur lac aluminis cum spiritu vini & albumine ovi, agitandum cum frusto aluminis, & applicandum e multiplicibus linteis. In mammarum autem cancro ulcerato, inter specifica memoratur pulvis stercoris humani calcinati. Sequens aqua cancrum fere totum absumpsisse dicitur, cum nullo pene aut saltem exili & tolerando dolore: R. aquae stillatit. e ranis no. 100. cancr. marin. no. 50. cancr. fluviatil. no. 100. veron. utriusque, herbae Robert. a fascicul. ij. s. ℔j. spir. vini optime rectif. ℔ij. Agyptiac. ℥iv. ol. arsenic. parat. post fixationem cum sale tartar. (nisi per se velit resolvi) ℥ij. M. pro injectione semel tantum in die facienda.

In rachitide per veronicam marem, ceu excellentissimum in hoc affectu remedium, cura memoratur peracta, pyrotico tantum in nucha colli applicato. Aqua ad gangraenam Chirurgi Parisiensis de la Haye sequenti modo describitur. R. aquae calcis ℔j. ☿ sublim. subtilissime pulveris. ʒj. M. agitentur simul in mortario vitreo cum pistillo vitreo; aqua primo fit rubra, deinde flavescit. Potest augeri aut minui dosis Mercurii pro re nata. Postea ut eschara brevi decidat F. cataplasma ex urticis cum sale communi contusis & admotis, quod ad omnia ulcera valde est efficax. Ubi magna est putredo, adde spirit. vini & salis ammoniaci. Ad separationem carnis mortuae & novae regenerationem facere stercus humanum dicitur, si calidum cum urina calida adhibeatur, & applicetur per quatriduum. Singulare pro oculis sequens laudatur: R. lapid. aquilin. part. iij. perlar. part. j. F. alcohol siccans sine dolore. Observatio hic subjicitur de muliere ulcus cancrosum habente in palpebra superiori, ab hoc pulvere paucis

vicibus insperso, post omnia alia irrito adhibita, curata. Inspersus autem satis spisse pulvis, & ejusdem portio mista cum butyro recenti insulso, unguentum in pulvillo extensum supra pulverem applicatum, nec ante 2 vel 3 aut 6 dies remotum. Omnes autem aliæ axungiæ inflammationes inducere perhibentur, butyrum non ita. Siccans potentissimum celebratur sequens: ℞. aquæ calcis iv. borracis ʒj. M. & applicetur tepide cum linteolis vel filamentis carptis. Optimum hoc esse fertur ad fissuras & ulcera papillarum a suctu vel morsu lactantium. Si aqua calcis multo sale impraegnata cum oleo rosarum, vel cum butyro recenti incorporetur longa agitatione, evadit anodynum mundificans & exsiccans. In tinea vesicatoria cervici, imo aliquando ipsi parti affectæ jubentur applicari, non secus atque hirundines capiti adhiberi variis in locis queant. In psora, lepra, elephantiasi inter alia commendatur vinum viperinum verno tempore magna quantitate paratum, infundendo scilicet seu potius suffocando viperas in vino, de quo bibat æger bis in die per multos menses. Sic mercator quidam ex usu hujus vini convaluisse dicitur, cui tandem tumores instar ovi columbini in inguinibus exorti. Jussus est pyrotícum applicare, & excitare fonticulos pisoque majori apertos tenere, id quod fecit, atque penitus ab hoc affectu fuit liberatus. Ad scabiem humidam cum pruritu tollendam ℞. terræ sigillatæ quantumvis, affundatur acetum stillatitium, & stet in infus. per diem & noctem, dein agitetur acetum cum oleo olivarum communi, donec fiat linimentum album, quod scabiem siccare fertur, pruritum tollere, & maculas rubras faciei æquare cum reliqua cute. In pruritu ani, testiculorum, & in specie vulvæ, specificum laudatur sagittalis aquatica tota cum radice in aqua cocta pro fotu cum linteis. De quodam arthritide admodum violenta in omnibus juncturis laborante refertur, quod curatus fuerit exhibitione mercurii vitæ gran. ij. & ij. caryocostin., unde duodecies vomuerit, & octies purgatus sit, ita ut statim sine baculo (quo antea usus) potuerit deambulare. Axungia leporis ad ʒj. in vino vel terevisia sumpta optimum in arthritide remedium & purgans per secessum celebratur. In eodem affectu liquor ranarum Majalium per descensum destillatus & rectificatus optimum anodynum habetur. Unguentum vero præsentaneum salutatur e salis marini torrefacti ℥j, & olei olivarum ℥iv. paratum. Cura quoque magnetica addu-

adducitur cum carne bubula vino prius humectata & parti affectæ sæpius applicata, cum mirum in modum extrahere humorem peccantem credatur. Remedium potentissimum ad roborandos articulos memoratur sequens lac aluminis: R. aqu. vit. vulg. ℔j. albumin. ov. rec. agitatione in aquam reduct. no. vj. M. & cum magno aluminis frusto agitentur, donec liquor inspissatus lactis instar albescat. Ante applicationem non nimis calefaciendum est, ne alumen concrescat, sed linteum valde calefactum liquore imbuendum, & illico applicandum. Inter plurima contra luem veneream medicamenta describitur quoque pulvis calomelanicus sequ. modo: R. sublimati magistralis ℥viij. mercurii philosophici ℥vj. ʒ j. M. simul in mortario marmoreo diutissime agitando, donec perfecta successerit incorporatio, irrorando pauculo vini spiritu, F. sublimatio ad 3. tantum vices (separando farinam a crystallis) Tandem F. lævigatio in marmore cum aqua cinamomi, & pulv. ex crystallis videlicet solis. Dosis a ℈j. ad ʒß. Sublimati autem magistralis & mercurii philosophici descriptio mox subjicitur, & clyssus metallorum eadem fere ratione atque iisdem ingredientibus ac pulvis calomelanicus delineatus legitur. Pilulæ quoque traduntur, quarum compositio Clarissimo Auctori felicissime cessit: R. calomel. sublimati dulcis ℈j. pil. cochiar. min. ℈j. vel polychrest. gr. Xij. vel extracti colocynth. ℈ß olei anis. gr. IV. M. p. dosi. Ad vermes necandos R. mercurii in succo absynthii, tanaceti, santonici, abrotani & similium extincti ℥j. pulveris subtilissimi aloes, corallinæ, gummi guajaci a. ʒij. c. balsam. Peruviano F. massa. Hysterica symptomata sævissima, & fermentationes in momento ventrem distendentes in molem ingentem, cum magnis convulsionibus, & loquelæ per aliquot septimanas omnimoda privatione, quasi incantamento cessarunt, irritis omnibus aliis remediis, data ℥ß. mercurii crudi, non secus atque æthiops mineralis pluribus hystericis utiliter exhibitus, & horribiles convulsiones inde sedatæ memorantur. Oculi procidentia cum scrofulosis glandulis pone aurem & ad temporalem musculum ulceratis, post vanum remediorum omnium usum, curata salivatione refertur. In exhibitione cinnabaris vulgaris nihil periculi subesse dicitur. Cum enim constet ex sulphure & mercurio, quæ seorsim innoxiæ possint deglutiri, quidni multo tutius conjuncta, quia mercurius optime corrigitur a sulphure. Contra gonorrhœam, & fluorem album sequens

 com-

commendatur: Caro bubula fumo indurata, & ab externa nigredine mundata, discerpatur in filamenta, quæ multiplici ablutione aquæ calentis liberentur a salsedine; postea mantili optime detersa, post exemptum e furno panem, iterata immissione siccentur, dum possint reduci in pulverem, de quo cape partes duas, baccarum maturarum hederæ arboreæ partem unam, M exacte. Hujus pulveris ʒj. exhibeatur pluribus diebus consequentibus mane, ita ut statim ab assumptione ejus cyathus hydromel. simplicis vel decocti radicis eryngii exhauriatur. Mirus perhibetur effectus trivialis hujus remedii, quod ab obstetrice promanavit ob certam citamque fluoris muliebris curationem admodum celebri. NB. pro corporibus pituitosis non abluenda, sed siccanda tantum caro jubetur. Gonorrhœam virulentam certo sanare præmissis præmittendis, caruncùlas itidem curare & siccare, nec non pruritum intolerabilem ani, scroti, pubis; fissuras quoque & ulcera tollere fertur mercurius dulcis s. calomel. in alkool reductus, & in ampullam lixivii calcis vivæ recens ustæ projectus. Vel R. aqu. calcis ℥vj. mellis rosati ʒij. mercurii dulcis ʒj M. F. injectio, qua Dn. Digby intra quinque dies perfecte a gonorrhœa dolorifica liberatus traditur. Bolus vero intra paucos dies gonorrhœam curans talis prostat: R. camphor. ℈ß salis saturni ℈j. salis tartari gr. Xij. cassiæ fistul. ʒß terebinth. Venet. ʒj. M.F. bolus. In ulceribus & excoriationibus pudendorum nihil tam extinguere malignitatem creditur, quam suffitus e cinnabari. Unguentum vero diapompholygos mixtum cum mercurio crudo præstantissimum celebratur remedium ad ulcera Venerea (in quacunque parte) vel alia inveterata & maligna. Ganglion satis amplæ magnitudinis in fronte, pomorum mandragoræ per medium sectorum applicatione sæpius iterata evanuisse memoratur. In dissolvendis nodis Venereis Clar. Auctor maximam vim attribuit sacculo c. mercurio dulci interpassato, vel etiam pastæ sequenti: R. mercurii dulc. ℥iv. farin. sem. lini & fœnugræc. a ʒiij. pulveris rad. alth. cicut. hermodactyl. a. ʒij. M. & F. pasta cum spiritu vini, quæ extendatur super vesic. dupl. Tegatur linteo tenuiss. assuendo vesicæ, apponatur parti affectæ, atque, ut dictum est, sæpius humectetur. In Venereis & frigidis tumoribus, inquit celeberrimus Auctor, haud scio, an ullum hoc vernaculo & euporisto cataplasmate, quod e rad. sigilli Mariæ & axungiæ porci paribus fit portionibus, inveniri possit efficacius. In

tinni-

tinnitu aurium a lue Gallica inveterata commendatur fumus caryophyllorum per infundibulum in aurem receptus, unde futurum sit, ut multa aqua per nares emanet.

TRAITÉ HISTORIQUE DES MONNOYES DE FRANCE &c.

i. e.

TRACTATUS HISTORICUS DE NUMMIS FRANCORUM eorumque figuris, ab initio Monarchiæ usque ad hæc tempora, auctore Dn. LE BLANC.

Amstelodami, juxta exemplar Parisiense, apud P. Mortier, 1692. 4.
Alph. 2. pl. 14. cum multis tabulis æneis.

REm arduam, multisque difficultatibus impeditam, Auctor doctissimus aggressus est, dum de monetis Franciæ ex instituto exponere secum constituit. Marquardus Freherus, decus istud Germaniæ nostræ, observante ipso Auctore, hanc historiæ Francicæ partem, quæ monetam respicit, plus quam Cimmeriis involutam esse tenebris conqueritur, vixque nomina veteris monetæ Francicæ nota satis esse, tantum abesse, ut de valore ejus certi quid nobis constet. Ut vero ipsa difficultas rei stimulum Auctori ad laborem hunc suscipiendum addidit, ita postquam eodem feliciter functus est, gloriam decusque ejus haud mediocriter auget.

Primo itaque hoc agit, ut nomina atque valorem monetæ tum aureæ tum argenteæ, in Francia a regni primordio ad nostra usque tempora cusæ, rite & accurate designet. Et inter aureos quidem nummos primum locum occupant *solidus*, item *dimidia*, ut & *tertia pars solidi (le sol, le demi sol, le tiers de sol d'or.)* Merovingica stirpe rerum in Francia potiente, hanc monetæ speciem in Francia usitatam fuisse, & a Romanis ad Francos transiisse observat. Equidem & sub Carolingica, & Capetingica stirpe solidos aureos in Francia obtinuisse, sed paucos admodum ex hac ætate ad nos pervenisse, ut quem tum obtinuerint valorem, haud facile definiri queat. Sub Philippo I. invaluisse *Francos* seu *Florenos aureos (Francs d'or,* item *Florins d'or)* quos a solidis aureis non fuisse diversos conjicit. Sub Hugonis Capeti primis successoribus

ribus in usu quoque fuisse *Byzantios* & *Obolos aureos*, (*Bezants d' or* & *Oboles d' or*) qui tamen an a Franciæ Regibus fuerint cusi, an aliunde invecti, definire non audet. Sequuntur *Agnelli* seu *Verveces aurei*, (*Aignels d' or* sive *Moutons d'or*) qui Ludovico S. natales suos debeant. Nomen autem sortiti sunt, ut Auctor tradit, ab agno, aut vervece, cujus imago in hisce nummis conspiciebatur. Valorem hujus monetæ fixum determinatumque fuisse asserit, usque ad Carolum VI, indeque factum, ut exteri quoque hac moneta multum delectarentur. *Regales* (*Royaux*) sub Philippo Pulchro cœpisse, a quo ejusmodi nummi diversæ magnitudinis cusi sint (*petits Royaux* & *gros Royaux.*) Nomen accepit, teste Auctore, hoc monetæ genus a Rege, qui vestimentis Regiis ornatus in ea conspicitur; valorem tamen non eundem, ut itidem autumat, semper obtinuit: utut quam diutissime Gallis fuerit frequentatum. Eundem Philippum Pulchrum auctorem esse monetæ, cui nomen *Masse ou Chaise*, partim quod Rex, cujus imaginem præfert, manu dextra clavam teneat, partim quod rhedæ seu sellæ insidens exhibeatur: quin & illius monetæ, quam *Reines* vocant, originem ab hocce Rege arcessendam esse contendit. Tria igitur monetæ aureæ genera Philippum quidem Pulchrum agnoscere auctorem: sed longe plura ad Philippum Valesium esse referenda. Ab hoc enim profectos esse & *Parisinos aureos les Parisis d' or*) ita dictos quod valor eorum 20. solidos Parisienses æquaret, & *Leoninos*, ita dictos quod leo pedibus Regis conculcatus, in iis conspiceretur, & eos qui a tentorio (*Pavillon*) nomen adepti sunt, itemque *Coronatos* quorum altera facies coronam exhibebat, *Angelicos* etiam ab Angelo, quem sistebant, nominatos, ut & *Scutatos*, quod in illis Rex manu sinistra scutum teneat, & denique *Florenos Georgianos*, in quibus divus Georgius cum dracone pugnans conspiciatur. Successores autem Philippi solos scutatos (*les Deniers d' or a l' Escu*) retinuisse, nisi quod Henricus VI. Angliæ Rex Parisiis rerum potiens Angelicos (*Angelots*) cudi curaverit: ipsos tamen scutatos Johannis a scutatis Philippi quodammodo diversos fuisse. Sub Johanne Rege cudi cœpisse porro docet *denarios aureos liliatos* (*deniers d' or aux fleurs de lis*) sed paucos admodum cusos fuisse, & mortuo hocce Rege in desuetudinem abiisse. Sub finem regni ipsius, anno nimirum 1360, cusos fuisse *Francos aureos* (*Franc d' or fin*) idque monetæ genus successoribus Johannis, cum primis Carolo V & VII ut & Hen-

Henrico VI. Angliæ Regi placuisse, atque ob materiæ bonitatem, pretiumque fixum & usui accommodatum, in commerciis valde fuisse frequens. Florenos aureos liliatos (*Florins d'or aux fleurs de lis*) sub Carolo V. cœpisse, eosque & *Francos aureos* dictos, quod ejusdem cum Francis essent valoris; sed tamen ut ab aliis discernerentur, *Francos pedestres* dictos esse, cæteros autem Francos a Johanne cudi cœptos *equestres*, quod Rex equo insidens in illis conspiceretur, appellatos fuisse. Sub Carolo VI. etiam cusos fuisse nummos, qui a Salutatione Angelica nomen adepti sunt: ut & Coronatos, quos *Escus à la Couronne* dici observat, tum quod supra scutum Franciæ corona conspiciatur, tum ut discernantur a scutatis Philippi Valesii & Johannis I. Sed & aliud scutatorum genus Carolum huncce habere auctorem, scilicet qui ob galeam additam dicti sint *Escus Heaumes*. Coronatos tamen cæteris fere omnibus palmam præripuisse, ut recentiori ætate, si *Henricianos* & *Ludovicianos* exceperis, non aliud fere monetæ genus ex auro cusum sit. Henricianos (*Henris d'or*) sub Henrico II. cœpisse & desiisse: Ludovicianos sub Ludovico XIII. initium sumsisse, hodieque in usu esse: sed liliatos aureos (*Lis d'or*) A. 1656. cudi cœptos, mox intermissos esse. Atque hæc sunt monetæ aureæ genera, in Francia cusa, de quibus plura adhuc observat, præsertim in valorem & pretium singulorum accurate inquirens, quibus recensendis instituti nostri memores, supersedemus. Eadem ratione etiam de monetis argenteis, ut ex mixtis, sive ex argento & ære compositis, ut & de nummis calculo subducendo inservientibus, disserit, generalemque hancce tractationem adjectis Constitutionibus quibusdam Philippi Pulchri, Philippi Valesii, Johannis I. & Caroli VI. huc facientibus, finit.

Hisce itaque expeditis, per singulos Reges eundo, eorum nummos exhibet, & re ita exigente, uberiori expositione illustrat. Nos ex qualibet Regum Gallicorum stirpe unicum decerpemus exemplum, ne specimen, ex quo de hocce opere judicare possit, Lectori desit. Priusquam autem Merovingicorum Regum nummos refert, quendam lectorum oculis subjicit, de quo, cui Regi adscribendus sit, disputatur. Est nimirum tertia pars solidi aurei, cujus prima facies caput diademate, margaritis ornato, tectum exhibet, additis verbis: TEUDOME p. 44
REX, h. e. TEUDOMER REX, littera R, more in nummis antiquis recepto, semel omissa. In altera parte figura conspicitur, quam sibi in-

cognitam esse Auctor profitetur, additis vocibus VVLTA CONNO, quibus locus, in quo nummus cusus sit, indicetur, quem tamen itidem sibi ignotum esse non dissimulat; licet in monetis subinde legatur *Civita Conno.* Ab Henrico Valesio aliisque hunc nummum Teudomero filio Richimeri, cum matre Ascilla a Romanis interfecti, vindicari observat: non tamen ex eo, quod signum crucis in hoc nummo non conspiciatur, colligi posse, a Principe Ethnico eum cusum fuisse, docet, cum Christianorum quoque quorundam Principum nummi eodem destituantur. Teudomero tamen & ipse hunc nummum tribuit: nec a sua sententia se dimoveri patitur auctoritate Procopii & Gregorii Turonensis, quorum ille asserat, Reges Francorum imagines suas nummis aureis ante Justiniani tempora non impressisse, quippe qui illis demum hoc permiserit; hic autem affirmet, tempore Arbogasti non Reges, sed duces Francorum genti præfuisse. Namque Procopium quidem perperam hoc asserere, in sequentibus probatum dedit: Gregorio autem Turonensi, utut Fredegarium, Aimoinum, aliosque secum consentientes habeat, opponi posse scriptores Latinos Mamertinum, Eumenium, Ammianumque Marcellinum & alios, qui non semel Francorum Reges commemorent.

Nummos a Pharamundo cusos se non vidisse testatur; refert tamen, a Dn. la Carry e Societate Jesu, quod ejusmodi nummi extent, se accepisse, nec dubitat, peritia & fide ejus fretus, quin genuini sint.
p. 46. Primo itaque loco comparent nummi Clodovæi, interque eos tres tertiam partem solidi aurei constituentes: qui nummi licet Clodovæi nomine insigniti sint, non liquere tamen ait, ad quemnam ex tribus Clodovæis in Merovingica stirpe occurrentibus referri debeant: solum ultimum ex iis citra controversiam Clodovæo II vindicandum esse. In primo caput Regis diademate redimitum conspicitur, cum inscriptione CLODOVIVS REX: in altera facie figura crucis litteris α & ω stipata exhibetur. Nimirum valde frequens fuit, docente Auctore, hisce litteris nomen Dei indicantibus nummos insigniri: hinc & in nummis Dagoberti, Roberti, Henrici I, Philippi I & Ludovici VI eas extare. In altero itidem legitur nomen CHLODOVIVS REX: quem Parisiis cusum ex aversæ inscriptione PARISIIS CIV colligitur. Diadema, quod caput Regis cingit, margaritis est ornatum, idque in hujus generis nummis usitatissimum esse, Auctor docet. Nec sine ratione

sibi

ſibi perſuadet, in eo Reges Franciæ imitatos eſſe Imperatores Romanos, cum & his poſt Conſtantinum ejusmodi coronæ ſeu diademata uſurpata fuerint. Ad Clodovæum primum autem hos nummos pertinere inde colligit, quod litteræ ſimillimæ ſint iis literis, quæ in nummis citra controverſiam ad Clodovæum I ſpectantibus leguntur. De nomine vero Clodovæus ſeu Ludovicus obſervat, litteras initiales CH a Francis, ut fortior eſſet pronuntiatio, additas eſſe; eas tamen etiam ab antiquis, non exteris tantum, ſed & ipſis Francis quandoque omitti. Probat hoc ex antiquo monumento, in quo pro Clothario dicatur Lotharius: ſic & Childebertus & Hildebertus, Cherebertus & Erebertus, unum idemque eſſe. Illis itaque, qui in nomine Hludovicus, τὸ H Germanorum *Herr*, quod Dominum ſignificat, innuere putant, non ſuffragatur. Plane enim horum ſententiam inde confutari poſſe, quod nominibus plurium urbium olim H præpoſitum fuerit, e. g. Hturonus, Hbaiocas, Hredonis: in quibus, ſi quis, H per Dominum explicare vellet, oppido ineptus foret. Subjungit his tres alios nummos; quos, licet in iis nomen Clodovæi non extet, ad eum tamen pertinere conjicit. Inſcriptio primi & tertii SOESIONIS, aut SVESIONIS ſatis docet, Sueſſione eos cuſos, quam urbem initio regni Clodovæo ſedem præbuiſſe, ex Frodoardo probat. In averſa primi nummi vir manu dextra ſecurim (*une bache*) tenens conſpicitur: & ſi Auctori credimus, ad hiſtoriam, quæ de Clodovæo circumfertur, quod militem, qui vas argenteum Regi ex præda deſtinatum proterve confregerat, ſecuri interfecerit, alluditur: addit, Clodovæum ſecuri loco ſceptri uſum fuiſſe. Inſcriptio BETTO nomen monetarii, juxta Auctorem, nobis manifeſtat. Quod cum in reliquis duobus nummis itidem inveniatur, colligit ex eo Auctor, Clodovæo I eos eſſe tribuendos. Ornatur autem in ultimo caput Regis corona radiata, more in Imperio declinante valde recepto. An autem corona, quam Anaſtaſius Imperator Clodovæo miſiſſe dicitur, talis fuerit, diſceptantibus hac de re eruditis, definire non audet. In prima quoque ſecundi nummi facie, inſcriptio eſt, EXONA FICI, locum indicans juxta Auctorem, Exonam ſcilicet urbem, quæ hodie *Eſſone* vocetur: neve quis miretur monetam in loco minus celebri cuſam, non infrequens illud olim fuiſſe, prolixe docet. Circa finem denique fatetur Noſter, ſe hoſce nummos Clodovæo quidem tribuiſſe, neutiquam tamen id ſe pro re certa & extra omnem dubitationem poſita habere.

Post Merovingicam gentem, Carolingicam rerum summam in Gallia obtinuisse constat. p. 93. Præcipuus in ea ipse Carolus M. fuit, cujus, ut & fratris ejus Carolomanni, varios nummos Auctor producit. Generatim autem de Carolingicis nummis observat, nomen Caroli M. in illis semper scribi per C, adeoque observationem Mabillonii hac de re confirmari, cum cæteri stirpis hujus Reges Caroli nomine gaudentes, per K illud scribere consueverint. Deinde & illud observat, litteras primorum nummorum, cusorum quippe antequam Carolus Italiam ditionibus suis adjiceret, rudiores esse litteris, quæ in nummis postea cusis inveniuntur. Cujus rei hanc rationem esse putat, quod Carolus aut Italis in hac re adhuc peritioribus in cudenda moneta usus fuerit, aut quod Franci ab Italis artem concinnius nummos conficiendi didicerint. Deniq; & illud addit, litteram o in voce *Carolus* semper esse o *μικρον*, eodemq; modo rem se habere in vocibus Ludovicus & Lotharius. Et ista quidem generatim observat. Cæterum in primi nummi, cujus figuram exhibet, facie prima monogramma vocis Carolomanni, ex quinque litteris CARLM compositum: in altera litteræ A. R. h. e. Austrasiorum Rex, conspiciuntur. Hinc sequuntur 6 denarii, quorum primæ facies vocem *Carolus*: aversæ litteras exhibent, ex quibus certi quid exsculpere Auctor non potuit; unde Criticis merito, ut ingenium in iis exerceant, commendantur. Qui in secunda serie n. 5. & 6. extant, in aversis habent vocem MEDOGVS seu MEDOLVS, de qua viri docti non plane inter se conveniunt. Dandinus, referente Auctore, urbem seu vicum, caput provinciæ Medoc seu Metullorum apud Burdegalenses fuisse tradit, ibique officinam fuisse monetariam. Sirmondus & Henricus Valesius, ut itidem Auctor refert, hoc nomine eam urbem Pictaviensis provinciæ indigitari putant, quæ hodie Mella seu Mellum dicitur; sed non idoneis eos suam sententiam firmasse argumentis, Noster conqueritur. Licet quoque nonnulli *Metullum* urbem *Metallum* dictam contendant, a se tamen impetrare non potuit, ut in alio nummo quodam Caroli, in cujus prima facie vox METALLVM, in altera METVLO legitur, per illam itidem urbem hanc designari sibi persuadeat: ut nec illis suffragatur, qui voce *metalli* argentum hic designari autumant. Nec illud in sequentibus nummis prætermittit, vocem *Caroli* in illis exprimi per CARLVS; confirmari enim hinc putat sententiam Spelmanni, nomen hoc a septentriona-

lium

lium populorum voce CARL, qua virum designant, derivandum esse. Redit hinc ad monogramma Caroli, & contra Sirmondum disputat, probatque, non Carolum Calvum demum, sed jam Carolum M. sanxisse, ut moneta monogrammate ipsius insigniretur, factumque id ad imitationem Imperatorum Constantinopolitanorum. Quin & in subscriptionibus monogrammate Carolum usum, quod litteras pingere non didicisset, teste Eginhardo: *ut imperitiam hanc honesto ritu suppleret, monogrammatii usum loco proprii signi invexit.* Erudite quoque de titulo *Dominus Noster*, qui in quodam Caroli nummo extat, sed cæteroquin rarissime in hujus ætatis nummis Francicis, ut observat, reperitur, disserit, atque demonstrat, ab Imperatoribus Romanis & Constantinopolitanis hunc morem accepisse Gothos, a Gothis Longobardos, a Longobardis eum ad Francos fuisse propagatum. Porro cum inter civitates, in quibus Carolus monetam cudi fecerit, Luca quoque Italiæ urbs fuerit, & hæc in quodam nummo Flavia dicatur, in rationem hujus rei inquirens docet, Autarim Longobardorum Regem cognomento Flavium dictum, ejusque successores idem nomen retinuisse: hinc præcipuas regni Longobardici urbes Flavias dici voluisse, ut imperii Romani urbes principes *Augustarum* titulo superbire pulchrum duxerint. Exhibet denique nummum, in quo Carolus vocatur GRATIA DI IMPER. h. e. *Gratia Dei Imperator.* Comprobari hinc putat illorum sententiam, qui Carolum primum omnium voces, *gratia Dei*, titulo suo addidisse autumant: simul tamen Frehero suffragatur, existimanti, Carolum hoc fecisse ad imitationem Græcorum, qui se θεοςεφεῖς, *a Deo Coronatos* vocabant. Quin vidisse se ait & ejusmodi Caroli titulum: *Carolus Serenissimus Augustus a Deo coronatus, Magnus & Pacificus Imperator.* Cætera prætermittimus.

Ex tertia Regum Gallicorum stirpe, Capetingica scilicet, multa memoratu haud indigna afferri possent, sufficiat tamen pro instituti nostri ratione, quæ Auctor de *argenteis* sive *grossis Turonensibus* tradit, paucis indicare. A Ludovico S. primum hoc monetæ genus cudi cœpisse, pro explorato habet. *Grossos* hosce nummos vocari putat a magnitudine, quod nummorum argenteorum ea ætate in Gallia fuerint maximi; Turonenses dici a Turono civitate, idque ex inscriptione aversæ, TVRONVS CIVIS, h. e TVRONVS CIVITAS, intelligi. De figura autem, quæ in aversa conspicitur, (in prima enim facie crucis p. 160.

imago exhibetur.) admodum disceptant inter se eruditi, observante quoque Auctore. Id exploratum esse dicit, a Ludovico S. usque ad Caroli V ætatem hanc figuram Turonensibus impressam conspici. Nonnulli, ut refert Auctor, catenas se hic videre sibi persuadent, per quas ex Palæstina redux Ludovicus S. captivitatis suæ memoriam in nummis ad posteros propagare voluerit. Hoc autem sibi verosimile non videri, non dissimulat Auctor, nec quemquam hisce suffragaturum putat, si figuram compedum (*Buyes*) ac manicarum ferrearum, quibus vinctus Ludovicus fuit, a Dn. Cangio descriptarum, cum hac figura Turonensium conferat atque contendat. Alii, ut porro Auctor docet, se frontem arcis aut castelli in Turonensibus videre credunt, quorum sententia, judice Auctore, inde robur capit, quod in quibusdam constitutionibus monetariis, hæc figura *castellum* appellitetur. Addit porro, nonnullos contendere, Ludovicum in gratiam matris suæ, ex gente Castellana oriundæ, castelli figuram nummis imposuisse, quia & in ejus insignibus eadem castelli figura fuerit. Nec mirum cuiquam hoc videri posse, si secum reputet insignem amorem, quo filius matrem fuerit prosecutus. Opponi tamen huic sententiæ posse non diffitetur, quod eandem imaginem successores Ludovici retinuerint, in quibus hæc ratio locum non inveniat; adeoque quosdam potius induci, ut credant, turres Turoni urbis hic exhiberi: fratres autem Ludovici, ut Regem imitarentur, eandem figuram in suis nummis retinuisse. Non deesse denique addit, qui templum aliquod hac figura indicari autument, putentque Ludovicum S. exemplo Ludovici Pii aliorumque, templi figuram nummis imprimendo, suum erga Christianam religionem affectum demonstrare voluisse. Quæ quidem sententia Auctori præ cæteris omnibus propius ad veritatem accedere videtur, licet certi quid definire non audeat. Sed hosce flores ex uberrimo illo campo decerpsisse sufficiat. Dissertationem operi huic subnexam de aliquibus numismatibus Caroli M. Ludovici Pii, Lotharii eorumque successorum auspicio Romæ cusis, jam recensuimus Supplement. T. II. Sect. 1. p. 36. seqq.

Engeländischer Kirchen- und Schulen-Staat.

Hoc est:

ECCLESIARUM ET SCHOLARUM ANGLICARUM STATUS, descriptus ab HENRICO LUDOLFO BENTHEM.

Lune-

Luneburgi, apud Jo. Georgium Lipper, 1694. 8. Alphab. 2, plag. 5. & aliquot fig. æn.

INstitutum Maxime Reverendi Auctoris, quod circa status Ecclesiarum Scholarumque in Anglia & Belgio descriptionem tenuit, generatim nuper, cum in recensendo Statu Belgico versaremur, delineavimus; nec est, ut de eo jam plura in medium afferamus, ubi de Anglicano, quem non minori certe industria dilucidavit, & ante istum edidit, ex promisso, quo mense Januario anni hujus 1698 p. 27 fidem nostram obstrinximus, nonnihil dicere tenemur: methodo enim utrobique eadem fere in plerisque usus fuit. Sigillatim ergo id saltem monemus, in peculiari, quod hujus operis auspicium facit, præfamine utilitatem ex peregrinatione in studiosum Theologiæ redundaturam multis in antecessum argumentis commendari; e regionibus vero ab hoc petendis, post Belgium imprimis Angliam laudari, & monita ab iis, qui proficisci in oras istas voluerint, probe observanda sincere suggeri. Ex opere autem ipso diligentem atque accuratam ædificiorum, bibliothecarum, monumentorumque publicorum aliorum, quæ Londini, Oxonii & Cantabrigiæ visuntur, consuetudinum etiam in urbibus hisce primariis & Anglia universa teneri, vestiumque & a docentibus in utraque cathedra, & a discentibus in Academiis gestari solitarum, & plurium ejuscemodi descriptionem ut haud difficulter sibi quisque pollicebitur, qui fuerit recordatus, quam liberalem in his, cum circa Belgas occuparetur, Auctor sese exhibuerit: sic magnam imprimis libri hujus partem ea conficiunt, quæ de Anglorum Liturgia commentatus est; quandoquidem consuetas, quas passim in obeundis sacris muniis adhibere ii solent, formulas ad verbum sæpe, sed Germanice versas, inseruit; Constitutiones item seu Canones Ecclesiasticos a Jacobo I confirmatos, nec ubiq; satis obvios, Latino idiomate legendos suppeditavit. Dissidium porro, quod inter episcopales, qui vocantur, & Presbyterianos intercedit, fuse admodum declaravit; tandemque de Reformatione Pontificia, a Jacobo II attentata, dilucidam non minus ac prolixam Dissertationem subnexuit. Scriptorum Anglicorum Bibliothecam quandam Theologicam quo minus adderet, Martinum Kempium labore hoc jam olim functum ait effecisse, quem tamen ad nostra usque tempora se aliquando protracturum innuit.

JO-

JOHANNES DALLÆUS DE VERO USU PATRUM IN epitome exhibitus a M. D. C. E. M.

Tubingæ, apud Georg. Frid Bliferfum, 1692. in 12. plag. 11.

IAm pridem manibus Eruditorum tritus fuit liber, quem de vero Patrum usu conscripsit celeberrimus Dallæus; nec defuere, qui (quicquid secus visum Matthæo imprimis Scrivenero & quibusdam aliis,) non sine laude in hoc negotio versatum ipsum fuisse, ingenue confessi sunt. Multum certe ejus operam Sanctorum Patrum æstimatoribus profuturam, post alios agnovit præsentis Auctor Epitomes, unde ut consuleret doctissimam hanc commentationem vel semel lectam recolere cupientibus, paucioribus eam lineis conclusam exhibere studuit. Ac cura quidem decenti in id allaboravit, ut eorum, in quibus aliquod momentum recumbit, nihil transiliret, multa dehinc in ordinem magis congruum redigeret, ac locis denique nonnullis per interspersas notulas uberiorem lucem fœneraretur. In gratiam vero istorum, qui differentem prolixius Auctorem ipsum consulere voluerint, singulas, unde quævis deprompsit, paginas margini apposuit, editionem Genevensem A. 1655. vulgatam in numerorum ordine secutus. Imo ut concinnatum ea ratione enchiridion vicem introductionis in historiam Patrum eo melius sustineret, summariam præcipuorum Patrum designationem adjunxit, deque Ignatio, Justino, Polycarpo, Irenæo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Origene, Cypriano, Dionysio Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, Arnobio, Methodio, Lactantio, Eusebio Cæsariensi, Paphnutio, Hilario Pictaviensi, Athanasio, Basilio Magno, Ephræmo Syro, Optato Milevitano, Gregorio Nysseno, Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio Nazianzeno, Didymo, Ambrosio, Epiphanio, Prudentio, Chrysostomo, Ruffino, Hieronymo, Augustino, Paulino, Isidoro Pelusiota, Cyrillo Alexandrino, Hilario, Sedulio, Theodoreto, Leone Magno, Prospero Aquitanico, Salviano, Nonno, Fulgentio, Vigilio, Cassiodoro, Gregorio Turonensi, Gregorio Magno, Isidoro Hispalensi, Damasceno, Theophylacto, Bernhardo paucula quædam in medium attulit.

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. V.

MUSEO DI FISICA ET DI ESPERIENZE &c.

h. e:

MUSEUM PHYSICUM ET EXPERIMENTALE, VAriegatum & exornatum observationibus naturalibus, notis medicinalibus &c. auctore Dom. PAULO BOCCONE, Nobili Panormitano Botanico Serenissimi Magni Ducis Hetruriæ, Collega Academiæ Cæsareæ Leopoldinæ Naturæ Curiosorum: jam vero Dom. SYLVIO BOCCONE Monacho Sacri ordinis Cistertiensis, in provincia Sicula.

Venetiis apud Jacob. Combum, 1697. in 4. cum 18 tabulis ære expressis.

PRodromus hujus operis, quod nuper ad nos delatum fuit, superiori jam anno in Germania Germanico comparuit habitu, cum titulo: Don Sylvii Bocconis Cistertienser Ordens 2c. Curiöse Anmerckung über ein und andere natürliche Dinge, aus seinem noch nie in Druck gewesenen Museo experimentali physico zusammen gezogen, und im Durchreisen durch Teutschland zum Andencken seiner in teutscher Sprache zum Druck hinterlassen. Franckf. und Leipzig in Verlegung Michael Rohrlachs seel. Wittib und Erben, 1697. 12. plag. 22. Complectitur libellus ille 24 observationes eruditis & curiosis in Germania viris dedicatas, quæ hinc inde excerptæ sunt ex hoc Museo, in quo tamen Italo-

 rum

rum claris nominibus ſunt inſcriptæ. Muſeum ipſum 46 obſervationes continet, in quarum *prioribus quatuor* horribilis ille terræ motus, qui in Sicilia A. 1693 factus eſt, accurate deſcribitur, & quam late ſtragem circumtulerit, exponitur. Obſervatione *quinta* ſuccinum nihil eſſe aliud, quam petroleum concretum, confirmatur. Sequentibus obſervationibus, aliquot terræ alcalicæ & medicinales in Italia reperiundæ, & ſingularium contra malum hypochondriacum aliosque morbos virium celebrantur; nempe in *Obſ. 6.* terra virginea aurea in ditione Ducis Mutinenſis effodi ſolita, *Obſ. 7.* terra Baira Siciliæ, *Obſ. 8.* lapis ejusdem generis cum Geode Cæſalpini, *Obſ. 9.* terra Rothomagenſis, *Obſ. 10.* terra Mililli. Obſervatione *undecima* refertur, prope Molentiam (*Monte Melone*) in Marchia Anconitana A. 1667. in monumento lateritio cadaver repertum, quod circa collum & prope pectus habuerit fruſtrorum ſuccini perforatorum magnitudine & figura ovi gallinacei tantam copiam, ut dimidium fere modium implerent. Quæ quidem cum cadavere ideo condita hic fuiſſe cenſet Cl. Fabrettus, ut illud depoſito rei tam pretioſæ honore efficeretur. *Obſervatione 12.* fungus typhoides coccineus tuberoſus Melitenſis deſcribitur, ejusque vis contra dyſenteriam, aut ubi alias adſtrictione opus eſt, laudatur. *Obſervat. 13.* de liquore balſamico in urna vitrea cum cineribus in inſula Malta A. 1680 reperto, qui jam aliquot ſecula duraverat, diſputatur. *Obſervat. 14.* de Manna medicinali agitur, quæ nihil aliud eſt quam lacryma Orni, deſcriptæ a C. Bauhino in Pinace ſub nomine Fraxini rotundiore folio; ejusque differentia modusque colligendi accurate ob oculos ponuntur. *Obſerv. 15* proprietates & uſus medicinalis Mannæ Calabræ recenſentur pariter, atque noxa Mannæ veteris, Julebusque Diatartar. P. Caſtelli non ſatis notus, propalatur. Porro autem *Obſervationes 16. 17. 18.* deſcribendis quibusdam animalibus peſtiferis, nempe araneis Corſicæ, Sardiniæ & tarantulis Apuliæ, eorumque antidotis impenduntur. In poſtrema ex his obſervatione doctiſſimus Auctor quoque lapidis, qui vulgo Pietra di Cobras dicitur, quemque pro artificiali aliquo corpore habet, virtutem experimentis confirmat, additis etiam aliis quibusdam contra venenum remediis. Idem argumentum perſequitur in *Obſervatione 19*, & poſtquam monuit, non omnibus promiſcue venenis eadem opponenda antidota, de Electuarii Orvietani compoſitione agit;

agit, rejiciens formulas passim prostantes, tanquam parum genuinas & deficientes, præsertim cum ipse aliquando animadverterit, a quodam circumforaneo reliquis plantis alexipharmacis Gratiolam & Asaram Baccaram, quæ purgatrices & emeticæ sunt, addita fuisse, ut irritetur scilicet natura, & venenum per superiorem aut inferiorem portam ejiciat. Quapropter duas affert formulas manuscriptas, quarum una a Dn. Aufrano Fransoni nobili Genuensi, altera a M. Aurelio Moretti Senensi consignata est; quibus subjungit electuarium Pauli III. Pontif. Max. pro veneno exhibito corrosivo ad tempus, & præservatione ejus. In *Observat. 20.* defendit illos, qui ex signatura plantarum vires earum conjici posse putant, & aliquot plantarum alexipharmacarum signaturas contemplatus, ex iis tum potionem tum electuarium sudoriferum, contra tarantularum venenum, docet componere. Subjicit, purgamenta algosa coralliorum cum muscis fucisque adhærentibus Trapano Tunetum convehi, ipsisque gypso commixtis cameras incrustari, in quibus deinde homines tuti vivant a scorpionibus. *Observatione 21.* effectus omnem fere fidem superantes enarrantur, qui orti ex terrore subito, quem Siculi *Scanto* vocare solent, quod scil. in exterritis a scorpionibus ac viperis, viperæ scorpiique geniti fuerint, & cum urina excreti. Cæterum, quod elapsis fere 30 diebus a cane rabioso admorsorum gula constringi solet a veneno, & impediri loquela, ut non loqui sed latrare videantur, hinc orta dicitur vulgi fabula, in stomacho læsi a cane natos esse ex illo terrore catulos, eosque adultiores factos in gulam adscendisse & latratum edere. *Observat. 22.* de obstructionibus contumacibus, quibus Siculi maxime infestantur, & volvulo periodico hinc oriundo ejusque cura agitur. *In Observ. 23.* aliquot habentur exempla morborum periodis regularibus quovis anno recurrentium. Radicem Norvvegicam Naput pro Imperatoria habet Auctor, & contra colicam pariter atque lumbricos infantum commendat, si dum hi lactantur, nutrices illam mane assumant. *Observatione 24.* extant jucundæ quædam narrationes, de solertia & curiosis actionibus brutorum, quæ vel sibi venam aperuerunt, vel vulneribus immisere turundas, aut herbis sibi vomitum provocarunt. *Observatione 25.* versatur Auctor noster in percensendis plantis nonnullis, quæ effectus quosdam singulares producunt. Ita v. g. Rhus myrtifolia

Monſpeliaca boves interficere dicitur, Fraxinellæ autem ſeu Dictamni albi B. P. flores, recens decerpti, ſi tangant alios v. g. roſarum aut violarum flores, proprium ipſis auferre odorem, & Fraxinellæ odorem affricare. Omnia quoque poma & fructus craſſis præditi corticibus, v. g. mala aurea, pepones, ſi acerbi colligantur, biduo matureſcere perhibentur, ſi cum illis mare trajiciatur, melones autem, ſi aqua marina ipſis affundatur. *Obſerv. 28.* ea referuntur, quæ ad effluvia prodigioſa plantarum & quorundam animalium pertinent, v. g. quod Anonis lactea non ſpinoſa muſcas abigat; quod cancri vivi emoriantur, ſi ſus infra carrum tranſeat, quo vehuntur; quod Gnaphalium minimum ſupinum Polygalæ argenteo folio carnem recentem a muſcis & vermibus defendat. Sequuntur *in Obſ. 27* varii alii rariores effectus a natura producti. Ad quos pertinet, quod homo febri laborans ita comparatum habuit ſanguinem, ut muſcæ aliaque inſecta illum ſugentes ſtatim extinguerentur, non ſecus ac a veneno aſſumto. In fine adjicit Auctor deſcriptionem paſtilli vulnerarii, quo æmulari voluit balſamum, quod Turcis contra vulnera in uſu eſt. De apibus in montibus Hyblæis earumque œconomia, nec non de præſtantia mellis Hyblæi exponitur in *Obſervat 28.* additurque modus ille nefarius, quo rapaces apes ab improbis hominibus reddi ſolent. *Obſervatio 29.* tota eſt in bituminis uſibus exponendis, præcipue picis Caſtrenſis, quæ ex fiſſura montis promanat. *Obſervationem 30.* deſcriptio Malacuborum ſeu partis cujusdam territorii Agrigentinenſis ſibi vindicat, quæ continua quaſi in fermentatione eſt, ita ut ejus ſuperficies modo aſſurgat in colliculos, modo ſubſidat, relicto ſingulis in colliculis foramine, ex quo aqua turbida cum cœno & odore ſulphureo erumpat, & baculus aut canna dextre immiſſa cum impetu in aerem remittatur, non ſecus ac ſi arcu fuiſſet excuſſa. His accedunt nonnulla de fontibus petrolei in ditione Ducis Mutinenſis, & voragine, quæ *la Salſa* dicitur, fumum & flammas cineresque fœtidos non raro evomente, nec non de oleo coloris albiſſimi nulliusque odoris prope Viterbium reperto in puteo, in quo per lapides transſudans confluxerat. *Obſervatione 31.* oleum juniperi per deſcenſum deſtillati convenire cum oleo ſuccini judicatur, ita ut unum alterius poſſit eſſe ſuccedaneum; his autem proxime accedere petroleum. *Obſervatione 32.* illa defenditur ſententia, quæ gloſſopetras aliaque hujus generis

petre-

petrefacta partes olim animalium fuisse asserit. *Observatione 33.* describitur fons prope Camberium alternis fluens & refluens. *Observatio 34.* comprehendit aliquot dialogos, quibus Germanus, Anglus & Melitensis secum invicem probata quædam contra varios morbos remedia communicant. His succedit programma, quo Nobilissimus Schrœckius Bocconem in Academiam Naturæ Curiosorum cooptavit. *Observatio 35.* circa plantas quasdam passim nascentes, sed immerito neglectas, versatur, cum tamen magnarum sint virium, ut Verbascum mas latifolium, Solanum hortense, Eryngium campestre. *Obs. 36.* modi referuntur, quibus Itali sua lacticinia, inprimis caseos, parare solent. *Observatio 37.* nihil aliud est quam Joh. Bapt. Hodiernæ tractatulus recusus, cujus titulus *Nuvola pendente* seu nubes pendula. *Observ. 38.* describitur lapis Geodes sulphureus Agrigentini territorii, qui cortici saxeo purissimum sulphur, tanquam nucleum, inclusum gerit, & sulphuris hujus usus declaratur. *Observatio 39.* habet Cl. Joh. Bapt. Triumfetti epistolam, qua aluminis rupei fodina haud procul Roma distans & præparatio describitur. *Observatione 40.* de natura & prima formatione coralliorum ita censet Cl. Auctor: aquas marinas gravidas esse salibus, terris, fibris plantarum, substantiisque oleosis & bituminosis, quæ varie combinata & præcipitata marina illa producta componant. In coralliis quidem primum formari capsulam illam tartaream seu crustam porosam & stellatam, quæ in superficie totius ramificationis corallii rubri, & albi legitimi Dioscoridis reperitur, cum mari extrahitur, antequam lævigetur & expoliatur; hanc esse moduli instar, & quasi spongiam ob particularum configurationem absorbere particulas corallinas, quæ lactis formam habeant, & saporem quasi piperis. Unde in ea est sententia, genuinam coralliorum tincturam lactis instar albam esse debere, & saporis aliquantum acris. Eadem quoque Observatione de aliis productionibus marinis, fucis, muscis, spongiis agit Cl. Auctor, negans pumices, quibus vulgo utimur, omnes lapides esse ex Vulcanis eructatos, cum in illis quoque maribus reperiantur maxima in copia, ubi nulli existunt montes ardentes, & quandoque in se fibras herbarum, conchylia, aliaque corpora ignem non ferentia recondant. In eodem fere aut affini argumento versatur *Observatio 41.* ubi de origine plantarum marinarum imperfectarum, nec non zoophytorum,

fungorum item terrestrium, & his similium disquiritur. Nimirum, Auctore judice, unctuositas quæ in mari aut terræ superficie reperitur, frequenter vel seminis vice fungitur, vel aliquid semini analogum inclusum habet, quod deinde ab æthere agitatum modo in plantam imperfectam, modo in zoophyton aliquod spongiis simile abeat, pro varia materiæ dispositione & motu eidem impresso. Cæterum illa zoophyta, quæ organa habent & vasa reliquis animalibus communia, ut stellæ marinæ, echini &c. perinde ac reliqua animalia perfectiora ex semine nasci affirmat. *Observatione 42.* de serpentaria Virginiana, quæ adhuc dum Italis ignota est, disputat Auctor, eamque detortis ex Anglico nomine *Snackroot* vocibus, *Snecrut* & *Snaqroel*, adpellat. *Observatione 43.* de Turcoidibus novæ, ut vocantur, rupis agitur, quæ in Comitatu est Armignacensi. Sunt autem nihil aliud quam fossile figuram dentium, ossium, &c. habens, quod igni reverberii expositum quasi vitrificatur, & cœruleum illum colorem acquirit. *Observatione 44.* describitur pistacium mas, arbor a Bauhino omissa, qua absente Siculi fœminam fructus parere non posse autumant. Unde flores maris collectos ex fœmina suspendunt, antequam illa suos aperiat flores, ut ab exsiccatorum pulvere a ventis hinc inde disperso, tanquam semine masculino, fœmina fœcundetur. Id quod hoc modo explicat Auctor: cum videamus quædam effluvia terræ esse plantis proficua, quædam nociva; concipi facile posse, particulas apicum in floribus maris pistacii sua oleositate humectare, irrigare atque adeo fœcundam reddere fœminam. Cumque Auctor olim asseruisset, Astroitem nihil esse aliud quam aggregatum multorum canaliculorum coralloidum, porosorum, in medio stellatorum, & in superficie striatorum, quorum cavitatibus se terra ingesserit & induruerit, meliora edoctus in *Observat. 45.* hanc assertionem ad certum aliquod horum lapidum genus restringit, cum alia etiam dentur ejus genera, quæ non sunt producta marina. *Ultima* tandem *Observatione* fungorum generationem Auctor contemplatur, quorum nonnullis semen cum suis involucris concedit, aliis semini quid analogum visciditati unctuosæ inclusum, ut similis fere illorum sit origo, quæ plantarum marinarum imperfectarum. In specie agit de petra, quam vocant, fungifera, quam deprehendit non esse lapidem, sed tube-

tuberis speciem, ex terra, ligno fracido, & fibris plantarum variarum compositam.

MUSEO DI PIANTE RARE &c.

h. e.

MUSEUM PLANTARUM RARIORUM SICILIÆ, Maltæ, Corsicæ, Italiæ, Pedemontii & Germaniæ, dedicatum nonnullis Patritiis Venetis, Protectoribus Botanicæ & bonarum literarum &c. a Dom. SYLVIO BOCCONE, Monacho sacri ordinis Cistertiensis in provincia Sicula.

Venetiis apud Jacob. Combi, 1697. in 4. plag. 16. cum 136. fig. ære expressis.

PLantas, quarum accuratas descriptiones & figuras exhibet Cl. Auctor, in duodecim digessit tabularum Decades, non continuo se subsequentes ordine, sed observationibus duodecim a se invicem distinctas. Ac principio quidem operis comparent literæ circulares ad omnes Botanophilos, in quibus Auctor serio illos hortatur, sedulam ut navent operam in exquirendis Plantarum viribus. *Observatione* autem *prima* de usu Thlaspi Leucoji folio, latifolio, semper virenti & semper florenti, agit, idque succedaneum Cochleariæ esse putat, plantamque antiscorbuticam, perinde ut Leucojum maritimum crucigerum Camerarii. *Observatione secunda* spongiam rosæ sylvestris, a Lobelio in adversariis Bedeguar dictam, laudat tanquam vegetabile alcalicum, quod contra morsum canis rabidi & viperarum, nec non alia venena, febres, dolores colicos, &c. multum valeat. *Observatione tertia* aliquot remedia antiphtisica recenset. *Observatione quarta* novam sonchi speciem, quam pyramidalem vocat, repræsentat, eique vim singularem contra viperarum morsum tribuit. *Observatione quinta* descriptionem Astroitis punctati nigri habet, & de ejusdem formatione conjecturas. In *Observatione sexta* de Clinopodio minori, odore Pulegii, prope Tybur nascente disputatur, qui odor, judice Auctore, ex conjunctione salium volatilium & sulphuris mineralis ex terra natali exspirantium cum particulis oleosis & sulphureis plantæ propriis, ortum suum habet. In *Observatione septima* aliæ

aliæ plantæ Romæ observatæ, quæ odorem Pulegii sibi adsciverant, recensentur. *Observatione octava* extat epistola Josephi de Aromatariis, edita olim cum disputatione de Rabie contagiosa Venetiis A. 1625, in qua plantarum ex ovulis productio plane ad mentem recentiorum concise describitur. *Observatione nona* de ossibus cum morbo tum arte mollificatis agitur, & ferculum non ingratum ex porcorum pedibus parandum offertur. *Observatione decima* exemplum recensetur viri, qui calculo renum laborans usu gummi cerasorum convaluit. Sequitur Zerilli Professoris Pisensis Meditatio de Vegetatione Plantarum mechanice explicanda. *Observationis undecimæ* vice fungitur Davidis Abercrombii *nova medicinæ tum practicæ tum speculativæ clavis* ante aliquot jam annos in lucem emissa. Accedit porro Andreæ Cæsalpini *appendix* ad libros suos de Plantis quinque constans capitibus. Denique *ultima Observatio* radicis Nuizi aut Gin Sem prodigiosas vires explicat.

HISTOIRE EVANGELIQUE &c.

h. e.

HISTORIA EVANGELICA CONFIRMATA PER JUdaicam & Romanam, Autore R. P. Dom. PAULO PEZRON.

Parisiis apud Joannem Boudot, 1696. 12.
Alph. 2. plag. 8.

ID in præsenti opere doctissimus aliisque scriptis per orbem celebratissimus Autor operam dedit, ut ex quatuor Evangelistarum historia congesta omnia, quæ ad vitam, dicta & gesta Salvatoris nostri pertinent, secundum ordinem temporum apte disponeret, luculenta & suavi oratione explicaret, aliorumque Scriptorum monumentis explicaret. Quamvis autem temporum rationem adeo habeat exactam, ut non contentus a nativite Christi salutari, quam ad annum Urbis conditæ 749 refert, usque ad sacrosanctam ejus διὰ τῶν παθημάτων τελείωσιν, omnia ad annum quo gesta ea esse videntur retulisse; ad anni tempestatem ipsamque, si fieri possit, diem quam proxime accedere nitatur: a perplexis tamen Chronologorum quæstionibus contentiose tractandis opera data abstinuisse videtur, ne simplicioriciori-

cioribus in scripto hoc pervolvendo impedimento essent. Attamen ita superstitiose earum non evitavit tractationem, ut ubi res posceret, ad eas concinne & luculente discutiendas quandoque digressus non fuerit. Sic enim, ut exempli loci quædam adducamus, vexatissimam controversiam, de eo qui Syriam Præsidis nomine, sub optimi Salvatoris in hunc mundum adventum obtinuit, non proletarie expendit. Quirinium vel Cyrinum Lucas Evangelista, Saturninum Tertullianus & Josephus, Varum nummi qui hodie circumferuntur antiqui eum appellavere. Istum itaque, qui omnes eruditos exercuit, difficillimum nodum ita solvendum esse doctissimus Pezronus putat, ut dicamus, Sentium Saturninum Syriæ inferioris, vicinarumque provinciarum Phœniciæ & Palæstinæ fuisse Præsidem, Quintilium Varum autem, cum legionibus suis ad Rheni littora postea cæsum, Syriæ superiori, quæ versus Euphratem & Armeniam porrigitur, præfuisse. Nata est ista Cl. Viro conjectura exinde, quod Beryti sedem suam habuisse Saturninum ex Josepho constet, ubi nuper admodum coloniam Romani constituerant; unde Augustus in litteris ad Herodem apud Josephum Ant. XVI, 16. Berytum urbem vocet ἐν ᾗ κατοικοῦσι Ῥωμαῖοι. Quem locum frustra torsisse doctus quosdam homines ait, qui de Beryto ab Augusto dici fuerunt mirati, quod Antiochiæ in istis regionibus putarunt proprium, ubi superioris Syriæ Præsides, atque illis adeo temporibus Varus, considebant. Agrippa enim suesore, ad coercendam Syriam inferiorem, Berytum munitam, coloniamque eo anno U. C. 740. deductam ab Augusto fuisse, ex Eusebii Chronico, duas vero legiones ibi præsidia obiisse ex Strabonis L. 16 Geogr. colligit, ut adeo unica tantum legio Antiochiæ præsidia egisse videatur, cum plures tribus in Syria legiones sub Augusti imperio non fuerint. Quid mirum itaque, inquit Noster, Saturninum ibi, quod expresse testatur Josephus, sedes habuisse, eique censum faciendi munus datum fuisse in regionibus ad provinciam ejus spectantibus? At ei instituendo cum solus non posset sufficere, Quirinium vel Cyrinum in isto negotio ipsi datum fuisse collegam & adjutorem existimat. Ita enim in more positum apud Romanos fuisse, ut censui instituendo complures illustres Viros præficerent. Germanicum namque ad eum agendum P. Vitellium & C. Antium sibi adscivisse. Neronem eandem curam in Galliis Q. Volusio & p. 64.

Sextio Africano, Trebellloque Maximo commisisse; Taciti utrumque testimonio. In Syria vero Saturnino quem meliori jure junxisset Augustus quam Quirinium, recens debellatis Homonadibus illustrem? Cujus nomen in census commemoratione merito Lucam extare voluisse Pezronus ait, quod ipse eum, delegata licet potestate, in Judæa egisset. Saturnini vero nomen, utpote ordinarium in Syria Magistratum obtinendis, in talibus censualibus Romæ comparuisse, a Tertulliano inde descriptum. Verum satis de istis; aliæ enim oppido multæ hujus generis occurrunt observationes, quæ animum nostrum ad se quasi rapiunt atque avertunt. Jamque in eo eramus, ut
p. 239. quæ de Tetrarchia Lysaniæ, de restauratione & dedicatione Cæsareæ
p. 374. Philippi aliisque erudite annotavit, referremus. Sed potiore jure postulant operam nostram, quæ occasione itineris ab Herode Antipa, Galilææ tetrarcha, Romam suscepto edisserere illi placuit; cujus exiguam adeo rationem habuisse alios viros doctos, tanto magis mirandum, quod firmissimum illud argumentum sibi suppeditare credat Cl. Autor, ad inveniendum annum prædicationis Joannis Baptistæ, Propheticique Christi muneris initia, imo & ad antiquissimam Patrum traditionem, qui Christum duobus Geminis Consulibus vitam in cruce posuisse affirmaverunt, stabiliendam. Istud itaque ab Herode iter sub initium administrationis Pilati in Judæa susceptum fuisse, ex Josepho Ant. XIIX. 3. probat. Pilatum vero primis anni 26. post Christum natum, secundum æram vulgarem, mensibus, in Judæam venisse constare ait, ut adeo Herodem ante æstatem illius anni Romæ quæ voluerat oporteat perfecisse; paulo post enim Urbe Tiberium excessisse nunquam deinceps rediturum. Sed luculente magis & hanc itineris Herodiani epocham evinci ex dedicatione urbis Tiberiados, quam anno sequenti 27 factam esse invictis argumentis constare putat; ante iter enim illud dedicatam eam haud fuisse dici non potest, cum alius itineris scopus non fuerit quam exorare Tiberium, ut urbem illam sibi dedicari pateretur. Cum autem post reditum suum statim in torum fratris uxorem Herodiadem adsciverit Antipas, quod facturum se illi promiserat, cum Romam proficisceretur, Josepho autore, istud scandalum tanquam recentissimum severe perstrinxisse Joannem existimat, indeque consequi putat, anno æræ Christianæ vulgaris 26 & Joannem munus suum obiisse, & Christum

stum docere coepisse: quem cum triennium in Prophetico officio exegisse constet, in Geminorum Consulatum, quem anno æræ vulgaris Christianæ 29 gesserunt, incidere τὸ σωτήριον πάθος necesse est. Verum id argumentum ut vastum aliarum eruditissimarum observationum, in Opere isto passim disjectarum, numerum nunc omittamus, in peculari dissertatione huic operi subjuncta, Cl. Autor tractavit. Eam orditur a testimoniis Patrum, qui diserte Christum sub Consulatum Geminorum mortem salvificam obiisse docent, Clementis inquam Alexandrini, Tertulliani, Lactantii, Sulpitii Severi, Augustini, Orosii, autoris qui Catalogum Pontificum Romanorum sub Liberio Papa concinnavit, Idatii, Prosperi, & Victoris Aquitani. Commodissimam postea hanc sententiam esse ostendit, utpote juxta quam baptismus Christi in trigesimum, mors in trigesimum tertium ætatis ejus annum incidat, quorum illud traditione Scripturæ, hoc universali fere Ecclesiæ testimonio nitatur. Inde vero argumentis eam confirmare nititur, quorum primum a baptismo Christi, quem tricenarium eum suscepisse, Lucæ & Patrum autoritate demonstrat; alterum ab itinere Herodis Antipæ modo a nobis commemorato desumtum est. Tertium suppediat Joannes Evangelista cap. 2. comm. 20, ubi 46 annorum meminit in exstructionem templi impensorum. Per templum enim illud intelligi id, quod Herodes restauravit, Autor existimat, cum de Zorobabelico probari non possit, tantum temporis in eo exstruendo consumtum fuisse. Decimo octavo regni sui anno id ædificare coepisse Herodem, qui fuerit 20 antea æram Christianam, ex Josepho Ant. XV, 14 probat. Viginti igitur illis annis jungi jubet 26 annos Christi; mense Aprilli enim anni Christi 27 verba illa apud Ioannem a Judæis prolata esse: qua ratione exsurgent 46 anni a Judæis commemorati. Quartum argumentum loco Orosii innititur, qui apotheosi Christi, quam Imperator Tiberius, post acceptum de resurrectione ejus a Pilato nuntium, moliebatur, Sejanum imprimis obstitisse testatur. At interfectus fuit Sejanus anno æræ vulgaris 31; ante illum itaque annum Christum mortuum esse & resurrexisse oportebit Quintum argumentum antiquæ traditioni, cujus mentio apud Eusebium H. E. V, 18 aliosque extat, superstruit. Dedit nimirum, secundum eam, ante adscensionem suam in mandatis Christus Apostolis, ut ne Judæa exce-

cederent ad annunciandum gentibus Evangelium, nisi post duodecim annorum exactum spatium: at ante annum C. 44 ad gentes abiisse Apostolos, luculente probari posse. Sextum Argumentum ex historia Agbari apud Eusebium H. E. I, 13 petitur, quam ad annum 340 æræ Edessenæ pertinere Eusebius dicit, qui annus coincidat cum anno æræ Christi vulgaris 29; at statim post resurrectionem Christi gestum esse, quod ibi refertur, ipse Eusebius memorat. Septima denique ratio desumta est a traditione Judaica, quæ constantissime docet, annis XI. ante excidium templi, Synedrium Hierosolymis Jamniam migrasse. Causam illius migrationis injustam sententiam, contra Christum latam fuisse, ex Galatino L. IV. c. 6. probat. Sibique probabile videri ait, Tiberii jussu, persecutoribus Christianorum, Tertulliano teste, maxime infesti, Jamniam, quæRomana erat colonia, esse translatum, cum audivisset, quanta severitate contra Stephanum & alios ab illo desævitum fuerit. Hucque respicere Paraphrasten Chaldæum, apud quem in Psalmorum Paraphrasi queratur Synedrium, a Rege improbo migrare se jussum esse. Cum vero Stephanus anno 30 æræ vulgaris, quod alibi se probaturum pollicetur, testimonium de Jesu sanguine suo obsignaverit, Hierosolymorumque excidium annum 70 insignem reddiderit, rursus exinde confici, quod probandum suscepit, existimat. Tot argumentis itaque stabilitæ sententiæ nihil opponi posse putat, quam Eclipsin a Phlegonte annotatam, quæ in annum Christi 33 incidit, & quam eandem cum illa, quæ tempore mortis Christi contigit, esse statuunt. Verum respondet Pezronus, Julium Africanum & Eusebium Cæsariensem, qui de Eclipsi illa nos ex Phlegonte edocuere, eam ad constituendam Epocham mortis Christi neutiquam adhibere potuisse, cum alter eorum duobus annis recentiorem eam faciat quam alter, neuter vero ad annum Christi 33 eam referat. Imo illam Eclipsin solam forsan Bithyniam, quod innuere Phlegon videtur, terruisse, causamque terræ motum, quo illa tum quatiebatur, habuisse. Verum alia objectio exinde desumi potest, quod Luna 14 anni 39 non possit incidere in diem Jovis sive in feriam quintam: at huic cum in peculiari dissertatione de Paschate, præcipue vero eo quod antequam crucis supplicium subiret, Christus celebravit, huic operi itidem subjuncta, satisfecerit, ad illam hac usi opportunitate

tate progredimur, præsertim cum de priori, in qua hactenus versamur, dissertatione nihil amplius restet monendum, nisi quod tria tantum paschata Christum, post susceptum munus propheticum, celebrasse, adductis Patrum locis sub finem ejus probatum dederit.

In dissertatione itaque illa de Paschate id præcipue operam dat, ut & Evangelistas sibi invicem, & viros doctissimos Lamium & Tillemontium, qui magna eruditione summaque modestia campum istum nuper ingressi sunt, inter se conciliet. Quod ut fiat, id primum demonstrare aggreditur, duas dies se invicem immediate sequentes Judæos celebrasse, quarum utramque tanquam diem decimam quartam primi mensis consideraverint. Ut vero hoc obtineat, ante omnia sibi demonstrandum esse censet, Hebræos veteres in constituendis mensibus suis lunaribus, tam ad conjunctionem quam ad phasin Lunæ respexisse. Cumque Luna adeo duo haberet initia, duas quoque decimas quartas necessario eam habuisse, quibus pascha ex præscripto legis rite celebratum fuerit. His suppositis feria quinta, quam diem Jovis vulgo appellamus, Christum comedisse agnum paschalem statuit, quæ dies erat decima quarta post conjunctionem, sive a nova Luna. At eundem feria sexta Principes Sacerdotum quoque, Joanne innuente, manducasse, quod illa esset dies decima quarta a phasi. Duo itaque novilunia Judæos habuisse defendit, quod tanto minus mirum videri debet, quod Græci quoque & inter eos cultissimi Athenienses, eundem morem secuti fuerint.

Cardo rei in hoc ipso versari videtur: ut ostendatur igitur, duo hujusmodi novilunia Judæos habuisse, primo allegat Judæorum recentiorum morem, traditum a Buxtorfio in Synag. Jud. c. 22. idemque Scaligeri quoque & Petavii testimoniis confirmat, qui diserte tradunt, Judæis veteribus idem observatum fuisse. Sed firma magis argumenta ex antiquioribus mox depromit monumentis. Primum ei suppeditat Josephus, qui Bell. Jud. VI, 4 ait Israelitas decima quarta Xanthici mensis Ægypto esse egressos, in Antiquitatibus vero L. II, c. 6. mense Xanthico πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ Σελήνην id factum esse docet: non aliam, si Noster audiendus est, ob causam, quam quod dies post phasin quartus decimus, quintus decimus esset, si a conjunctione Lunæ numerare incipias.

Eodem respicere Josephum censet, cum alibi neomeniæ κατὰ Σελήνην mentionem facit, quam hac ratione a neomenia κατὰ φάσιν distinguere velit, Thucydidem hac ex parte imitatus, qui l. 2 p. 119. Solem deficere νεμηνία κατὰ σελήνην ait. Verum non ex Josepho tantum, sed ex sacra quoque historia, gemina Judæorum novilunia defendit. Cum enim 1. Regum capite XXI. David dicit חדש מחר הנה neomeniam eum intelligere censet; quemadmodum & Græca versio hoc innuit. Usque ad tertiam diem eum delitescere voluisse ait, quod biduum esset festum, uti & ex insequentibus historiæ circumstantiis patet, & id quidem ob geminam neomeniam, unde & החדש השני in Hebraico textu diserte nominetur. Hac ratione dispelli simul interpretum putat tenebras, qui biduam hanc solennitatem concoquere haud potuere, quam tamen hodienum etiam observent Judæi. Disertis enim verbis testari Mardochæum Japhe in lib. *Lebus*, neutram neomeniarum mensis Tisri esse diem profestum, sed primum esse sanctum ex lege, quia in eo fuit novilunium, secundum ex sententia domus judicii, ut taceamus quæ ex c. 22. Synagogæ Buxtorfianæ denuo affert. Quæ ex libri Judith c. VIII, 6. ubi προνεμηνιῶν καὶ νεμηνιῶν mentio, item ex Proverb. VII, 10-25 pro gemina hac neomenia prolixe urget, argumenta præterire nunc liceat. Eandem stabilitam quoque in Horatii Satyra IX Libri I invenit; per *tricesima Sabbata* enim apud eum nil aliud quam neomeniam primam, quam conjunctio Lunæ die trigesima mensis præcedentis efficit, & de qua præcipua controversia est, cum de altera, quæ in primam mensis incidit, nemo dubitet, intelligendam esse contendit. Non vacat jam referre, qua ratione deinceps ex Plutarcho, Aristophane & Suida probet, Græcis, maximeque Atheniensibus geminam hujusmodi neomeniam observatam etiam esse; at quæ post illa, ut argumentum fortius stringat, addit, non prætereunda ducimus. Cum Deus, inquit, præciperet, quarta decima mensis die pascha celebrari, quomodo id quæso accepisse Hebræos existimabimus? Mensis sane, quem Lunæ cursu metiebantur, renovabatur cum isto planeta, & ab illa renovatione חדש in lingua Hebraica appellabatur. Cur igitur eodem jure decimam quartam mensis diem in hac lege præfinitam, a renovatione Lunæ, quæ fit in conjunctione ejus, quam a phasi ejus, quæ die post

con-

contingit, non computarent? Cum itaque dubia esset lex, aliter conscientiæ vacillanti consulere non poterant, quam ut utramque diem h. e. & eam quæ a conjunctione, & illam quæ a phasi ejus decima quarta esset, hoc est, decimam quartam & decimam quintam mensis solemnem esse juberent. Hincque etiam esse docet, quod non recentiores tantum Judæi, teste Buxtorfio Synag. c.19, sed antiquiores etiam, autore Josepho Ant. II, 5, octo dies azymorum observent, cum septem tantum observari lex postulet. Imo ipsos quoque Caraitas a Rabbanistis in ista duarum neomeniarum observatione non dissentire, passim inculcat.

Et hæc quidem in priori Dissertationis de Paschate parte discutiuntur; in secunda porro probare conatur, Judæos jam ante Christi adventum Cyclos suos habuisse, quibus in festis mensibusque suis constituendis uterentur, nec phases solummodo in isto negotio, quod recentiorum quorundam commentum credit, esse secutos. Eam in rem primo Epiphanii autoritatem affert, qui Hæresi LI num. 26 diserte id affirmavit. Cum vero illam in dubium vocent qui aliter sentiunt, Prosperi Aquitanici ei jungit testimonium, cui exacte convenit cum Cyclo ab Illustrissimo Cardinali Norisio olim edito, quem Judaicum Cyclum proinde esse, multis argumentis defendit. Jamque ubi ista confirmasset, viam stratam sibi esse existimat, qua incedens satisfaciat iis, qui Christum anno 29 æræ vulgaris passum non esse ideo existimant, quod eo anno Luna paschalis, sive mensis Nisan, renovata non fuerit ante secundum diem Aprilis, horamque ejus vespertinam octavam: decimaque quarta adeo Luna non nisi in decimum sextum diem Aprilis incidere potuerit, qui eo anno erat feria septima sive dies Sabbati: unde sequeretur Christum, si eo anno mortuus esset, secundum legem Pascha non celebrasse, quod tamen Evangelistæ eum fecisse testantur. Hujus itaque objectionis maximum omnino fore pondus Noster fatetur, si Judæi menses suos secundum apparitiones Lunæ accuratasque observationes Astronomicas instituissent. Verum id factum ab iis negat, sed Cyclis eos usos ad hoc negotium esse, ex præcedentibus constare ait: eum ipsum autem, cujus ex Epiphanio & aliis hactenus meminit, cyclum adeo laborasse vitio, ex ipsis illis, qui ejus meminere, autoribus observat, ut duobus diebus veras observationes quandoque anteverteret. Nemini vero in

ro incredibile videri debere docet , Judæos, quod iſtis admiſſis ſtatuendum eſt, Paſcha quandoque ante Lunam XIV, quæ revera talis eſſet, comediſſe, cum phaſin quoque Lunæ in computatione ſequentibus contingere potuerit, ut decima ſexta vel decima ſeptima Luna hoc feſtum celebrarent. Legi enim ſatisfieri, ſi Luna XIV civili & populari exiſtimatione per cyclum pro tali declarata, feſtum inſtituatur; quod adeo verum eſſe putat, ut propterea Philo de Vita Moſis l. 3. diſerte dicat, περὶ τετταρεσκαιδεκάτην ἡμέραν a Judæis hoc feſtum, non præciſe XIV celebrari. Atque eo quod ita fieret anno paſſionis Dominicæ, μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων veniſſe ait, qui Chriſtum ad ſupplicium erant rapturi, quibus Lunæ orbe impleto opus non habuiſſent. Iſtamque anticipationem tanto magis probabilem reddit, quod Chriſtianos quoque cycli vitio in obſervando paſchate eam commiſiſſe conſtet. Iſtis autem obſervationibus obſtare notat traditionem a Maimonide in חדוש החדש conſervatam, qui ſub cujusvis menſis initium Synedrium fide dignis hominibus id negotium dediſſe ait, ut phaſin Lunæ obſervarent, quorum obſervationi feſtorum ratio deinde fuerit ſuperſtructa. Verum abrogat fidem huic traditioni Pezronus, ſi ad tempora excidio urbis antiquiora extendatur, illis enim cyclorum habitam rationem fuiſſe contendit; poſt illa vero tempora, & quidem præcipue poſt collectionem Miſnæ, rem ita, ut Maimonides ceterique Judæorum Magiſtri volunt, geſtam eſſe non negat. At ſatis pro inſtituto noſtro de iſtis. Id adhuc addendum, conſtare ex hactenus diſputatis, ut duas neomenias, ita duas decimas quartas quoque fuiſſe, quarum priori qui comedebant paſcha, alteram tamen etiam, ſecundum Pezronum, tanquam ſolennem obſervant, quæ ipſis erat prima azymorum. Indeque eſt, quod ſub veſperam feriæ quintæ Chriſto Judam hortante, ut citius faceret, quod facere vellet, ita id acceperint reliqui diſcipulorum, ac ſi admoneret eum de rebus, quibus in feſto inſequentis diei opus eſſent habituri, comparandis. Imo & Sabbatum feſtum fuit, ut ex Joannis Evangelio patet, quoniam iſtud prima azymorum erat iis, qui feria ſexta paſcha, computatione a phaſi Lunæ inſtituta, adeoque altera decima quarta comederant.

JOH.

JOH. SCHILTERI INSTITUTIONUM JURIS Publici Romano-Germanici Tomi Duo.

Argentorati, sumtibus Joh. Reinh. Dulsseckeri, 1696. in 8. Alph. 3. plag. 3.

IN primo doctissimi operis tomo, Jus Publicum Romano Germanicum justo studio succincte celeberrimus Auctor exponit. Utitur autem methodo Sacratissimi Imperatoris Justiniani, in quo imitando eundem non tantum secutum esse Perillustrem Dn. Rhetium, sed & hujus tractatum prae oculis semper habuisse, ex collatione apparet. In *libro primo*, post explicatam doctrinae, quam tradendam sibi sumserat, indolem, de origine Juris Publici satagit. Hinc famosioribus legum publicarum speciebus breviter indicatis, usum Juris Romani aliorumque jurium extraneorum *subsidiarium* asserit; in controversiis vero successionum similibusque, Status Imperii praecipue juri proprio provinciali, sed antiquo saltem, v. gr. Saxonico & Alemanico, subesse docet *l. 1. tit. 2. § 17.* Postea de fine Reipublicae Germanicae, a plerisque Scriptoribus neglecto, sed beneficio methodi analyticae a se observato, sollicitus Noster, ostendit, quod praeter communem illum, *beatitudinem* scilicet & *virtutem civilem*, proprium quoque habeat Germania, & quidem ratione regni (Germanici) *libertatem*, ratione Imperii (Romani) *Italiae, imo totius Christianitatis per Occidentem conservationem*, *ductu Imperatoris Germanici obtinendam.* Inde refellit eos, qui Imperium Romanum ad Germanos translatum negant, quibus ipsum etiam Conringium, ideo quod *Imperium Germanicum laciniam veteris Imperii Romani esse* negaverat, accenset *p. 54.* His expositis, juxta leges methodi Justinianeae, primo *jus personarum* tradit, adeoque hominibus in liberos & servos distinctis, de varia devictorum conditione differit. Speciatim vero ingenuos & nobiles, plebejos & homines proprios recenset; ubi quidem ex antiquo documento probat, quod aliquando etiam Nobiles fuerint homines proprii & jure Smurdorum aliis obstricti; quod jus Smurdorum re & nomine hodie ignotum esse fatetur, nisi Smurdos in gente Slavorum & Soraborum sub Svordis & Svardonibus forte quaerere

velis. Inde ad jus potestatis digreditur, quod duplex esse tradit, *familiæ* & *imperii*. Sub illo comprehendit patriam potestatem personarum illustrium, nuptias, adoptiones & emancipationes (in quibus actibus eas a necessitate leges civiles observandi immunes pronunciat *p. 115.*) tutelas, jus capitis familiæ, quod *Senioratus* nomine venire solet; sub hoc jura Reipublicæ complectitur. Hinc speciatim de Imperatore ejusque titulis ac insignibus, de modo perveniendi ad Imperium, de potestate Imperatoria, de Augusta, Rege Romanorum, Vicariis, Statibus Imperii, Electoribus, Principibus ecclesiasticis & secularibus, Comitibus, Baronibus & Nobilitate immediata, nec non Civitatibus Imperialibus; deinde de jure superioritatis, protectionis, ac tandem de Statibus provincialibus satagit; quæ quidem dissertationes juxta consueta fere scriptorum Juris Publici capita decurrunt. Imperium tamen nostrum, trecentis ante Fridericum I. annis, *sacrum* fuisse dictum, ex Mabillonio observat Noster *p. 127.* secus quam Bœclero & Conringio visum erat, initium illius elogii ad laudati Friderici tempora referentibus. Non minus docte explicat vocem *Semperfreye*: nimirum eam non esse hybridam, sed pure Germanicam, pleniusque *Sendbarfrey* sonare, ac eo nomine hominem synodalem, qui jus suffragii in synodis & curiis Imperialibus habeat, significari ostendit *p. 229.* Denique discrimen Civitatum Imperialium, quo aliæ Reichs-Städte, aliæ freye Reichs-Städte dicuntur, ex antiquitate eleganter repetit, vocem *imperialis*, immedietatem, *liberæ*, immunitatem a muneribus Cameræ notare docens *p. 233.*

In *libro secundo jus rerum* aggressurus, de varia Germaniæ, inprimis per Circulos, divisione, territoriorumque singularium habitu quædam præmittit. Deinde quale dominium vel toti Imperio, vel singulis Statibus tribui debeat, & quibus modis idem acquiratur, ostendit, injecta, juxta jussum methodi Justinianeæ, rerum corporalium & incorporalium mentione, licet alias per universam Jurisprudentiam de rebus incorporalibus seu juribus agatur. Inde ad servitutes reales Juris Publici, quas vocat, pergit, easque dicit esse vel prædiorum rusticorum, qualis sit v. gr. transitus militaris, vel urbanorum, ut jus altius tollendi fortalitium, vel in alieno solo id constituendi &c. Qua occasione negat, Principi in alieno territorio agenti, jurisdictionem in domesticos suos competere, & a Legato ad Principem

non

non posse argumentum duci contendit *p. 282.* His usumfructum Juris Publici addit, ac quomodo reliqui Institutionum Justinianearum tituli, de usucapionibus puta, donationibus, personis alienantibus & acquirentibus, ad Jus Publicum applicari vel trahi queant, amplius ostendit; inter alia ratus, patribus illustribus per liberos non acquiri, cum regula Juris Romani, Jure Publico non sit recepta *p. 294.* Post hæc a Triboniano ad materiam testamentorum ductus Noster, in his Principes & Status Imperii legibus Romanis non subesse admonet *p. 297. 302:* legitimam tamen liberis deberi putat, cum sit juris naturalis *p. 303:* quemadmodum Legem Falcidiam & SCtum Trebellianum, in testamentis Principum, etiam locum habere existimat, cum non sint de apicibus & solennitatibus juris Quiritum, sed leges publicæ, ob favorem heredum introductæ, & regulariter una cum jure civili receptæ *p. 308.* Paulo aliter in loco parallelo, scilicet *l. 2. tit. 42. §. 4. 5.* pronunciaverat Illustris Rhetius, nempe leges illas cessare, si Principes sine solennibus testentur; locum vero habere, si vel ex adhibitione solennium, vel aliis circumstantiis appareat, eos se legibus civilibus subjicere voluisse.

In *libro tertio* Noster successionem ab intestato, juxta diversitatem territoriorum feudalium & allodialium, nec non successionem conventionalem ex pactis oriundam declarat, etiam bonorum possessionis aliquem usum heic esse existimans. Deinde, quomodo juxta seriem titulorum Institutionalium, de obligationibus, contractibus realibus, consensualibus, quasi contractibus, personis obligationem acquirentibus, ficilimenta quædam ex jure publico, vel saltem legibus Germanicis privatis colligi queant, ulterius ostendit.

In *libro quarto* media jus vel personarum vel rerum persequendi traditurus, Comitia Imperii tam generalia quam specialia, deinde conventus provinciales sistit. Ab his ad Judicia Imperii, Aulicum, Camerale, Archivum Imperii & Statuum, judicium Austregarum, privilegium electionis fori, judicium Magdeburgicum, Rohtvvilense & Westphalicum ac judicia provincialia digreditur. Uti autem Processum Cameralem, causis privatis & publicis communem, ad Juris Publici Prudentiam proprie non pertinere existimat *p. 364.* secus ac non nemini fuerat visum: ita quomodo per bellum

jus in Germania persequi liceat, peculiariter exponit. In qua tractatione memorabile est discrimen des täglichen Kriegs & des Zugs. Illa locutione in Recessibus Imperii notatur exercitus quotidianus & stipendiarius, qualis hodie in usu esse solet: hac vero subditi, vi sequelæ, der Heers-Folge, ob incidentem necessitatem, ad arma vocati & coacti intelliguntur, quæ militandi ratio olim inprimis obtinuit. Quæ omnia prolixiori de *forma Imperii Germanici* disquisitione Noster velut obsignat, cujus summa fere eo redit: in Regno Germanico non tam esse Rempublicam mixtam, quam potius Monarchiam ad consensum Procerum, quoad imperii civilis exercitium, restrictam: cum enim talis tempore Francorum fuerit, nec mutatio a parte Statuum probari queat, merito pro antiqua forma esse præsumendum, excepto tamen solo Collegio Electorali, quod in imperii communionem venisse fortassis dicendum sit *p. 436.* Ita pronunciat ratione Germaniæ in se spectatæ: si vero hæc ad exteros exemtos & non subditos referatur, tum eam peculiari sensu *Monarchiam*, i. e. complexum aliquem regnorum & rerumpublicarum liberarum, certo tamen modo ab uno, ut superiore dependentium, aut magis specialiter, ultimam ex quatuor Monarchiis Danieli repræsentatis esse existimat. Hinc uti Occidentalia Regna & Respublicas plerasque omnes, dependere ab Imperio Romano-Francorum & Germanorum, obligarique ad illud comiter conservandum, (sic enim verba habent) amplius censet *p. 445:* ita speciatim de Republica Veneta, Genuensi & Helvetica id dicendum esse arbitratur.

In altero tomo exhibet Consultissimus Autor leges fundamentales Imperii, Acta publica, Responsa & Consilia quædam, vix dum edita, interque illa in specie Auream Bullam, Latine & Germanice conscriptam, notisque nonnullis illustratam. Quæ omnia ad res Germaniæ illustrandas apprime facere, apud peritos cordatosque in confesso est.

MANUDUCTIO AD JUS CANONICUM AUTORE ANTONIO MATTHÆO, in Academia Lugduno-Batava Juris Antecessore.

Lugdu-

Lugduni Batavor. apud Fridericum Haaring, 1696. in 8.
Alph. 1. plag. 9.

Licet a Sacris Pontificiis alienus sit Consultissimus Autor, manuductionem tamen ad Jus Canonicum & Pontificium concinnare non dubitavit, probe gnarus, quam utile sit, adversariorum dogmata penitius calluisse. Distinxit eam in tres libros, in quorum primo de *personis*, in secundo de *omnis generis rebus*, spiritualibus, ecclesiasticis & temporalibus, in tertio de *actionibus & processu* agit, secutus, ut videtur, Franciscum de Roye, aut ipsum, si mavis, Lancellotum, qui primus methodum, a compilatoribus Institutionum Justinianearum mutuo sumtam, Juri Canonico applicavit, eandem cum illis nominis celebritatem isto instituto promeriturus, modo Pontifex ejus desiderio annuisset. Eruditæ autem collectionis laudem Nostrum hoc labore mereri, huncque ad notitiam Juris Canonici comparandam esse utilissimum, cum dubio careat, pauca quædam inter legendum forte notata hinc illinc decerpere, nobis pro instituti ratione suffecerit. *P. 3.* contendit, Decretum Gratiani esse opus hominis privati, nec jussu Papæ conscriptum, nec ab eo etiam confirmatum. *P. 220.* ostendit quod pecunia, quam pro epulis, ab inaugurato seu ordinato clerico olim dandis, exigebant, dicta fuerit *pastellus*. *P. 106.* explicat rationem, quare monachatum professi, nomen mutaverint; quia scilicet cucullo eandem vim, quam baptismo tribuebant. *P. 108.* ex Concilio Laodicensi monet, quod Christiani, ad nuptias venientes, *ballare* i. e. saltare non debuerint. *P. 121. 252.* perstringit flagitium Sacrificulorum Romanensium, quo jam mortuis testamenta faciebant, quale crimen etiam Clodio objecit Cicero, *P. 150.* meminit veli, quo caput operire debebant fœminæ ad S. Cœnam accessuræ, quod *Dominicale* vocabant. *P. 178.* jus asyli, quod Ecclesiis in Papatu tribuitur, *Salvitatem* quandoque dici docet. *P. 199.* exagitat imperitiam clericorum, in specie Meinvverci Paderbornensis Episcopi, qui ab Henrico II. jussus pro requie animarum patris sui ac matris missam celebrare, arrepto codice vitiose scripto, pro *famulis & famulabus*, legit *mulis & mulabus*. *P. 204.* ostendit, quid sint panes *civiles*, *gradiles* vel *populares*, nimirum hominibus plebejis ad victum

ab altis gradibus dispensi. *P. 219.* clericos a sportulis, quas accipiebant, *fratres sportulantes* fuisse dictos monet, *P. 256.* notat deprædationes, quas *levas* a levare vocabant, quibusque plebs mortui clerici mobilia diripiebat *P. 273.* docet, quod olim clerici etiam in controversiis secularibus pronunciaverint, condemnatumque sententiæ non statim parentem excommunicationis fulmine percusserint; cujus etiam is fuerit effectus, ut excommunicatus ne quidem ad nuptias admitteretur *P. 280.* miram Episcopi Belvacensis versutiam observat, qui, ne contra canones, sanguinem humanum funderet, in præliis clava, non gladio usus est. *P. 320.* monstrat, quid sit *jurare manu tertia, quarta*, aut *sexta* & sic deinceps; nimirum innocentiam, adhibitis tot compurgatoribus, sacramento probare. *P. 322.* docet, *cruce* aut *ad crucem contendere* esse, conceptis ad crucem verbis jurare, non, armis in crucis formam fabricatis pugnare, licet phrasis sit ambigua. *P. 335.* recenset, quam leviter homicidium a multis gentibus fuerit punitum. *P. 391.* innuit, *jussionem*, *judicium trabale* i.e. firmum ratumque nullique amplius provocationi obnoxium. *P. 377.* adducit antiquas legum Germanicarum voces *sonniorum* seu *essoniorum* i. e. impedimentorum legalium, a necessitate comparendi in judicio excusantium; hinc *essoniare* vel *exoniare* erat, allegare impedimentum: qui vero citra ullam causam, deserto vadimonio, contumax erat, *jactivus* seu *jectivus* dicebatur.

THE TRUE NATURE OF IMPOSTURE &c.
h. e.
VERA FRAUDIS INDOLES, IN VITA MAHOMEdis demonstrata ab HUMPHRIDO PRIDEAUX.

Londini apud Wilh. Rogerium, 1697. 8.
plag. 14.

FRagmentum hic tenemus Operis multo amplioris, quod de controversiis & exitio Ecclesiarum Orientalium Cl. Prideaux ab annis aliquam multis molitus fuit. Ecclesiæ enim & Imperii Orientalis tristissima fata dissidiis, quæ Religio peperit, vel unice vel potissimum deberi, persuasus; Anglis suis, novaturientium quorumdam

dam ingeniorum culpa simili ratione in varias opiniones distractis, pacem & unionem ecclesiasticam fortius suaderi haud posse fuit arbitratus, quam flebili hujusmodi contentionum exitu, Orientalium Ecclesiarum exemplo, demonstrato. Veruntamen cum in enarrandis, que Orientis Ecclesias misere lacerarunt, litibus, non posset non in earum, quæ hodie in Anglia maxime disceptantur, controversiarum mentionem passim incidere, quales imprimis sunt, quæ circa Trinitis mysterium excitatæ fuerunt; ne pabulum adderet flammæ, quam extinctam maxime cupit, æterna oblivione sepeliendum illud opus esse putavit. Præsenti tamen laciniæ ejus lucem noluit invidere, quod aliqua ex parte eam prodesse commodis pietati & religioni ex animo faventium posse, persentisceret. Cum enim perpetua cantilena, quam Christianæ fidei sectatoribus occinit impia Atheorum gens, illa sit, universum Christianismum ex fraudibus atque fucis compositum esse; quibus argumentis religio veteratorie excogitata ejusque inventores se prodere soleant, exemplo celeberrimi impostoris Mahomedis demonstrat. Jam frustra essemus, si per singulas vitæ Mahomedicæ partes, Clarissimi Autoris nostri vestigiis pressius inhærentes, ire vellemus, quam aliunde satis exploratam Viros doctos habere confidimus. Potissima itaque, quibus fraus ejus sese prodidit, argumenta hic speciminis loco annotasse contenti, paucissimis nos expediemus. Ab ipsa familia ejus, qua Korashitarum erat, haud parum roboris atque adjumenti veteratori huic accessisse, primum est, quod observationem meretur; præcipue vero patrui sui Abu Taleb, apud quem rerum summa Meccæ erat, quique nihil omittebat, quod ad reprimendos primorum superstitionis Mohammedicæ hostium impetus facere videbatur, initio egregie fuisse adjutum. Atque huc tendere omnia, quæ fuse de genere Mohammedis a Cl. Autore exponuntur, nemo non animadvertit. Opes in matrimonium accepta ditissima mercatoris Meccani vidua sibi comparavit, qua defuncta ad stabiliendam potentiam tres simul uxores, eorum, quorum maxima apud Meccanos erat autoritas, filias duxit. Hisce munitum præsidiis, summam autoritatem, quæ in ejus familia fuerat, affectasse hominem, quod tota lex & vita ejus docet, ambitiosissimum, facile patet, imo eandem auctam & amplificatam voluisse. Et hoc ipsi fuisse novæ religionis cudendæ præcipuum incitamentum, quis

du-

dubitare audeat, toties inculcatæ legis ejus de religione armis defendenda & propaganda, nemineque ferendo, qui si non religionem, imperium saltem fidelium, quos vocat, non admittat, gnarus? Religionem vero huic scopo suo maxime conducere posse, facile perspexit callidissimus veterator, infirmitatis mortalium conscius, qui nulla re magis quam superstitione ducuntur, nullum æque magis ferunt jugum, quam quod a viro θεηλάτῳ sibi imponi credunt. Hacque via tanto facilius tutiusque se incessurum arbitratus est, quod Christianos & Judæos non mutuis tantum odiis in se invicem, sed in propria viscera quoque sua eo tempore atrocissime sævire, Arabes vero, gentiles suos, a pristina superstitione discedentes, Zendicismo, a Sadduciismo non multum abludenti, addictiores esse animadverteret: quamobrem dubitare non poterat, quin aliquæ ipsius, inter tot ferali odio sibi mutuo infestos vacillantesque homines, partes essent futuræ. Utque eo certius essent, nulla non delinimenta adhibuit, quibus homines ad eas pertraheret. Christianæ Judaicæque religionis laciniis nugamenta sua, ut eo facilius omnibus placerent, interpolavit: superstitiosum templi Meccani cultum, suis gentilibus tantopere adamatum, intactum reliquit; insano eorum, quo ad Venerem proruebant, impetui, polygamia permissa, satisfecit: futuræ quoque vitæ sive præmio sive pœna tali proposita, quæ maxime vel delectaret, vel terreret carnis suæ sensibus indulgentem populum, regiones istas incolentem. Et quis omnia lenocinia, quibus vel ambitioni, vel libidini suæ nefarius ille Propheta blanditus est, edisserat? Duo tantum adducere adhuc juvat, quorum alterum ad libidinem Mohammedis pertinet, cui gratificaturus, ut discipulis suis turpi cum ancillis suis commercio uti liceret, sanxit, eo quod ipse ex illis aliquam tam efflictim deperiret, ut juramento licet uxoribus suis zelotypis id promisisset, nunquam tamen ab ea abstinere potuerit, nescio quam revelationem perjurio suo obtendens. Alterum est, quod doctrinam de fato induxerit, eo tantum scopo, ut tanto majores animos in præliis sumerent asseclæ ejus, quibus pro amplificatione imperii sui mortem appetentibus, Martyrii coronam insuper in cœlis repositam pollicebatur: nihil adeo, si cadere eos contingat pugnantes, perdituris, utpote quorum ineluctabile fatum hoc velit; amplissimum vero præmium, quod pro tali causa mortem subeant, reportaturis.

Jam

Jam quid simile istis omnibus in Religione Christiana occurrit? Nonne omnia Mohammedismo plane contraria in ea invenimus? Nonne ea, quæ emolumento isti fuere quam maxime, præcipuo illi fuere impedimento? Imo ita esse, quemlibet res ipsa fateri coget; quod tamen ut magis luculente pateat, peculiarem tractatum Vitæ illi Mohammedis Cl. Autori subjungere placuit. Cujus en tibi Inscriptionem:

A LETTER TO THE DEISTS &c.

h. e.

EPISTOLA AD DEISTAS, EVANGELIUM JESU Christi non ex fraudibus mendaciisque conflatum, sed veritatem divinam esse demonstrans.

Londini, apud W. Rogers, 1697. 8.
Constat plagulis 10.

IN hac epistola septem characteres certissimaque argumenta proponit, ex quibus evidentissime colligi possit, an fraudi & malitiæ hominum originem Religio aliqua debeat. Primum est emolumentum aliquod, ex ea ad autores sectatoresque ejus, ad φρόνημα τῆς σαρκὸς penitus compositos redundans, ad quod tanquam scopum suum religio unice collineet. Alterum est, si autores ejus homines sint variis vitiorum maculis contaminati. Tertium, si in tota religionis textura utrumque istorum luculente deprehendatur. Quartum, si quædam aperte falsa contineat, ex quibus tota merito in suspicionem adducatur. Quintum est, si fraudes & insidiæ ad eam primo propagandam adhibeantur. Sextum, si ab ipsis autoribus suis, quorum aliquam multi nunquam esse non possunt, imprudenter fallaciæ prodantur. Et denique septimum, si alia ratione, quam manu armata, defendi & sustineri non possit. Omnes istos characteres in Religione Mahomedana, nullum in Christiana, sed potius contraria omnia deprehendi, luculentissime Cl. Autor probatum dedit.

MARMOREA BASIS COLOSSI TIBERIO CÆSARI erecti, ob civitates Asiæ restitutas post horrendos terræ motus. Ad Ser. & Rev. Principem FRANCISCUM MARIAM MEDICEUM *descripta & notis illustrata a* LAUR. THEODORO GRONOVIO.

Ultrajecti, 1697. in fol. Plag. 10.

ET mole & venustate prorsus insigne Marmor, Puteolis anno MDCXCIII repertum, & ab Ant. Bulifono descriptum, in Actis nostris anni sequentis XCIV mense Aprili p. 173. seqq. recensuimus, ejusque iconismum repræsentavimus: ad quod iterum lustrandum & erudita commentatione expolitum enarrandum nos invitat doctissimi Gronovii in his talibus antiquitatis eruditæ monumentis investigandis sollicita & felix industria. Is enim in secunda per Italiam peregrinatione Puteolos delatus, delineationem Bulifonianam cum ipso marmore conferendam sibi esse ratus, haud paulo plura & alia in isto observavit, quæ Antonii diligentiam fugerant, quam tamen nec ipsam laude sua privat. In eo conveniunt, basin esse colossi, qui retulerit Tiberium sellæ insidentem, & quatuordecim Asiæ civitates, quas Tiberius post terræ motum collapsas restituerit, fœminarum habitu cælatas, in ea hodienum cerni expressas. A Phlegonte c. 13. de Mirab. saxum hoc memorari, fide Apollonii Grammatici, nummum etiam Asiæ restitutas civitates indicantem & Tiberii (non Vestæ nec Asiæ) pateram manu tenentis inque solio collocati imaginem exhibentis, a Gorlæo proferri *cap. 2.* traditur: simulque Meursius notatur, qui colossum Tiberii statuasque etiam urbium inter falsa retulit. Numerus urbium Asiæ a Tiberio restitutarum *cap 4.* investigatur. De origine & significatione vocis AVGVSTI insignis observatio Jo. Fred. Gronovii profertur *cap. 7.* Colossum hunc, anno Christi XXX erectum fuisse, demonstratur *cap. 10.* In inscriptione marmoris AVGVSTALES, non *Ludos* designare, quod existimavit Bulifonus, sed *Flamines* vel *Sacerdotes*, cap. 11. docetur. REMPVBLICAM neutiquam de Puteolensium civitate, sed Roma, accipiendam, cap. 12. traditur. Nec ludos a Tiberio

RESTI-

RESTITUTOS, nec a REPUBLICA statuam, dici in epigraphe, sed Asiæ quæ adstabant expressæ fœminarum effigie civitates; ut sensus sit: Respublica restituit conquassatas terræ motu civitates; quo loco vis vocabuli *restituere* explicatur *cap. 13.* Pro THENIA, a Bulisone exposita, NENIA legendum traditur *cap. 14.* Prima urbs ex literarum punctis conjicitur SARDIANORUM *cap. 15.* secunda MAGNESIORUM *cap. 16.* tertia PHILADELPHIA *cap. 17.* quarta TMOLUS *cap. 18.* quinta CYME *cap. 19.* sexta TEMNOS *cap. 20.* septima CIBYRA *cap. 21.* octava MYRINA *cap. 22.* nona EPHESOS *cap. 23.* decima APOLLONIDEA *cap. 24.* undecima HYRCANIA *cap. 25.* duodecima MOSTENE *cap. 26.* decima tertia AEGAEAE *cap. 27.* decima quarta HIEROCAESAREA *cap. 28.* Has urbes dum designat doctissimus Auctor, multa erudita inspergit, veteres scriptores emendat, recentiores autem quosdam castigat, ipsum etiam Scaligerum, summum virum, aliquoties notat & ab eo dissentit. Doctam hanc de colosso Tiberiano, & marmorea restitutarum a Tiberio Asianarum civitatum memoriam conservante grandi base commentationem, studiorum suorum maximo Mæcenati, Serenissimo Cardinali *Francisco Mariæ Mediceo*, eruditionis elegantioris maximo cultori & patrono, dicandam duxit Auctor; præsidium sibi a Mediceo hoc sidere certissimum promittens, nec majorem uspiam melioremque sententiæ hujus de Puteolano marmore ac doctrinæ suæ fautorem reperiri existimans.

CORNELII VAN BYNKERSCHOEK JURISCONSULTI ad L. Lecta 40. ff. de R. C. Liber singularis, & Dissertatio de Pactis juris stricti contractibus incontinenti adjectis.

Hagæ Comitis apud Abrahamum de Hondt, 1697. 8.
Plag. 16.

BEllaria hic apponuntur iis, quibus in subtilitates Romanas dentes pruriunt. Quicquid enim Latium vel in humanioribus, vel juris arte, eximium, politum, argutum ac subtile habet, ejus luculentum specimen tam in libro singulari ad L. *Lecta*, quam Dissertatione de *Pactis adjectis* exhibet, res Romanas exquisite doctus ac κριτικώτατος Autor Noster.

 Quod

Quod famosissimæ ac inter *damnatas*, quas vocant, familiam velut ducentis, Legis *Lecta*, post varios aliorum conatus, interpretationem susceperit, ejus rationem hanc fuisse ait, quod id agat unice, ut aliter quam hactenus factum fuerit, illius sententiam explicet, eam omnino non aggressurus, si præter datas dudum illius expositiones, nihil aliud succurrisset. Ipsam vero legem ac singula ejus verba, quatuordecim capitibus, ita facunde, subtiliter, perspicue etiam, (in quantum hoc subtilioris materiæ indoles admisit) ex solidis Jurisprudentiæ Romanæ principiis explanat, ut iis, qui alias hoc literarum genus probant, meditationes istas mirifice esse placituras, existimemus. Quæ ad singula verba commentatus est Noster, in compendium redigere, natura rei non permittit. Hinc satis erit, ex ejus sententia, celebratissimi illius centonis sensum, quoad potiora capita (minutias enim consectari nec libet nec licet) breviter retulisse. Lecta erat in auditorio Æmilii Papiniani Præfecti Prætorio, Cautio trimembris. Scripserat Lucius Titius (cujus vitam conscripsit Papir. Masson, Nostro vapulans p.20.) se accepisse a Publio Mevio mutua quindecim sestertia, seu quindecim mille sestertios (hæc enim coincidunt. v. *p. 23.*) i. e. 3750 denarios *p. 54*, & hanc summam proximis Calendis, seu initio proximi mensis stipulanti Mevio reddere promiserat Titius. (Hactenus primum cautionis membrum.) Quod si statuta die summam promissam non exolvat, tum ab hoc tempore moræ, quoad illam solverit, singulis mensibus, in denarios centenos summæ creditæ, singulos denarios, adeoque in sortem universam, denarios triginta septem cum dimidio, pœnæ i. e. usuræ centesimæ nomine *p. 54.* stipilanti creditori amplius spoponderat debitor Titius. (Hoc est secundum membrum cautionis allatæ). Cum autem his stipulationum vinculis valde esset in angustias redactus (ex prima enim stipulatione integræ sortis solutio Calendis proximis imminebat, sin minus, ex secunda præsto erat usura vorax avidumque in tempore fœnus) ideo pactione nuda, precibus forte debitoris obtenta, ac in continenti addita (quæ tertium cautionis membrum constituit) rigor primæ stipulationis fuit ea ratione temperatus, ut menstrui refunderentur denarii treceni, adeoque omnis sors 3750 denariorum, antea statim proximis Calendis solvenda, in pensiones menstruas duodecim cum dimidia secaretur, seu Idibus mensis tertii decimi demum penitus exsolveretur *p. 66.*

Hacte-

Hactenus cautio. Transferat vero numerus menfum (ita Noster, non mensium p. *69.*) toti sorti solvendæ indultorum, i. e. duodecim cum dimidio (hoc enim Paulo non invito supponi potest.) Titius solverat nihil. Quin tota sors ab eo tum potuerit peti, dubium erat nullum: quemadmodum etiam scrupulo carebat, quod ad usuras idem sit obstrictus. Sed circa *modum & quantitatem usurarum* in auditorio Papiniani oriebatur controversia, *utrum videlicet singulis Calendis integræ sortis usuræ currant* (juxta tenorem stipulationis secundæ) an vero *illius duntaxat pensionis, quam ex pacto adjecto refundi convenerat?* Paulus legis nostræ autor posterius existimabat, finito primo mense, primo tantum pensionis, & ita porro, usuras præstandas esse ratus; sed Antagonistæ, quorum præcipuus fortassis Ulpianus, prius tuebantur, & mox a prima mora, universæ sortis usuras præstari volebant. v. *p 74.* Ingens inter has sententias esse discrimen, manifestum est. Nam ex sententia Pauli, si Titius primis Calendis debitam trecenorum denariorum pensionem non solvat, usurarum nomine saltem debet tres denarios, nempe pro summa debita sed ex Antagonistarum, 37 denarios & dimidium (v. *p. 75.*) i. e. usuras totius sortis. Rursus si secundis Calendis debitam pensionem non inferat, tum juxta Paulum, primæ pensionis usuras bis, secundæ semel, atque ita conjunctim denarios novem debet, quia ratione illius, mora bis, ratione hujus, semel saltem fuit commissa. v. *p. 93. seqq:* sed juxta Antagonistas, ad secundam dilationem, iterum usuræ totius sortis exiguntur, & ita porro; præcedentes vero non crescunt; nam semper intuitu ejusdem debiti exiguntur; hinc mora continuata, nova semper usura committitur, sed præcedentes duplicari, triplicari &c. nequeunt: at juxta Paulum usuræ de distinctis pensionibus, adeoque diversis debitis, solvuntur; hinc mora continuata, præcedentes usuræ crescunt, i. e. duplicantur, triplicantur &c. & ratione novi debiti commissi, nova debetur usura. Defendebat autem Paulus opinionem suam certissima ratione, nempe, cum per pactum adjectum expresse variata esset prima stipulatio, ibidemque contenta sortis solvendæ ratio, de quo nullum etiam erat dubium, putabat eodem tacite quoque esse migratam secundam stipulationem, in eaque comprehensum solvendarum usurarum modum. Nam prima stipulatio jubebat Titium solvere proximis Calen-

lendis integram fortem, fecunda fub conditione moræ univerfalis, ei imponebat neceffitatem folvendarum ufurarum centefimarum. Jam cum per pactum fubjectum neceffitas totam fortem proximis Calendis folvendi fuerit remiffa, & in duodecim menfes cum dimidio folutio fortis fecata, per hoc pactum neceffario quoque effectum eft, ne prima, fecunda, tertia dilatione &c. univerfalis mora (conditio fecundæ ftipulationis neceffaria) committi poffit; deficiente autem conditione, obligatio folvendi ufuras totius fortis, illi fuperftructa neceffario quoque deficit. Antagoniftæ tamen caufabantur, pactum additum tantummodo pertinere ad primam ftipulationem, ac debitori, ratione ipfius fortis convento, faltem ad exceptionem prodeffe; ad fecundum vero ftipulationem minime debere extendi, cum nihil de hoc fit dictum; hinc ufurarum folutionem, juxta tenorem laudatæ ftipulationis non immutatæ, effe faciendum *v. p. 102. feq.* Sed Paulus non tantum directe ex fuo principio refpondet, folutione fortis fecata & dilata, etiam ufurarum folutionem fecari, easque eo faltem tempore, quo mora fiat, accedere, fed & oftendit, adverfaros corium & flagellum attuliffe fecum. *v. p. 115.* Nam efto, pergit, quod pactum folum ad primam ftipulationem pertineat, feu, ut adverfarii loquebantur, ad *exceptionem* (fortis fcilicet petitioni objiciendam) *tantum profit*, tamen *ufurarum* (totius fortis) *obligationem ipfo jure*, i. e. ex regulis juris civilis, *non poffe committi*, docet. Nam quomodocunque tandem pactum additum explices, aut etiam conftringas, illud tamen certum eft, quod ejus virtute tota fors fimul non fit folvenda, & quod adeo, una alterave dilatione, univerfalis mora nequeat committi; hac autem, velut conditione deficiente, obligatio ad ufuras totius fortis nequit oriri. Addit tandem, quoad folutionem ufurarum, eo, quo adverfarii volebant, imo etiam adhuc graviori, modo potuiffe convenire partes, fed id non factum effe *v. p. 131.* Atque ifta fententia Pauli uti manifefta æquitate nititur, ita etiam in auditorio Papiniani probabiliter tum obtinuit, quam a vellicationibus quorundam, imprimis Hotomanni, Nofter infuper vindicat *p. 141.* Sic igitur in decantata illa L. *Lecta* occurrit, *cautio*: nata ex ea *controverfia*: *fententia Pauli*: *partis adverfæ*: *utriusque argumenta*: *refutationes adverfariorum*; de quibus quid docuerit Nofter, breviter enarravimus. Id adhuc monendum, hinc inde-

inde etiam aliarum legum occurrere explicationem. Ita in *c. 5.* luculenta *l. 7. §. 12. de pact.* datur expositio. *C. 7. p. 56. seqq.* egregia quaedam de usuris, intelligendis *Novellæ 32. 34. 106.* afferuntur. *C. 14. p. 137.* ostenditur, inexplicabilem videri difficultatem in *l. 17. pr. de usur.* quando Paulus, commissa mora, retro a die stipulationis usuras deberi negat, licet ita conventum sit; hinc examinatis aliorum explicationibus, Noster concludit: *Liceat igitur mirari, & hactenus mirari tantum.*

De pactis, stricti juris contractibus, mutuo scilicet & stipulationi, *incontinenti adjectis*, hæc Nostri est sententia: ea *iis neque ratione Actoris neque Rei inesse*, adeoque neque *actionem producere*, neque *actionem constitutam ipso jure tollere*, sed solum, juxta communem pactorum naturam, *exceptionem parere.* In hujus assertionis confirmationem primo præcipuum obstaculum, ex *l. Lecta* depromtum, removet *p. 81 seqq.* postea vero in adjecta *Dissertatione peculiari*, proposito controversiæ statu, sententiam suam primo juris ratione, deinde auctoritate munit; tandem eos, qui pacta illa contractibus juris stricti, vel simpliciter, vel ratione Rei, vel saltem stipulationi inesse docent, aut alia adhuc ratione dissentiunt, ordine refellit. Nobis ista indicasse nunc satis est, certo persuasis, non plane pertinaces, istis lectis, sententias contrarias non difficulter esse dimissuros.

PAROCHIAL ANTIQUITIES IN THE HISTORY OF AMBROSDEN, BURCESTER &c.

h. e.

ANTIQUITATES PAROCHIALES, QUAS IN HIstoria Ambrosduni, Birini Castri, aliorumque adjacentium locorum in Comitatu Oxoniensi & Bukinghamensi eruere tentavit JOHSTE KENNET Vicarius Ambrosdunensis.

Oxonii e Theatro Scheldon. 1695. in 4.
Alph. 4. chartæ maj. cum fig. æn.

VOluminosi hujus operis eorum potissimum usibus destinati, quorum curæ conservatio privilegiorum bonorumque istarum Ecclesiarum demandata est, prima occasio fuere lites Ambrosdunensi Ecclesiæ de legato quodam ante annos aliquammultos motæ.

Quæ

Quæ ut Ecclesiæ suæ commodo feliciter tandem possent finiri, antiquæ chartæ ad illud negotium pertinentes Cl. Kenneto evolvendæ fuerunt, quarum perlustratio integro opere plenius istius & vicinorum tractuum historiam & antiquitates tradendi impetum animo ejus indidit. Ab ipsis itaque antiquissimorum Brittanorum temporibus exorsus, & si quæ forsan linguæ eorum in locorum appellationibus occur aut vestigia, diligenter rimatus, quæ Romanorum in Brittannia florente imperio tractuum istorum facies fuerit, quæ castra in iis ab illis posita, quæ viæ per eos deductæ sint inquirit, & si quæ morum & consuetudinum Romanarum in iis superesse deprehendantur vestigia, diligenter indicat, nummos quoque ibi effodi solitos non prætermittens, ac ex illis de hujus provinciæ diverso diversis temporibus statu conjiciens. Ad Saxonum inde delatus tempora, quibus Christianismi semina in locis istis spargi coeperunt, & utraque, de qua agitur, Parochia ortum nomenque sortita videtur, Ambrosduno ab Ambrosii, fortissimi libertatis Britannicæ contra Saxonum tyrannidem propugnatoris, stativis, Birini castro vero a Birino, qui seculo VII primus in Anglia Episcopus Dorcestriæ sedit, appellato; plura & magis luculenta de gestis in tractibus illis rebus affert. Imo post Danorum tempora, restitutosque Saxones, & occupatam a Normannis Brittaniam, Annalium habitum huic tractationi suæ induit, atque eodem filo usque ad annum 1460, quo Henricus VI fatis concessit, perduxit. Cum enim post illud tempus larga nimis rerum commemorandarum messis superesset, peculiari volumini eam reservandam duxit, huic interea historia Alecti Castri (vulgo Allchester) anno 1622 ab anonymo consignata, subjuncta. Ne autem parum ad se spectare existiment toto a Brittannis orbe remoti eruditi hoc opus, tenendum est, quamplurima Cl. Kennetum, dum in antiquissimorum Brittannorum Romanorumque temporibus versatur, afferre, quæ ad egregie illustrandos Græcos Latinosque Autores veteres faciunt. De Saxonum vero temporibus agentem, Mercianorum & Saxonum occidentalium fines accuratius describere, multorum locorum, quam tempus abolevit, memoriam renovare, Conciliorum Anglicorum historiam passim illustrare, & innumera monumenta vetera afferre, quæ non tantum egregie augendo Monastico Anglicano, verum etiam Glossario Henr. Spelmanni possint inservire.

Atque

Atque hinc factum est, ut Glossarium, voces a Spelmanno non explicatas, atque in monumentis hic publicatis occurrentes complectens, operibus annectere voluerit: vehementissime optans, ut Glossarii Spelmanniani auctiorem editionem, tum ex ineditis ipsius Spelmanni chartis, tum ex innumeris post ejus fata e tenebris protractis monumentis, Vir aliquis tanto labori idoneus, qualem Cl. Gibsonum esse judicat, adornare velit. Cangii enim Glossarium adeo supplere non posse Spelmanni defectus censet, ut ipsum potius supplementis opus habeat; quippe quod in explicatione vocum antiquitus in Anglia maxime frequentium, Spelmannianum unice sequatur.

DE FERMENTO VOLATILI NUTRITIO CONJEctura rationales &c. Auct. GUIL. COWARD M. D. & Collegii Merton. Oxon. Socio.

Londini apud T. Bennet, 1695 in 8. Plag. 12.

PRopositum est Cl. Auctori ostendere, spiritum volatilem oleosum, a sanguine ventriculo infusum, esse verum ac genuinum concoctionis ac nutritionis instrumentum. Quem in finem primum de fermentis & fermentatione in genere agit, saliumque variorum natura declarata, nonnulla his de fermentorum animalium ratione subnectit. Speciatim antem ad ventriculi fermentum accedens, Glissonii opinionem, qui illud in sale acri & pungente spiritibusque impraegnato constituit, examinat, & vel ideo rejicit, quod omne acre provenit ab igneo foco, & acrimonia sanguinis & humorum morbosa est. Neque probatur Auctori Willisii sententia, qui acidi cujusdam fermenti ope concoctionem fieri statuit. Cum enim cachecticis, quibus languidus restituendus appetitus, salia stomachica & volatilia cum successu propinentur, non acida, sed ab his potius magna morborum oriatur colluvies, hinc efficit, ventriculi fermentum esse nihil aliud, quam sal volatile oleosum pauco phlegmate dilutum ex arteriis, nervis & glandulis, in ventriculi cavitatem emissum, quo cibi deglutiti fermentescant, & in nutritionem idoneam abeant. Neque enim huic sententiae obstare credit, quod acida quandoque digestionem juvant, cum id per accidens fiat, quando viscidi-

tatem nova fermentatione cum fermento ventriculi orta, discindunt & dissolvunt, vel etiam ventriculi plicas ad lævitatem tendentes iterum contrahunt. Digressus hinc ad spiritum volatilem oleosum Sylvii, vulgares ejus parandi rationes carpit, ipsisque præfert alium modum, quo levi digestione paretur. Esse autem fermentum ventriculi nostri ejusdem indolis cum jam dicto spiritu, vel hinc constare putat, quod quamplurimum in animali corpore salis volatilis elaboretur, (destillatione ex ipso eliciendum) idque facile deinde cum chyli globulis oleosis connubat. Vim autem digestivam liquorum volatilium probat experimento cerebri vitulini, quod cum his potius, quam aliis salibus, in liquamen abiit, additoque anisi oleo flavedinem acquisivit. Quibus propositis, ad fermenti volatilis oleosi vim, quam in succo chyloso disponendo & corporis partibus alendis exserit, exponendam pergit. Contendit autem contra G. Charletonum, succum illum nutritium membris non a nervis, sed ab arteriis adferri, parum motus argumento illius a celeri nimis sanguinis motu desumto. Nequaquam enim concedit, tam rapidam esse sanguinis celeritatem, quæ impediat partium nutritiarum appositionem, sed propter obliquam vasorum insertionem, satis asserit huic negotio accommodatam. Tam lentum autem succi nutritii motum non esse, ac in nervis a Charletono concipitur, hinc colligit, quod non solum infantes recens nati, brevi quandoque tempore in magnitudinem insitatam excrescunt, nosque ipsi, quantum singulis diebus insensibili transpiratione perdimus, ex alimentis resarcimus, sed in diabete quandoque fesquicongius succi nutritii excernitur; quæ quidem omnia cum lentissimo illo succi nutritii per exiles nervos motu conciliari nequeunt, sed celerem satis & promtam ejusdem suggestionem requirunt. Deinde explicat Cl. Auctor, quomodo fermentum hoc rite se habens famem sitimque excitet; contra vero, si a genuina sua indole degenerarit, innumeras morborum cohortes post se trahat. Ultimo tandem loco de medicamentis stomachicis agit, censens, Poterii specificum stomachicum & pulveres testaceos non magni esse momenti; præstare his pulverem digestivum Riverii, & sal volatile oleosum Sylvii rite paratum; elixir stomachicum vitrioli Mynsichti plus justo laudari; vires elixir proprietatis ab admixto spiritu quodam volatili exaltari; salia lixivia frustra præscribi, nisi acidum aliquod visco-

viscosum lateat in stomacho; amaricantia palmam fere omnibus præripere, & ex cortice Peruviano tincturam contra affectus ventriculi præstantem posse elici.

EXPERIMENTUM SINGULARE, DE PRODUCTIONE ignis & flammæ a commissione duorum liquorum actu frigidorum, inventum a FRIDERICO SLARE M. D. Censore & Socio Collegii Medicorum, nec non membro Societatis Regiæ.

EXCERPTUM EX TRANSACTIS PHILOS. ANGL. Mens. Sept. & Octob. Ann. 1694. p. 201. seqq.

Recipe nitri & olei vitrioli partes æquales, & fac, ut ex retorta igne arenæ candefacta destillet in vas recipiens spiritus nitri compositus, ab aëris accessu solicite custodiendus. Deinde vasi satis capaci immittatur pars una olei cujusdam essentialis destillati vel vegetabilis, (v. g. carvi, caryophyllorum, sassafras, guajaci, buxi, camphoræ, piperis Jamaici, cinnamomi) vel animalis (v. g. ex cornu cervi, ungul s, cranio, sanguineque humano parati.) Huic caute superfundantur partes duæ spiritus nitri compositi; quo facto exorietur magna cum celeritate & strepitu flamme parum diuturna, relinquens caput mortuum leve & insipidum. Ex reliquis enim oleorum speciebus, quæ ex seminibus elicita, pleraque strepitum quidem magnum & explosionem edunt, sed non abeunt in flammam. Petroleum, succini item, ceræque oleum, neque effervescunt cum spiritu nitri composito, neque explosionem efficiunt. Porro nec illud omittendum, in vacuo succedere hoc experimentum, & a flamma excitata, non sine adstantium periculo, disjici vas recipiens. Ad ætiologiam autem quod attinet hujus experimenti, existimat ejus inventor, spiritum nitri compositum multis refertum esse particulis igneis accendentibus sulphureas oleorum particulas, neque tamen olea esse tantum pabulum ignis & mere passive se habere, sed cum turgeant sale volatili alcalico, hoc promte effervescere cum acido spiritus jam dicti, ut oleosæ particulæ violento abreptæ motu ignescant, & in flammam convertantur. Vim tandem illam, quam in vacuo exseruit

hæc mixtura, ab aëre non recipienti vasi, sed mixturæ ipsi inhærenti & prodigiose rarefacto derivat.

METHODUS INVENIENDI VERUM MOMENTUM ingressus Solis in signa Tropica. Auctore E. HALLEY.

TRANSLATA EX TRANSACTIS PHILOS. ANGLIC.

Mense Jan. & Febr. 169$\frac{4}{5}$. p. 12. seqq.

Paradoxus forsan videbor, aut plane extra oleas vagari, si asseram, facilius nos certos reddi posse de vero momento ingressus Solis in cancrum & Capricornum, quam observare vera tempora Æquinoctiorum, aut ingressum Solis in Arietem & Libram. Neque enim ignota mihi est Astronomorum, tam veterum quam recentiorum, contraria sententia. Ptolemæus expresse dicit: Τὰς τῶν τροπῶν τηρήσεις δυσδιακρίτας εἶναι, & Ricciolus caput de Solstitialibus observationibus his verbis inchoat: *Merito Snellius in notis ad observationes Hassiacas pronunciavit, Herculei esse laboris vitare in Solstitiis observandis errorem quadrantis diei,* idque propter magnam tarditatem mutationis Declinationis Solaris in die Tropico, quippe quæ integro die vix quartam minuti partem adæquat. Et certe hæc causa rem admodum difficilem redderet, nec instrumenta quæcunque sufficierent ad illam perficiendam; siquidem momentum ingressus Solis in Tropicum determinandum foret unica observatione. Ego vero constitui ostendere methodum, qua per tres se consequentes observationes Solis prope Tropicum existentis, iisque convenientibus temporis intervallis factis, ita possit inveniri exacte momentum Tropicum, ut accuratioribus etiam satisfaciat, & hoc quidem sine ulla consideratione parallaxis Solis, refractionis aeris, maximæ Obliquitatis Eclipticæ, aut latitudinis loci; quæ tamen omnia requiruntur alias, ut certi fiamus de Æquinoctiis per observationes; & erronee assumta, pepererunt errorem trium circiter horarum, in tempore Æquinoctiorum, deducto ex tabulis Nobilissimi Tychonis Brahei & Kepleri, cum Vernum tot horis contingat serius, Autumnale autem citius, quam ex calculo celeberrimorum illorum Auctorum deducitur.

Ante-

Antequam vero pergam, sequentia, quæ ad hanc Methodum demonstrandam faciunt, Lemmata, præmittenda duxi:

1) Quod motus Solis in Ecliptica circa tempora Tropica, tam prope æquabilis sit, ut differentia ab Æquabilitate non sit sensibilis, quinque diebus ante momentum Tropicum, & quinque post illud: quodque differentia orta ex parva inæqualitate quæ adest, nunquam superet quartam minuti secundi partem in declinatione, idque propter propinquitatem Apogæi Solaris respectu Tropici Cancri.

2) Quod, cum Sol non longius abest a Tropicis, quam 5 gradibus, ante & post ingressum in Tropicos, differentiæ quibus Sol distat a Tropicis, sint ut sinus versi distantiarum Solis in longitudine a Tropicis; atque hi sinus versi in arcubus 5 gradibus minoribus, sint inter se etiam ultra exactissimam sensus subtilitatem, ut quadrata horum arcuum. Ex duobus hisce tertium sequitur:

3) Quinque diebus, ante & post momentum Tropicum, Declinationem Solis differre a maxima Tropica Declinatione spatiis, quæ sint in duplicata ratione, sive ut quadrata, temporum quibus Sol indiget ad Tropicum attingendum, aut quibus recessit a Tropico. Hinc evidens est, si umbræ Solares vel in Meridiano vel alio quocunque Azimutho accurate observentur, circa tempora Tropica, spatia, quibus umbra Tropica vel deficit ab illis, vel excedit illas, aliis temporibus, semper esse proportionalia quadratis intervallorum temporis, inter illas Observationes, & verum tempus Tropicum; & consequenter, si linea, in qua limites umbræ capti sunt, fiat axis, & correspondentia tempora a Tropicis, exposita lineis rectis, aptentur axi, ut ordinatæ, futurum, ut extremitates harum linearum tangant Curvam Paraboli-cam, ut ex figura apparet, in qua a, b, c, e supponuntur esse puncta observata, lineæ aB, bC, cA, eF sunt respective proportionales temporibus cujusque observationis, ante & post momentum ingressus in Tropicum Cancri.

Quibus præmissis poterit problema, de inveniendo vero tempore Tropico per tres observationes, reduci ad hoc Geometricum: Datis tribus punctis in parabola, A, B, C, seu A, F, C, una cum axis directione, invenire distantiam punctorum ab illo axe. Habet autem duos casus; *Primus* est, quando tempus secundæ observationis præcise est medium inter A & C. Atque tunc posito; pro toto tempore

 inter

inter A & C, obtinebitur A C intervallum remotiſſimæ Obſervationis A a Tropico, per ſequentem analogiam:

$2ac - bc.\ 2ac - \frac{1}{2}bc :: \frac{1}{2}t$ ſeu A E. A C:

ſeu tempus remotiſſimæ Obſervationis a Tropico.

Alter caſus, quando media Obſervatio non exacte incidit in medium reliquorum duorum temporum, ut in F, aliquanto operoſior eſt: poſitoque toto tempore ab A ad C $= t$ & ab A ad F $= f$, $ce = c$, & $bc = b$, Theorema ita ſe habebit $\frac{ttc - bff}{2tc - 2bf} =$ A C, tempori propoſito.

Hæc Methodus calculandi ut magis illuſtretur, non inutile forſan erit aliquot afferre exempla, eorum præſertim Aſtronomorum in gratiam, qui in artis ſuæ parte Geometrica minus ſunt eruditi. Anno 1500 Bernardus Waltherus menſe Junio Noribergæ obſervavit chordam diſtantiæ Solis a Zenith magno Parallactico inſtrumento Ptolemaico, ut ſequitur:

Jun. 2. 45467.		Jun. 8. 44975.	
Jun. 9. 44934.	&	Jun. 12. 44883.	
Jun. 16. 44990.		Jun. 16. 44990.	

In utroque caſu tempus medium exacte eſt inter extrema, ac proinde in prioribus tribus $ac = 533$, $bc = 477$, & t, tempus intermedium 14 dierum. Secundum ergo Regulam priorem, tempus Tropicum reperietur per hanc Proportionem:

$589.\ 827\frac{1}{2} :: \frac{1}{2}t$ ſ. 7 dies, ad 9 dies. 20. hor. 2.

Unde concluditur, tempus Tropicum Anni 1500 incidiſſe in Jun. 11 D. 20 H. 2′.

In poſterioribus tribus ac eſt $= 107$ & $bc = 15$, & totum intervallum temporis eſt 8 dierum $= t$. Unde

$199.\ 206\frac{1}{2} ::$ 4 dies. ad 4 d. 3 h. 37: quod tempus deductum ex 16 die mane, relinquit 11 d. 20 h. 23, tempus Tropicum conveniens cum priori ad tertiam horæ partem.

Rurſus A. 1636 Gaſſendus Maſſiliæ obſervavit Solſtitium æſtivum gnomone, cujus altitudo 55 pedum, eum in finem, ut determinaret proportionem gnomonis ad umbram Solſtitialem, & reliquit nobis has Obſervationes, quæ exemplum ſecundæ Regulæ nobis eſſe poſſunt:

umbra

Umbra erat partium,

Jun. 19. St. N. 31766, quarum gnomon erat 89428
Jun. 20. 31753
Jun. 21. 31751
Jun. 22. 31759.


Quæ si dividantur in duas trium observationum series, quarum prior sit dierum 19, 20, 22, posterior 19, 21, 22; in prioribus tribus erit $c = 13$, & $b = 7$, $t = 3$ diebus, $s = 13$ & in posterioribus $c = 15$, $b = 7$, $t = 3$ & $s = 2$. Unde secundum Regulam, die 19 Junii mane Sol aberat a Tropico tempore, quod erat ad diem unum, ut $ttc - ssb$ ad $2tc - 2bs$, h. e. ut 110 ad 64 in prima serie; aut 107 ad 62 in secunda, h. est 1 d. 17 h. 15′ in prima, & 1 d. 17 h. 25′ in secunda serie: ita ut concludendum sit, momentum Tropicum fuisse Jun. 10 d. 17 h. 20′ in Meridiano Massiliensi.

Quod autem hæc duo tempora sic obtenta, exactitudinem suam mutuo confirment & conveniant, apparet ex intervallo temporis, quod inter ipsas intercedit, nempe 1 d. 2 h. 30′ minus quam 136 Anni Juliani; cujus 1 d. 1 h. 8′ oritur a defectu, quo differt annus Tropicus a Juliano, reliquum autem a progressione Apogæi Solaris hoc tempore: ita ut duæ observationes, ab eodem observatore factæ in eodem loco, non possint sibi aptius respondere, idque sine omni artificio aut vi in illis tractandis adhibita.

Quænam fuerint methodi, quibus veteres usi ad concludendam horam Tropicam, Ptolemæus nuspiam nobis tradidit. Utinam vero hæc illis innotuisset, ut sic magis essemus certi de momentis Tropicis, quæ illi nobis litteris consignata reliquerunt. Id quod singularem nobis præbuisset usum in determinanda quæstione: utrum Solis Apogæum fixum sit in cœlo stellato, nec ne? (aut si moveatur, quinam verus sit ejusdem motus? Certum est, si Ptolemæum audiamus, Tropicum momentum ab Euctemone & Metone observatum Jun. 27 mane, Anno 432 ante Christum natum, nequaquam conciliari posse, nisi supponamus, observationem factam esse die proximo, s. Jun. 28 die mane. Et Ptolemæi proprium momentum Tropicum, observatum tertio Antonini anno, A. C. 140 utique contigerat 23, non 24 die Junii, ut apparebit, qui decenter considerabunt & comparabunt illa cum longitudine anni, deducta ex diligentibus & concordantibus obser-

ſervationibus duorum illorum magnorum Aſtronomicorum geniorum, Hipparchi & Albatani, ſtabilitis, & confirmatis omni exactitudine recentiorum. Nam iſtæ quidem obſervationes anni Tropici talem longitudinem exhibent, ut Julianus computus anticipet tantum unum diem trecentis annis. Nos vero certi ſumus, Solis revolutionem anticipare quam proxime tres dies quadringentis annis, ita ut tabulæ Ptolemaicæ huic ſuppoſitioni innixæ, totum diem aberrent in Solis loco definiendo, ſingulos 240 annis. Qui principalis error in capite tam fundamentali totam Almageſti ſtructuram vitiat, convincitque, ejus auctorem vel diligentia, vel fide, vel utraque caruiſſe. Sed ut ad Methodum noſtram revertamur, commodum hoc nobis vel maxime in ea accidit, quod nobis quodcunque ædificium altum, vel vertex turris cujusdam altæ, vel etiam murus altus quicunque, qui intercipere Solem, & veram umbram projicere poteſt, nobis loco inſtrumenti eſſe poſſit. Neque multum refert, quænam ſit poſitio plani in quo capitur umbra, aut lineæ in illo, in quo menſuratur receſſus Solis a Tropico: ſed quocunque modo inveniatur, receſſus ille ſemper erit in eadem proportione, propter anguli parvitatem, qui non eſt 6 minutorum in primis 5 diebus. Neque neceſſe eſt, ut menſuretur altitudo ædificii, modo id ſatis magnum ſit, ut ſpatia dimetienda ſatis ampla fiant. Convenit tamen, ut planum, in quo capitur umbra, non multum recedat a perpendiculari ad Solem ſitu, certe non multum ſit obliquum, & ut muri umbram projicientis vertex rectus & lævis ſit, ejusque directio fere Orientalis & Occidentalis, propter rationes faciſe intelligendas a lectore, in ſphærica doctrina verſato. Requiritur etiam, ut capiatur extrema maxima aut minima deviatio umbræ muri, quia umbra ſat diu conſiſtit ſine alteratione; quod Obſervatori dabit opportunitatem, ut certus ſit de eo quod agit, nec turbetur a veloci tranſitu umbræ unius puncti in tanta diſtantia. Objicitur autem præcipue, difficile eſſe penumbram Solis accurate in ſuis extremis a vera umbra diſtinguere, ut proinde obſervatio hæc non ſatis exacte determinari poſſit: ſed ſi ſol transmittatur per teleſcopium, eo modo quo excipitur ejus ſpecies in Eclipſi Solari, & medietas ſuperior vitri objectivi quaſi reſecetur charta agglutinata, limbusque ſuperior Solis exacte videatur emergere ex ſpeciebus muri, aut potius eas contingere, (poſitio autem teleſcopii regulatur crine ſubtili extenſi in foco vitri

vitri ocularis) certus sum, limitem umbræ obtineri posse ad extremam altitudinem. Hujus rei specimen aliquod proximo Junii mense dare constitui, ope muri præalti in templo D. Pauli Londinensi, cujus quædam sequentium Transactionum mentionem faciet. Interim quod præmisi sufficiet, ut alii manus operi admoveant, quibus in promtu sunt præalta ædificia. Id unicum monebo, Tropicum hybernum hac methodo certius obtinere, quam æstivum, quia idem Gnomon dat multo majorem Radium, pro hoc observandi modo. Figura, ad quam supra provocatum, hæc est



EXPERIMENTUM DN. EDUARDI COLES EX MIXTIONE Spiritus Sulphurei cum Alcali volatili producendi liquidum coloris rubri. Excerptum ex Transact. Anglic. Mens. Maj. 1697. p. 542.

DUas tresve libras Benzoni cum pauca arena ex retorta destilla usque ad siccitatem, spiritumque cum oleo pariter & floribus inde filtro chartaceo & quod primum per filtrum prodit, ad usum serva. Dicti spiritus duas partes junge uni parti spiritus Salis Ammoniaci & probe succutiendo misce, ita fiet, ut momento rubescat mistura.

DE AMBRÆ GRISEÆ PRODUCTIONE NOVA CONjectura Dn. Roberti Tredvvey, excerpta ex literis ejus ad Dr. Leonard. Plukenet in Transact. Anglic. Mens. Sept. 1697. p. 711.

IN venit ante paucos annos Insulæ Jamaicæ incola quidam ambræ grisea magnum frustum, 150 libras æquans pondere, in littus ejectum, & in duas partes a maris agitatione divisum. In hoc Dn. Tredvvey vidit rostra, alas, & partes corporis animalculorum, quæ inventor testatus est se viva vidisse, & suspicari instar apum in littore a mari circumvolitare, ac proinde conjicit, ambram ab animalculo produci instar mellis aut serici.

GERHARDI NOODT JURISCONSULTI DE FOENORE & usuris Libri tres, in quibus multa Juris civilis aliorumque veterum Scriptorum loca aut illustrantur aut emendantur.

Lugduni Batavorum apud Fredericum Haaring. 1698. in 4to
Const. 1. alph. 15. plag.

DOctrinam de Usuris & Fœnore sic comparatam esse, ut ea non intra juris Romani cancellos se contineat, sed ex variis gentium moribus latam capiat & diffusam interpretationem, imo ex jure divino forensi æque ac morali diversos eosdemque sat arduos subinde casus arcessat, res ipsa haut obscure loquitur. Nactus proinde est celeberrimus inter Belgas JCtus argumentum prorsus egregium, in quo diligentiam ingeniumque exerceret; quod etiam ita excoluit, ut sive eruditas veteremque Romam intime redolentes legum expositiones, sive Criticorum delicias requiras, magnam horum omnium possis habere copiam. Librum primum accuratori vocum *fœnoris* & *usuræ* evolutione orditur. Antiquissimi Auctores sortis incrementum *fœnus* dixere, sed *usura* cujusque rei usum ipsis notavit; postea utrumque vocabulum synonymice pro accessione pecuniæ vel frugum acceptum est. Ex corporum usu, non *usura* aut *fœnus*, sed *merces* percipitur. Cum enim in Republica libera locatio quidem, sed non contractus fœnoris toleraretur, hinc discrimen vocabulorum enatum est, quod neminem ante se observasse Noster censet *p. 12.* Magis exquisite si de usu vocum statuendum sit, accessio ob moram solvenda, intuitu debitoris, *pœna*, creditoris, *id quod interest*, audit: quæ vero ex conventione percipitur, *usura*, & locutione vetustiore, *fœnus* dici-

dicitur; quia *fœnus* etiam sortem usurariam notat, sicut *mutuum* gratuitam, ad illam tamen solam fœnoris vocem male restrinxit Salmasius. Postquam in judiciis b. f. ex mora usuræ deberi cœperunt, (quod quidem sub libera Republica non fuerat,) tum *usura* accessionem tam ex mora, quam conventione debitam significavit, sed *fœnoris* nomen ad hanc saltem pertinuit; hinc *nauticum fœnus* innotuit, non *nautica usura*. His expeditis, ad *moralitatem* usurarum pergit, & licet veterum prudentum nonnulli, ut Cato, Aristoteles, Seneca, Lactantius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, nec non jus Canonicum plurimique ejus interpretes, usuras damnent; Noster tamen earum causam strenue orat, ac primo quidem in usuris ex mora solvendis, naturaliter nihil iniqui esse, postea nec ex conventione debitas æquitati naturali repugnare, sed sicut mutuum commodato, ita fœnus locationi conductioni, omnium confessione licitæ, recte comparari ostendit. Inde Chrysostomum tribus argumentis, judicio Hotmani gravissimis, locationis & fœnoris differentiam probaturum refellit, ac tria alia ejus generis argumenta diluit; ex Senecæ quoque sententia non fœnus, sed ejus abusum improbari amplius demonstrat. Vindicata ita juxta jus naturæ & gentium usurarum licentia, deinceps eas legi divinæ revelatæ non repugnare docet, cum lex Mosaica solum Judæis, ex arctioris & tantum non fraternæ necessitudinis, quæ inter ipsos esse debebat, rationibus, usuras prohibeat, erga peregrinos vero palam permittat; Christus vero in Novo Testamento fœnus non tollat, sed humanitatem solum adversus fori caluminas, quibus pessime a JCtis Hebræis laxabatur, intendat: atque ad istam juris Gentium æquitatem, mores rigorem juris Canonici circa usuras inflexisse, non omnino improbantibus ejus juris interpretibus, tandem admonet. Id seorsim annotari meretur, quod Noster, postquam usurarum erga peregrinos usum Judæis ob commerciorum compendium, permissum fuisse dixerat, inde explicationem ejus, quod de calceis & vestimentis non inveteratis *Deuteron. c. 8. v. 4. c. 29. v. 5.* dicitur, desumat, censens nimirum iste non proprie accipienda, quasi eadem vestimentorum & calceorum corpora non inveterata aut attrita manserint, sed quod commerciorum, admissione usurarum quoque stabilitorum, beneficio in locum detritorum semper alia fuerint substituta *p. 69.* In libro secundo res Romanas

 pro-

propius consideraturus clarissimus Autor, per modum præludii docet, quod vetus solvendarum usurarum ratio plerumque fuerit menstrua, ac in proximas Calendas creditores usuras stipulari fuerint soliti; quod vero iidem a Calendis ad Idus dilationem concesserint, censentibus ita Viris celeberrimis, id verosimile non credit. Ex ista autem ratione menstrua fluxit *usura centesima*, i. e. centesima sortis portio, singulis mensibus solvenda, a qua reliquæ usuræ sextantium, quadrantium &c. nomen accepere. His expositis, ante Justinianum eum usurarum modum obtinuisse ostendit, ut plerumque centesima fuerit promissa; ultra eam nihil promitti exigique potuisse, viderique illum terminum jure Prætorio præstitutum, in usuris vero officio judicis in b. f. judiciis præstandis, modum ex bono & æquo finiri, ita quidem ut nunquam centesima excedatur, raro autem attingatur. Quare vero usuris modus fuerit præstitutus, cum in æstimatione corporum ac pecunia certo loco promissa, sine termino crescat id quod interest, istum nodum satis, ut putat, difficilem, deinde solvit, ac casus illos, quibus creditori legitimum usurarum modum egredi, i. e. ultra usuras centesimas stipulari licuerit, aliquot capitibus expendit, nec non restrictas Senatorum, fisci ac civitatum usuras, anatocismum veterem, & fructuum ante & post litem contestatam perceptorum usuras adducit. Cum autem varius & incredibilis propemodum usurarum esset abusus, cum manifestus, tum tectus, malo huic medelam adhibuit Justinianus in *l. 26. §. 1. C. de usur.* diligenter & plene Nostro explicata. Tertius liber causis, ex quibus usuræ nascantur aut tollantur, destinatus est. Debentur usuræ vel ex *obligatione* vel *officio judicis*. Illa vel ex testamento vel conventione oritur, dummodo hæc non sit nuda, quæ regulariter obligationem usurarum in causis stricti juris non parit; aliter vero dicendum de bonæ fidei judiciis, in quibus ex pacto contractui incontinenti adjecto usuræ debentur, prolixiori ac per priora quinque capita diducto discursu ista omnia exponente Nostro. *Officio judicis* in bonæ fidei judiciis, ex mora deberi usuras, & quidem vi & amplitudine formulæ hujus *ex bona fide*, censuit Connanus, nec quisquam hactenus intercessit; sed eum falli, ac in libera republica usuras ex sola mora non fuisse debitas, sed ea mutata, primum Labeonem ingenio, ut alias, fretum aliquid hic esse molitum, donec Principes usuras ob moram palam in omnibus b. f. ju-

b. f. judiciis indulserint, Noster ostendit, atque ex hac observatione plures Salmasii errores, circa quendam Polybii locum commissos, notat, Uti vero legata & fideicommissa bonæ fidei judiciis, quoad usuras ex mora præstandas, comparari, ita fiscum usuras quidem accipere, sed ob moram non debere, nisi in privati locum succedat, nunquam vero ante moram usuras in b. f. judiciis solvendas esse, dummodo moram non stricte pro ea, quæ *ex persona* venit, accipias, sed illam quoque, quæ *ex re* esse dicitur, addas, amplius docet, id adjiciens, quod hujus generis usuræ usque in diem condemnationis seu latæ sententiæ saltem currant. Alia ratio est judiciorum stricti juris & arbitrariorum: in illis enim nunquam, ne quidem lite contestata, usuræ officio judicis debentur, in his vero aliquando, non quidem ut usuræ, sed ut id quod interest, præstandæ veniunt. Hæc summa est eorum quæ de causis ex quibus usuræ debeantur, clarissimus Autor disseruit. Postea modos tollendi aggressus, ostendit usuras tolli sortis solutione, etiam præteritas, si saltem officio judicis debitæ fuerint, porro compensatione, novatione, nec non oblatione, obsignatione & depositione, denique præscriptione: seorsim autem, salva scil. sorte, eas perire, si expresse aut tacite remittantur, aut ad duplum sortis seu alterum tantum, in quo computando lapsus est Budæus, perveniant. In toto hoc opere clarissimum Autorem plures juris Romani textus exponere, jam supra fuit admonitum. Major autem eorum numerus est, quam ut a nobis, brevitati deditis, recenseri queant. Speciminis loco nominamus famosam *l. 40. de R. C.* quam luculenta paraphrasi explicat *l. 3. c. 4.* Cumque Paulus *in fin. d. l.* doceat, ita conveniri posse, *ut pecunia ad diem non soluta, usuræ retro ex die interpositæ stipulationis præstantur;* idem vero *in l. 17. pr. de usur.* talem conventionem improbare videatur, hinc istam etiam difficultatem (quam doctissimus Belga Bynkershoekius in libro singulari ad *d. l. lecta 40. de R. C.* supra a nobis pag. 219. seqq. relato, hactenus fere inexplicabilem censuit *c. 14. p. 137.*) Noster docte removet, ostendendo, quod Paulus neutiquam in *d. l. 17.* conventionem memoratam, velut rationi juris repugnantem, improbet, sed quod, cum illa D. Marco in eo, de quo consulebatur, casu nimis dura videretur (quibus de causis, hactenus nihil refert, stet pro ratione voluntas) isque adeo eam temperari vellet, nec tamen temperamenti modum exprimeret, ICtus

noſter ſaltem oſtendat, qua ratione judex imperatoris Marci reſcripto ſatisfacere, ac conventionem iſtam, tum quidem duriorem viſam, rite temperare poſſet. His igitur bene inter ſe convenit: *conventio de uſuris ob moram retro ſolvendis valida eſt*, quod Paulus in *d. l. 40.* dicit; *eam tamen Imperans pro autoritate, qua pollet, aliquando temperare poteſt*, quod in *d. l. 17.* aſſerit. Id etiam ſeorſim admonere liceat, quod Noſter *l. 3. c. 1. p. 188.* promittat, ſe ex *l. 11. §. 1. l. 40. de R. C.* aliisque locis pridem plenius ad edictum de Pactis eſſe demonſtraturum, quod pacta, ſtricti juris contractibus incontinenti adjecta, iis ex parte Rei inſint, & ideo actionem ipſo jure tollant, id quod doctiſſimum Bynckershœkium in peculiari diſſertatione, libro antea laudato adjecta, alias prolixe, nec proleraríe negaſſe novimus.

משנירת
i. e.

MISNA SIVE LEX ORALIS SECUNDARIA, CUM BREVI Commentario קב ונקי *ex præſtantiſſimis libris excerpta a R. ELISA filio R. ABRAHAMI, nepote R. JEHUDÆ & R. MOSIS.*

Amſtelodami apud Caſpar Anton. Stan. A. 457. id eſt Chriſti 1697. in 12. Alph. 1. plag. 4.

ETſi utrumque Judæorum Talmud, Hieroſolymitanum ſcilicet (cujus deſcriptio inter poſthuma celeberrimi Ligtfooti opera nuper comparuit) & Babylonicum, in duas vulgo diſtribuatur partes, quarum una Miſnæ, Gemaræ nomine altera inſignitur; famoſiori tamen ſignificatu utrumque ut & Talmudis nomen, Babylonico imprimis corpori a Judæis tribui ſolet, ita ut ſi Talmudis, Miſnæ aut Gemaræ vocabula ſine addito poſita ſint, de hoc ſolum intelligi debeant. Hujus prior pars, quæ *Miſna* vulgo dicitur, alias Δευτέρωσις ab Epiphanio & Hieronymo, aut ſecundaria Traditio, uti apud Juſtinianum Imperatorem explicatur, vel Documenta & Iterationes, quod Capello aliisque placet, liber antiquiſſimus, utpote a R. Jehuda Sancto ex variis Traditionibus Patrum inde a Moſe obſervatis, circa A. C. 150 collectus, & ſecundariæ poſt divinum Cano-

nonem apud Judæos autoritatis, post varias editiones, partim conjunctim cum corpore Talmudico, partim seorsim, cum diversorum commentariis publicatas, nunc iterum, ob multiplicem, quem Judæis præstat usum, in lucem prodit. In ea adornanda singularem industriam adhibuit R. Elisa fil. R. Abrahami, qui non tantum in hanc minorem formam, ut ubivis ab omnibus teri possit, illam redegit, (cui similis semel tantum prodierat Amstel. A. 429) asteriscos Rabbinorum ac Sapientum halachis sive decisionibus, quæ aliis discrepantibus (v.gr. inter Sammæanos & Hillelianos, R. Meir & Sapientes &c,) præferri debent, subjecit, atque insuper opus in certas sectiones, ut per singulos menses integrum perlegi possit, distribuit; verum etiam notas brevinsculas sensum difficilem explicantes, ex præstantissimis Commentatoribus excerptas subjunxit. E quibus, ut speciminis ergo, unam alteramve saltim hoc loco afferamus, sufficiet, cum ex harum inspectione de reliquis facile quoque judicium formari possit.

Sic quando in Tractatu Berachoth c. I. ad quæstionem, quando oratio *audi Israel* &c. vesperi recitari debeat, Rabban Gamliel respondet, usque ad עמוד השחר (quod nonnulli reddunt *usque dum ascenderit columna auroræ,*) Noster ita exponit, *usque dum apparuerit Lucifer sive stella diurna.* Contra quando eodem loco de eadem oratione mane finienda, R. Eliezer pronunciat עד הנץ החמה (quod Guisius interpretatur, *priusquam emicet Sol*) ipse hoc modo illustrat, *illa bora, qua Sol super montium apices prominet.* In cap. V. n. 6. vocem אסדא, quam Maimonides de *minima navicula*, Guisius de *esseda* explicuit, iste *ratem* exponit; uti cap. VI. n. 3. נובלות de fructibus, qui ex arbore decidunt, antequam maturuerint, intelligi debere ostendit. Porro in fine n. 2. C. I. Tr. Pea, ubi de mensura anguli pauperibus relinquendi deciditur, illam fieri pro magnitudine agri, multitudine pauperum, ועגוה seu proventus ubertate, vocem hanc in quibusdam exemplaribus aliter scribi notat, nempe ועגבה sensu non minus percommodo, id est, pro magnitudine aut parvitate granorum singulorum. Non minus in ejusd. Tr. II. cap. n. I. vocem שלולית optime παραφράζειν *rivum aquæ*, a quo alii rivi potum accipiunt; & n. 6. הזוגות sive conjugata de Schammai & Hillel explicat. Cap. V. n. 3. qui in fine mancus est, ultima verba hoc modo supplet; *quia fieri potest, ut spicilegium cadat de reliquis satis* (intel-

lige

lige, si melica una metatur cum alio frumento, qua ratione pauperes damnum paterentur; quamvis plane alium sensum huic loco tribuat R. Daniel apud R. Nathanem, cum quo facit Guisius. Planum quoque priorum verborum Tr. Demai, quæ satis obscura sunt, sensum reddit הקלין שבדמאי i. e. in re dubia pro re parvi momenti, adeoque pro exemptis nec decimationi obnoxiis habentur השיתין i. e. ficus sylvestres, והרימין i. e. fructus rubi, והזוררין id est cerea pruna, & ficus albæ nempe sylvestres &c. Plura non addimus, quia illis, qui hunc librum aliquo in pretio habent, tantillum otii erit, ut has quoque notas integras perlustrare possint.

CARBOGNANO ILLUSTRATO &c
i. e.
CARBONIANUM ILLUSTRATUM, AUCTORE FLORAVANTE MARTINELLO Romano.

Romæ apud Franciscum de Latur, 1695. in 8. Plag. 6.

INter scriptores Romanos fama inclytos locum non postremum Floravantes Martinellus obtinet, cujus scripta tum edita, tum inedita, in sexta Bibliothecæ Romanæ seu Romanorum Scriptorum Centuria Vir illustris *Prosper Mandosius*, Nobilis Romanus & Ordinis S. Stephani Eques, justo studio recensuit. Delituit tamen hactenus, nec ad Mandosii notitiam pervenit, quod hoc loco exhibemus, opusculum; quippe quod a Bartholomæo Macchiono demum Carboniani, quorsum per otium diverterat, forte fortuna inventum dignumque judicatum fuit, quod additamentis quibusdam suis locupletatum publicæ luci exponeretur. Continet illud Carboniani, non ignobilis in Hetruria villæ, quæ sub illustrissimæ Domus Columniæ ditione est, & ab aëris salubritate commendari præcipue solet, accuratam descriptionem. Ut enim taceamus, quæ de situ loci, Etymologia nominis Carbonianum, grataque aeris temperie, de antiquitate item incolarum, de villæ, quæ sustinuit, fatis, variisque dominis, & similibus aliis doctissimus Auctor tradit, Sanctorum imprimis, qui Christianam Religionem eo in tractu disseminarunt, ac pro ea subire mortem non detrectarunt, nec non clarorum doctorumque virorum, qui Carboniano natales debent, memoriam studiose in eo vindicatam videas.

* * *

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. VI.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE Ecclesiastique des six premiers siecles.

i. e.

COMMENTARII COMPONENDÆ HISTORIÆ Ecclesiasticæ sex priorum seculorum inservituri. Auctore D. T. Tomus III.

Parisiis apud C. Robustel, 1695. 4. Alph. 4. pl. 15.

INstitutum doctissimi viri, Tillemontii, cum nemini ignotum esse possit, & ex iis quoque constet, quæ diximus, cum primum atque secundum operis hujus tomum recenseremus, de eo iterum quicquam commemorare, plane supervacaneum foret. Quare id solum nunc agemus, ut quædam ex iis, quæ in hoc quoque tomo, quo Historiam Ecclesiasticam ab anno 177 usque ad annum 253 complexus est, observatu præcipue digna sese nobis offerunt, delibemus.

In notis ad Theophilum Antiochenum disputat, num commentarius in quatuor Evangelistas, qui Theophili hujus nomen præ se fert, eum omnino agnoscat auctorem, & haud obscure illis, qui hoc abnuunt, subscribit. Locum, quem ex Theophili Antiocheni commentario citet Hieronymus, in hoc quoque reperiri, sed incertum esse, an non forte ab alio eidem sit additus. Accedere, quod Victor, Presbyter Antiochenus, asserat, sibi neminem innotuisse, qui *Not. I. p. 611.*

 in

in Marcum Evangelistam fuerit commentatus, cum tamen iste, de quo sermo est, commentarius in Marcum æque ac reliquos Historiæ Evangelicæ conditores, confectus sit. Quin inveniri in hoc commentario locum ex epistola Cypriani ad Magnum; rursusque exploratum esse, quod Cyprianus nihil unquam ex hoc commentario in sua transtulerit scripta. Labbæum provocare ad Hieronymum, eoque ipso ponere, quod Hieronymus loquatur de commentario, qui hodienum extat, de quo tamen adhuc sit controversia. Victorem Antiochenum dicere quidem, quod Theophilus scripserit in Evangelia, non autem quod in quatuor Evangelia sit commentatus. Cautiorem esse Sixtum Senensem, quippe qui non asserat, quod genuinum habeamus Theophili commentarium. Nec Trithemium affirmare, quod ille unquam sibi visus sit. Halloixium multa afferre loca ex hoc commentario, quæ Hieronymus, uti loquitur, fuerit imitatus, sed rursus dubitari adhuc posse, an non potius Auctor commentarii sua deprompserit ex Hieronymo. Sed concludit tandem, hocce opus non tam commentarium, quam molem confusam & inordinatam esse, congestam & convectatam ex iis, qui antea in
Not. II. p. 612. quatuor Evangelistas commentati fuerant. Libros autem ad Autolycum Theophilo huic recte tribui, hactenus creditum inter eruditos fuit, donec Dodwellus eos in dubium vocaret, eosque non huic Theophilo, qui sextus fuit inter Episcopos Antiochenos, sed alii ejusdem nominis, & quidem recentiori, quippe qui anno 205 scripserit, durante adhuc persecutione Severi, assereret. Sed displicet admodum hæc sententia Tillemontio. Rationem vero præcipuam, qua suam firmet sententiam Dodwellus, hanc esse ait, quod ex ipso hocce opere constet, scriptum illud esse durante persecutione, & quidem ea, quæ excitata fuerit κατὰ τοὺς σπεύδοντας πρὸς ἀρετὴν καὶ ἀσκοῦντας βίον ὅσιον, quod Dodwellus de Origene ejusque sectatoribus interpretatur; ut adeo non possit non intelligi persecutio Severi, quippe quæ prima fuerit, qua istud genus hominum afflictum fuit atque oppressum. Tillemontius contra docet, Severi quoque persecutionem non ad Origenis solum sectatores, sed ad omnes pertinuisse Christianos. Præterea nullam esse caussam dicit, cur non per τοὺς σπεύδοντας πρὸς ἀρετὴν, item ἀσκοῦντας βίον ὅσιον, omnes intelligi queant Christiani, imo quod Theophilus intelli-

telligat, rationibus comprobat: sed cetera, quæ hac de re disputantur, mittimus.

De Irenæo Eusebius dicit, quod rexerit (ἐπεσκόπει) Ecclesias Gallicanas. Hinc Quesnellius, ut Auctor observat, argumentum duxit, quo probaret, unum eo tempore saltem in Gallia fuisse Episcopum, ipsum scilicet Irenæum. Idem Quesnellius, ut porro Noster refert, observat, Eusebium dicere, controversiam de Paschate dijudicatam fuisse ab Episcopis Ponti, & Ecclesiis Gallicanis; quo in loco cum Episcopis Ponti Ecclesias Gallicanas, non Episcopos, jungat, documento iterum id esse putat, non fuisse ea ætate in Gallia Episcopos, præter Lugdunensem: idem denique ex eo evinci, quod in vita Saturnini dicatur, paucas in Gallia fuisse Ecclesias, cum iste Tolosam venisset, quod factum fuerit A. 250. Non deesse tamen rationes ait Tillemontius, quæ hisce opponantur. Namque in more positum fuisse Ecclesiarum fundatoribus, unicuique Ecclesiæ statim adjungere Pastorem, hoc est, Episcopum. Cum ergo concedatur, plures jam in Gallia hoc tempore fuisse Ecclesias, non posse quoque non concedi, plures ibi fuisse Episcopos. Maxime autem videri verosimile, jam Viennam habuisse ea ætate suum Antistitem, cum in literis Christianorum Viennensium ac Lugdunensium, Viennensis Ecclesia in eodem cum Lugdunensi ponatur ordine: qua si non inferior fuit, necesse quoque est, inquit, ut suum Episcopum habuerit. Hinc ergo concludit, vocem ἐπεσκόπει apud Eusebium, non hoc sibi velle, quod solus Galliarum fuerit Episcopus, sed dignitatem solum præcipuam & auctoritatem Irenæi designare, qua tum ob Ecclesiæ Lugdunensis, cui præerat, antiquitatem, tum ob virtutem suam ac sapientiam, fuerit gravisus. Quæ autem Auctor de Episcopis Viennensibus hac occasione accurate commentatur, digna sunt, quæ legantur, sed prolixiora, quam ut mitti in compendium queant. *Not. III. 620.*

Inter ea, quæ minus recte ab Irenæo dicta sunt, a nonnullis & hoc refertur, quod asseruerit, animas impiorum tandem plane in nihilum redigi. Et inter recentiores quidem hunc errorem Irenæo tribuit Du-Pinius, sed invito & reluctante Tillemontio. Irenæum namque piis atque beatis animabus immortalitatem quandam tribuere fatetur, quam deneget impiis, sed talem solum, quam felici- *Not. V. p. 626.*

tatis vocare liceat. Ut enim vita impiorum æternis suppliciis destinatorum, mors potius dicenda est, quam vita: ita contra, vitam beatorum per eminentiam recte immortalitatem vocari. Et hanc esse Irenæi mentem, quippe qui in alio & recepto sensu immortales impiorum animas statuat, productis locis luculentissimis comprobat. Neque hoc tantum eum docere ostendit, quod anima non possit corrumpi & dissolvi in partes, sed quod mori plane nequeat, eo quod gaudeat essentia simplici, imo quod omnis omnino interitus sit expers. Falli quoque Du-Pinium, dum æternas impiorum pœnas ab Irenæo assertas capiat pro pœnis diu quidem duraturis, sed tamen habituris finem, & nefas esse ait, clarissima Patrum verba hunc in modum detorquere. Ut autem Irenæum hunc in modum defendit: ita & Justinum ejusdem erroris perperam a Du-Pinio argui, observat.

Inter Romanæ Ecclesiæ Episcopos hoc tempore celebratur Victor, sub quo magnis animorum motibus agitata fuit controversia de celebratione festi Paschatos. Nec Auctor hanc prætermittit, sed, dum de vita Victoris exponit, & statum quæstionis edisserit, & concilia eam ob causam sub Victore celebrata recenset, & cetera memoratu digna adjungit. Sed ordine rem istam explicare, alterius loci est. Nos singularia quædam decerpemus. Edidit P. Gabriel Daniel, ut tum aliunde, tum ex Auctore constat, A. 1695. novum, uti vocat, Systema de Paschate, in quo contendit, Ecclesias Asiaticas decima quarta Luna non festum resurrectionis, sed passionis Servatoris nostri concelebrasse: festum autem resurrectionis eos celebrasse Luna decima sexta. Enim vero notat Auctor, vocem Paschatis, qua plerique utuntur, utrumque, tum passionis, tum resurrectionis, festum apud veteres designare. Et sane saltem nonnullis Quartodecimanis in more positum fuisse, decima quarta Luna passionis Dominicæ festum celebrare, ex Epiphanio colligi quodammodo posse, non diffitetur Auctor, quippe qui autumet, nonnullos Quartodecimanorum jejunio transigere decimam quartam Lunam. Nihilo secius, quicquid sit de Quartodecimanis seculi quarti, de iis, qui tempore Victoris Papæ vixerunt, & quibuscum acriter tum disputatum fuit, Auctori nostro extra dubium positum videtur, quod decima quarta Luna festum resurrectionis, non passio-

Not. I. p. 629.

sionis Dominicæ celebraverint. In monumentis, quæ de hac controversia tum agitata supersint, nunquam passionis, sæpius contra resurrectionis Dominicæ injici mentionem. Confirmat hoc testimonio Eusebii; eique adjungit Anatolium, in cujus tractatu de Paschate passionis Dominicæ nulla injiciatur mentio, ast de die, quo festum resurrectionis celebrandum sit, eum omnino esse sollicitum, & hanc ipsam ubique Paschatos nomine insignire. In Actis concilii Nicæni nihil occurrere docet, quo lis ista dirimi possit, cum ex illis hoc solum constet, nonnullas Ecclesias orientales eodem cum Judæis die festum Paschatos celebrasse, Patres autem concilii jussisse, ut istæ Ecclesiæ reliquarum potius Ecclesiarum, quam Judæorum, sequerentur morem. Constantinum quidem alicubi asserere, Christum Servatorem unicum solum nobis reliquisse festum celebrandum, diem scilicet recuperatæ a nobis libertatis, hoc est, passionis Dominicæ: ast extra dubium Auctori positum videtur, quod Constantinus hac voce simul festum resurrectionis Dominicæ fuerit complexus. Sed plura hunc in modum Auctor addit, quæ, ut ad alia nunc deveniamus, prætermittimus. Quemadmodum nec reliqua, quæ accurate Auctor de Victore disputat, præsertim de Ecclesiarum Asiaticarum excommunicatione, prolixius nunc nobis commemorare licet. Afferemus potius nonnulla de Clemente Alexandrino. Eusebius atque Hieronymus autumant, Stromata Clementis Alexandrini in octo libros olim divisa fuisse: ast Tillemontius suffragatur potius Photio, librum istum, qui in quibusdam codicibus libri octavi Stromatum titulum gerit, a reliquis plane diversum fuisse contendenti. Nimirum in quibusdam codicibus librum de salute divitum, in aliis librum, qui incipit: Ἀλλ' οὐδὲ οἱ παλαιότατοι τῶν φιλοσόφων &c. septem Stromatum libris adjungi. Et hunc quidem plane imperfectum esse pronuntiat; imo an Clementi huic assignandus sit, ex stilo ejusque obscuritate Clementi ceteroquin propria, Criticæ artis peritis dijudicandum relinquit. Quod autem ad librum de salute divitum attinet, quem Combefisius Auctario tertio Bibliothecæ Patrum inseruerit, certum & exploratum Auctori videtur, hunc eundem esse, qui laudetur Eusebio aliisque veterum. Ab Eusebio quoque, & Hieronymo, Anastasioque Sinaita & aliis, eum tribui Clementi Alexandrino. Nihilo secius in codicibus manuscriptis bibliothecæ

Not. V. p. 651.

Not. VIII. p. 653.

Vaticanæ, ut Auctor observat, tribuitur Origeni, cujus operibus etiam additus fuerit a Gislerio, qui in sermonem Latinum eum verterit. Accedere dicit stilum libri, qui magis simplex illud & clarum dicendi genus, quo usus est Origenes, quam sublime & obscurum Clementis, redolere videatur. Præterea præexistentiam animarum citra ambages a libri hujus auctore asseri, qui fuerit præcipuus fere Origenis error, & qui diserte damnetur in excerptis Hypotyposeon Clementis. Quin videri quoque alicubi auctorem provocare ad librum Principiorum a se scriptum: is autem quod Origenem agnoscat auctorem, satis esse manifestum. Hisce tamen rationibus induci non potest Auctor, ut credat, Eusebium perperam librum istum Clementi asseruisse. Certe stilum Origenis illi cognitum satis & perspectum fuisse, ut rectius adeo, quam quisquam forte alius, hac de re potuerit statuere. Cum autem liber iste oratio sit, quam viva voce pronuntiaverit Clemens, mirum non adeo esse, stilo planiore ac simpliciori, quam in reliquis ejus operibus conspicitur, eum esse conscriptum. Præexistentiam animarum a Clemente non minus quam Origene potuisse defendi: quin contendere nonnullos, in libris Stromatum huic errori eum favere; frustraque adeo esse Combefisium, qui in alium detorquere sensum verba Clementis annitatur. Quod si in libris Hypotyposeon hunc errorem damnaverit Clemens, nihil aliud superesse, quam ut dicamus cum Ruffino, Hæreticos libros Clementis corrupisse. Verborum denique, quibus ad librum Principiorum provocasse videtur, hunc quoque sensum esse posse: qui in principia Theologiæ inquirere velit, eum deprehensurum in camelo latitare mysterium, figuramque ipsius Servatoris nostri Christi. Saltem in libris Origenis περὶ ἀρχῶν non reperiri Auctor docet, quæ ibi referantur.

Not. III. p. 655. Clementi Alexandrino adjungimus Tertullianum. Disputatur inter eruditos, quo tempore libri Tertulliani ad uxorem ab eo scripti sint. Rigaltius putat, ætate jam ingravescente eos esse scriptos, eumque, docente Auctore, sequitur Dalixius in dissertatione de vita & scriptis Tertulliani. Et hunc quidem ideo hanc in sententiam ingressum esse, ut evinceret inde, Tertullianum, Presbyterum licet, vixisse tamen in matrimonio. Provocare eum, ad sen-

sententiam suam confirmandam, ad caput primum libri dicti; in quo tamen nihil occurrat, quod ei faveat, nisi hoc, quod Tertullianus ibi profiteatur, quod ad mortem jam se componat, eumque in finem de rebus suis temporalibus quid fieri velit, constituat. Ast ex eo nihil colligi posse Tillemontius censet, cum Christianus quovis tempore paratus esse debeat, supremum suum obire diem, maxime autem eo tempore Christiani semper ad hoc parati esse debuerint, eo quod mortis periculo semper essent expositi. Quin contrarium, librum scilicet istum a Tertulliano scriptum esse, priusquam Presbyter fieret, ex eo colligi posse, quod, observante ipso Dalixio, uxor Tertulliani eo tempore, quo librum istum scripsit, in eo ætatis flore adhuc fuerit, ut post mariti mortem denuo alii nubere, & liberos parere potuerit. Fatetur interim, tempore Tertulliani nullam quidem de cœlibatu Clericorum extitisse legem expressam, tacitam tamen ex indole functionis sacerdotalis resultantem, semper in Ecclesia fuisse. Addit quoque, ex omni antiquitate vix duo aut tria exempla Presbyterorum, qui in matrimonio vixerint, proferri posse. De reliquis etiam Tertulliani scriptis multa erudite Auctor disputat, & inter alia contra eundem Dalixium & Du-Pinium probare annititur, librum de præscriptionibus scriptum a Tertulliano fuisse, non cum esset hæresi Montanistarum infectus, quod illi putant, sed cum esset orthodoxus. Sed hisce reliquisque hujus generis non immorabimur. Gravioris momenti est quæstio, quam Auctor tractat, de schismate Tertulliani, hoc est, an ab Ecclesia Catholica discesserit, postquam Montanistarum sententiam amplexus est. Affirmare id diserte videtur ipse Tertullianus, dum, *nos*, inquit, *agnitio atque defensio Paracleti disjunxit a Psychicis*. Ast esse tamen nonnullos ait Auctor, qui per Psychicos intelligant Romanos; ut adeo Tertullianus hisce verbis nihil aliud, quam suum a Romana urbe discessum, significaverit. Hisce tamen sequentes opponit rationes: Primo, quod ex ipsis verbis, sermonisque indole patescat, de separatione ab ecclesia, non autem de discessu ab urbe eum loqui. Deinde dubium adhuc esse, an unquam diu Romæ fuerit commoratus Tertullianus: neque ob defensionem Paracleti eam deserere statim necesse habuisset, ut Auctor judicat. Præterea, nulla comprobari ratione posse, quod voce Psychici aliter usus sit Tertullianus,

Not. VI, p. 656.

Not. XIV, p. 662.

lianus, ac ceteri Montanistæ. Jam autem constare, quod Montanistæ Psychicorum nomine omnes, qui illorum placitis locum non relinquerent, designaverint. Et hæc licet ita se habere existimet, profert tamen alium locum, quo diserte profiteri videtur, se post suam ad partes Montanistarum discessionem, in communione tamen cum Ecclesia Orientali perstitisse, & digna quidem verba putamus, quæ & hic legantur: *Cum quibus* (ecclesiis Orientis) *communicamus jus pacis & nomen fraternitatis. Una nobis & illis fides, unus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lavacri Sacramenta. Semel dixerim, una Ecclesia sumus.* Hoc Tertulliani effatum quo pacto cum anathemate, quod Ecclesia vetus in Montanistas pronuntiare solita fuerit, & cum discrimine, quod inter Psychicos & Montanistas ipse Tertullianus fecerit, consistere queat, id quidem se ignorare Auctor profitetur, remque istam judicio virorum harum rerum peritorum submittit. Subjungit denique tabulam Chronologicam scriptorum Tertulliani, quæ in compendio exhibeat, quæ in ipsis notis prolixius edisseruit, quo videlicet tempore quisque Tertulliani liber prodierit.

Inter persecutiones, quibus vexati sunt hoc tempore Christiani, memoratu cumprimis digna est Deciana. De qua cum multa Auctor disputet, nos hoc unicum saltem observamus. Prodiit A. 1664 Tolosæ edictum, nomen utriusque Decii patris & filii præferens, contra Christianos directum, magistratibus quippe inferioribus illorum vexationem injungens. Hoc an genuinum sit, disputatur. Affirmantes, docente Auctore, hac cumprimis utuntur ratione, quod historia Decianæ persecutionis cum hoc edicto accurate conveniat, nihilque in eo præscribatur ab Imperatore, quod non eum plane in modum factitatum a magistratibus, ecclesiasticæ historiæ monumenta doceant. His suffragari nequit Auctor. Etenim quod statim in limine hujus edicti, Decii vocentur *religiosissimi*, *invictissimi* & *triumphatores* atque *piissimi*, hoc moribus hujus seculi neutiquam respondere contendit. Ab iis & illud omnino abhorrere putat, quod additur: *una cum totius Romanæ militiæ Principibus per Senatus consultum magnis & faventibus Diis:* ut & illud: *universis Asiæ, Africæ & Europæ Præsidibus, Proconsulibus, Præfectis sive Consulibus, Rectoribus & Procuratoribus-*

Not. II. p. 699

bus-

bus. Namque an unquam Imperatores usi sint vocibus Asiæ, Africæ & Europæ, ad tres Imperii Romani partes designandas, dubitat: multo minus sibi persuadere potest, eos in edictis suis his vocibus usos esse. Præterea si per Præsides intelligantur generatim provinciarum Rectores, inepte deinceps reliqua Magistratuum nomina subjici: quod si ea voce designentur illi, qui Proconsulibus fuerunt inferiores, rursus inepte eos anteponi Proconsulibus. Sed cujusmodi cetera sint, quæ contra hoc edictum Auctor disputat, hinc intelligere licet. Addimus ergo potius aliquid de Libellaticis, de quibus itidem, Decianam persecutionem enarrans, disputat. *Not. III. p. 702.* Libellaticorum quippe nomine tum illi venire possunt, quibus præfecti aut magistratus dederunt libellum, quo significabatur, eos sacrificasse idolis: tum illi, qui oblato magistratibus libello profitebantur, se sacrificasse idolis fidemque abnegasse, eoque impetrabant, ut numero suppliciis destinatorum eximerentur, idque interdum pro certa argenti summa, etiamsi falsum esset, quod profitebantur. Qua ergo significatione ex his vox illa gaudeat, Auctor dubitat, cum in Cypriano loca deprehenderit, tum priori, tum posteriori significationi faventia. Forte, inquit, utrumque eo tempore receptum fuit. Interim Natali Alexandro neutiquam suffragari potest, Libellaticorum nomine eos quoque comprehendenti, qui oblata certa pecuniæ summa imminens periculum declinarunt. Concedit Noster, fuisse in veteri Ecclesia, qui hac ratione vitæ suæ consulerent, eosque ab Ecclesia ideo non fuisse damnatos, quæ cum Libellaticos, hoc est, fidem Christianam, accepto, aut oblato libello abnegantes, omnino damnaverit, concludit inde, illos non posse sub Libellaticis comprehendi, sed ab iis omnino esse discernendos. Quod autem Natalis Alexander duo genera Libellaticorum constituat, quorum unum abnegaverit fidem, alterum non item, in eo omni prorsus eum destitui ratione pronuntiat. De Cornelio Episcopo Romano verba faciens, non potuit non meminisse schismatis Novatiani, de quo tamen & deinceps ex instituto quoque disserit. De tempore, quo hocce schisma cœperit, dum solliciti sunt eruditi, *Not. III. p. 737.* nonnulli quidem vetus Pontificale Bucherii secuti contendunt, Novatianum jam a Novato seductum, discedere ab Orthodoxis cœpisse, priusquam Cornelius ad Episcopatum Romanum eveheretur.

Et in hac quidem sententia sunt doctissimi viri, Valesius, Pearsoniusque. Noster autem illis adstipulatur, qui post Cornelii ordinationem hoc factum fuisse contendunt, adeoque Novatianum æmulatione erga Cornelium incensum, & hunc in ista dignitate sibi prælatum, ægre ferentem, novam hanc sententiam propugnare cœpisse. Secus namque sentientes per temporum rationes in ejusmodi conjici difficultates, ex quibus vix se expedire queant. Deinde obstare illis ait auctoritatem Paciani, qui non semel & quidem diserte testetur, tum demum, cum Episcopus Romanus factus est Cornelius, schismati funesto originem dedisse Novatianum. Ceterum Baronius auctor est, Cornelium duo Romæ celebrasse Concilia in causa Novatiana, unum quidem eodem anno, quo Episcopus factus sit, hoc est A. 251, alterum anno sequenti. Docet porro idem Baronius in priori Concilio decretum fuisse, ut lapsi sententiam Ecclesiæ in gratiam eos recipientis expectarent, in altero, eos recipiendos esse. Ast hanc ejus sententiam omni prorsus destitui fundamento pronuntiat Auctor, qui Pearsonio adstipulatur, unum tantum a Cornelio congregatum Romæ Concilium asserenti, in quo constitutum sit, lapsos, postquam pœnitentiæ non simulatæ certa documenta dedissent, in Ecclesiam esse recipiendos. Ad tempus autem Concilii hujus quod attinet, Auctor id celebratum fuisse putat, postquam Cornelius in Africa pro vero Episcopo agnitus esset, prius tamen, quam Novatianus ordinaretur. Quam suam sententiam pluribus rationibus, a nobis nunc prætermittendis, confirmat. De Novatianis dum porro ex instituto differit, de eo quoque disquirit, an in Concilio Niceno constitutum sit, Episcopos Novatianorum, si forte ad veram Ecclesiam reverterentur, iterum esse ordinandos. Morinum enim refert Auctor in ea versari opinione, ex decretis veteris Ecclesiæ denuo ordinandos fuisse Episcopos, qui in hæresin aut schisma lapsi ad Ecclesiam redirent, aut non rite in ordinem istum fuissent cooptati. Provocare eum inter alia ad Canonem octavum concilii Niceni, quem paulo accuratius considerandum sibi sumit Auctor. Sancitum autem hoc canone dicit, si Novatiani ad Ecclesiam redirent, recipiendos eos esse, ut post manuum impositionem (χειροθετουμένους) in munere sacro permaneant. Morinus itaque per manuum impositionem intelligit ordinationem, fretus

Not. V. p. 739.

Not. III. p. 748.

auctoritate antiquæ versionis, jussu Concilii VI Carthaginiensis adornatæ, quæ verbum istud vertat per *eos ordinatos*, itemque codicis a Quesnellio editi, qui habeat, *placuit, ut ordinentur*, quo pacto & in Isidori versione legatur, quemadmodum & Ruffini habeat, *sed ordinatione data.* Multos alios Auctores addit Morinus, qui canonem dictum de ordinatione capiant, quibus tamen tantum abest ut Tillemontium in suam pertrahere potuerit sententiam, ut contrarium potius strenue tueatur. Interpretibus plerisque in more positum esse inquit, eum sensum in suis versionibus sequi, qui primum menti illorum sese obtulerit: parumque eos sollicitos esse, num sensus iste præsenti loco sit conveniens. Atque idem illis quoque evenisse dicit, qui canonem dictum Concilii Nicæni de ordinatione fuerint interpretati: idque vel inde colligi, quod juxta consuetudinem Ecclesiæ Latinæ ordinatio ejusmodi Episcoporum non fuerit unquam iteranda, quæ tamen Nicæni Concilii decretis se in omnibus submiserit. Ad Auctores autem a Morino productos sigillatim respondet, &, quam ei non faveant, ostendit. Manuum autem impositionem non statim fuisse ordinationem, sed hic pro ritu peculiari habendam esse, quo Orientales pariter ac Occidentales Ecclesiæ in Novatianis aliisque hæreticis recipiendis usæ sint, docet, idque uberius explicat.

Tandem & de Origene aliquid addendum est: tanta enim ejus est celebritas, tot inter eruditos de eo agitantur controversiæ, ut nefas sit, sicco eum præterire pede. Levia sunt, nec momentum trahunt, quod natus sit A. 185, quod Ebrææ pariter ac Samaritanæ linguæ fuerit rudis, & quæ sunt alia ejusdem commatis, erudite tamen ab Auctore pertractata. Gravioris momenti sunt, quæ de Dialogis contra Marcionem, num Origenem agnoscant auctorem, disputat. Et negantium quidem partibus ut accedat Auctor, multis se inductum rationibus profitetur, quarum præcipuæ sunt, quod constet, & Auctor, quisquis sit, ipse innuat, scriptum istum librum esse sub Principe Christiano, qui idola Gentilium eorumque templa everterit, destruxeritque, & in promovendo Christianismo nihil fecerit reliqui, quod de Constantino M. non possit non intelligi: deinde, quod vox *Consubstantialis* in hisce dialogis sæpius occurrat, unde iterum tuto colligatur, auctorem

Not. I. & III. p. 753. 754.

Not. XIII. p. 760.

vixisse post Concilium Nicænum. Et hisce quidem rationibus inductos, Halloixium, Huetium, & Natalem Alexandrum, tandem concessisse, librum istum ante Constantini M. tempora non esse scriptum, licet Halloixius materiam ejus Origeni, formam & compositionem recentiori cuidam, vendicaverit, meris tamen conjecturis innixus, quæ, cum fundamento destituantur, merito explodantur. Plerosque autem tam claris rationibus vix tamen adduci posse Auctor dicit, ut Origeni hunc fœtum abjudicent, ideo quod Basilius & Gregorius Nazianzenus eum pro auctore hujus libri agnoscere videantur. Sed falli & hos putat, cum locus, quem ex his dialogis adducere videantur, ex libro septimo Demonstrationis Evangelicæ Eusebii ab illis afferatur. Idque argumento certissimo existimat, Basilium atque Gregorium huncce Origenis librum non vidisse, aut eum pro istius auctore non habuisse, cum ceteroquin ex ipso potius fonte, quam Eusebio locum istum retulissent. Atque hoc postquam pluribus confirmavit, concludit potius, Adamantium quendam, qui sub Constantino M. vixerit, pro auctore hujus operis habendum esse. Confirmari se magnopere dicit in hac sententia auctoritate Theodoreti, qui auctores recensens, qui contra Marcionitas disputarunt, Origenem laudat, Rhodonem, atque Adamantium, qui & alibi duos Adamantios, Origenem & alium recentiorem, quorum uterque errores Marcionitarum refutarit, sollicite distinguat. Sed cetera mittimus: atque id saltem adhuc addimus, Auctorem illis quoque suffragari, qui Origenem unquam idolis sacrificasse abnuunt. Epiphanium, qui præcipuus hujus narrationis auctor est, sæpius aliorum relationibus deceptum, falsa memoriæ prodidisse ait. Præterea cum seculo IV & Vto multi eruditi viri acri odio erga Origenem incensi conquirerent, quicquid memoriæ ejus inurere dedecus posset, nullum tamen tum extitisse, qui ejusmodi quid illi exprobraret, quod non fuissent intermissuri, si unquam isto scelere se obstrinxisset. Nec verosimile esse, Alexandrinos sub imperio Alexandri, cujus mater Mammæa Origeni favebat impense, tale quid ausuros fuisse: imo poni a commenti hujus defensoribus, in communi Christianorum vexatione, Origenem ad sacrificandum idolis coactum fuisse, cum tamen eo tempore, quo Origenes Alexandria discessit,

Not. XXII. p. 766.

discessit, Ecclesia Christiana per 20 annos summa gavisa sit tranquillitate. Eos autem, qui Decianam persecutionem intelligant, tot tamque magnis se involvere difficultatibus, quas superare nullo modo queant. Nec tamen his tantum, sed aliis quoque rationibus contra secus sentientes pugnat, & Origenis innocentiam strenue tuetur. Nos autem instituti nostri memores, hic pedem figimus.

NICOLAI CAJETANI AGETA JCTI ANNOTATIONES ad Hannibalis Moles Decisiones Rem Fiscalem concernentes.

Neapoli apud Jacobum Raillard, 1692. in fol. Alph. 16.

HANNIBAL MOLES Philippi II Hispaniarum Regis Consiliarius a latere, & in regno Neapolitano Cancellarius Regens, eam felicitatem consecutus est, ut non tantum per vitam omnem ex rerum gerendarum peritia, & dexteritate, apud Regem æque, ac populum gratiam & favorem singularem promeruerit; sed etiam post obitum perennem sibi famam comparaverit ex tractatu juridico, quo doctrinam de Ærario & Re Fiscali ex decisionibus supremi Neapolitani Tribunalis dilucide exposuisse fertur. Quamvis autem Decisiones istæ post Viri hujus egregii mortem, quæ anno 1595 ipsi obvenit, diu satis & ultra septuaginta annos scriniis domesticis mancipatæ latuerint; postquam tamen ante sex circiter lustra publici juris primum factæ sunt, per Italiæ Provincias facile applausum obtinuerunt. Excitatus hac fama Clarissimus AGETA, Advocatus in supremis Tribunalibus Regni Neapolitani disertissimus, Annotationes ad dictas modo Decisiones concinnavit, easdemque in IV partes distinxit. Ad quarum recensionem nos protinus accingimus, id unicum prius commemoratu forte non indignum præmittentes, Auctorem Clarissimum in opere hoc conficiendo non solum JCtorum conterraneorum commentariis fuisse usum, verum etiam (quod alias Itali, aliique nobis extranei ita in more positum non habere videntur,) Germanorum JCtorum, aliorumque Virorum celebriorum monumenta literaria cum cura evolvisse. Frequenter etenim inter legendum obvios habuimus Schurffium, Modestinum & Hartmannum Pistoris, Vultejum, Mollerum,

lerum, Berlichium, Carpzovium, Brunnemannum, Struvium, Conringium, Rachelium, Pufendorffium, & alia hujus ordinis nomina.

In Parte I Annotationes præcedit *Notitia Practica Ærarii Universalis*, hac methodo elaborata, ut, postquam sub Prænotionum rubricis VI de scriptoribus ad hoc institutum pertinentibus, de ærarii constituendi utilitate, ejusdemque conservatione & aliis, hujus quæ thematis sunt, rebus fusè satis actum, amplissimum deinde ratiocinarium se pandat, in quo de viribus ac reditibus Imperiorum, Regnorum, Principatuum, ac Rerumpublicarum, quotquot earum in Europa, Asia, Africa & America reperiuntur, per partes quatuor & capita dehinc subordinata computatio curiosa instituitur. Quemadmodum autem hoc argumentum ita comparatum est, ut propter recessus, quos habet, secretiores, continuamque status publici mutationem exactæ determinationis illud nunquam capax futurum sit; ita nec Autor noster singulare quid præ cæteris sibi temere polliceri videtur, instituto suo sufficere ratus, si ex selectis Rerumpublicarum Scriptoribus, quorum nomina protinus allegata extant, quicquid hujus rei esset, studiose colligeret, & hac adeo ratione ulteriorem inquirendi ansam lectori cupido porrigeret. Ipsas Annotationes quod concernit, circa illas solæ rubricæ & paragraphi ad Decisiones Hannibalis Moles semet referentes præmittuntur, quibus deinceps Annotationes respondent. Quod si caput existit diffusam magis interpretationem desiderans, per quæstiones numero speciali distinctas expositio procedit. Quemadmodum vero alias in hoc per notas commentandi genere ordo doctrinæ æquabilis semper ac constans servari nequit; ita nec nos ex hoc opere tale specimen exhibere valemus, quod Ærarii Reique Fiscalis jura sub concinna quadam connexione summatim referat. Per saturam, proinde colligimus, quæ in singulis partibus hujus operis notabilia nobis visa. Post Promptuarium illud Ærarii Universalis, cujus modo mentio a nobis facta fuit, in parte prima disserit Auctor potissimum de Immunitate ex privilegio concessa, de Exactione functionum fiscalium, de Adoha, (quæ denotat certam pecuniæ summam a Vasallo solvendam Domino pro redemtione servitiorum) de Dohannarum jure, sub quo nomine veniunt novem redituum

pu-

publicorum seu vectigalium species his titulis; conspicuæ: (1) Jus Plateaticum, (2) Jus Fundici, (3) Jus Anchoragii, (4) Jus Gabellæ novæ, (5) Jus Reficæ, (6) Jus Ponderaturæ, (7) Jus Mensuraturæ, (8) Jus Exituræ, (9) Jus ultimæ exituræ Regni. Exiguntur pensiones istæ secundum numeri præmissi seriem (1) pro rebus in platea venalibus, (2) pro custodia mercium in domo Regia, (3) pro navium transitu, (4) pro rebus, quæ per mare veniunt, & exeunt, (5) pro mercibus mercaturæ & negotiationis terrestris respectu, (6) & (7) pro ponderatione & admensuratione mercium, (8) pro mercibus, quæ exeunt e portu mercimonii causa, (9) pro mercibus, quæ extra Regnum deportantur. Et hæc postrema pensio gravissima, est decimam mercium partem valore adæquans, unde & Jus decimæ appellari suevit. Hæc ipsa capita summatim recensita variæ quæstiones non inelegantes, & ex Jure Romano accurate expositæ, passim distinguunt. Ita satis fuse disceptatur *pag. 257.* Munus recipiendi hospitii an veniat sub immunitate generaliter concessa? *pag 265.* An Doctores LL. sint immunes de Jure communi, a munere hospitii & qui? *pag. 307.* An possint incarcerari cives ob functionum fiscalium debita? *pag. 371.* In quantum Princeps teneatur ad refectionem & extructionem murorum? *pag. 496.* Quando & in quantum merces incidant in commissum ob vectigal non solutum? *pag. 533.* In quantum emtor mercium teneatur ob fraudem circa vectigal a venditore incerto admissum? *pag. 539.* Causa defraudati vectigalis, an civilis sit, an criminalis? Et quæ adhuc sunt aliæ hujus generis quæstiones.

Pars II consimiles prioribus materias continet. Agitur quippe de Immunitate ex Lege scripta ob numerum duodecim liberorum competente, de Jure Civitatis Neapolitanæ acquirendo, de pensionibus & gabellis specialibus, quæ ex macello, ex pecoribus in pascua Apuliæ latissime patentia immissis, ex sulphure, ex cannabe aliisque ex rebus percipiuntur. Fusius porro inquiritur in pœnas, quibus tenentur Officiales, qui pecuniam fiscalem perfide retinent. Et circa hæc capita idem, quod in anteriore parte, institutum servatur. Varias quippe quæstiones per contraria opinionum discordantium suffragia ventilatas cernere datur. Ad hunc modum in disquisitionem venit *pag. 2. & 20.* An immunitas ob numerum duo-

decim

decim liberorum concessa duret morientibus filiis, & an locum habeat, si pater habeat unum filium & undecim nepotes ex altero filio præmortuo? *pag.54.* An infidelis baptizatus gaudeat Jure Civitatis illius, in qua baptismum suscepit? *pag. 57.* Expositi an gaudeant Jure Civitatis illius, in qua expositi tolluntur? *pag. 68.* An si quis in civitate non nascitur, sed filius est civis adventitii, commune cum patre habeat Jus Civitatis? *pag. 84.* An nundinæ & mercatus fieri possint citra immunitatem absque Principis concessione? *pag. 267.* An id, quod dispositum est, quod bona naufragii tempore ejecta possint iterum extrahi citra solutionem vectigalis, procedat, quando bona fuerunt assecurata? *pag. 287.* An Princeps possit privare Officialem solo nutu & sine causa? *pag. 293.* An officia possint vendi a Principe? *pag. 294.* An officia vendibilia sint in patrimonio ementium? *pag.345.* Officiales an & quatenus alios sibi possint substituere; &c. &c.

Pars III hæc potissimum capita evolvit: quid Juris sit circa bona naufragio amissa & rursus extracta, quid Juris sit circa thesauros, circa pensiones a Principe ad vitam concessas. Uberius dehinc ab Autore explanantur duæ ex Jure Feudali depromtæ materiæ de Jure Releviorum, & Revolutione Feudi ad Dominium. Relevium, quod sub Laudemii nomine nobis magis cognitum, est pensio, quam vasallus circa Feudi renovationem Domino exsolvit. In Feudis Neapolitanis hæc pensio ordinaria est, & continet dimidiam partem fructuum illius anni, quo vasallus mortuus est. Circa quæ Feuda illud porro singulare occurrit, quod ob neglectam renovationem investituræ vasallus non amittat Feudum, ut id quidem Jure Longobardico Feudali constitutum; sed Relevium in duplo præstare tenetur. His ergo præsuppositis, quæstiones non inelegantes surgunt *pag.59.* Si anno, quo moritur vasallus, nihil fructuum percipitur ex fundo, an debeatur relevium & quale? *pag. 64.* Si hæres intra annum mortis Vasalli reemit Feudum non ita pridem alienatum cum pacto de retrovendendo, an debeatur relevium? *pag. 70.* In relevio an debeat fieri deductio Adohæ (seu donativi, der Præsent-Gelder,) *pag 72.* An relevium possit exigi a tertio possessore, potissimum quando illud in duplo propter neglectam investituram exsolvendum.

Pars

Pars IV & postrema tales titulos exhibet, qui ad Jus Publicum Hispanicum & ad statum Regni Neapolitani seorsim pertinent. Asseritur quippe prolixe satis justitia tituli possessionis Regis Catholici in Regno Siciliæ circa Pharum. Inquiritur porro tum in Cameræ Regiæ Summariæ per regnum Neapolitanum constitutæ originem & singularem denominandi rationem; tum in officium Præsidentis ac Locumtenentis, eorumque immunitates & privilegia. His ad finem perductis mantissæ loco Responsa & Relationes nonnullæ subjiciuntur, quæ partim Latina, partim Italica lingua conscriptæ ad illustrationem eorum, quæ in anterioribus partibus tradita sunt, apprime pertinent.

THE ENGLISH HISTORICAL LIBRARY PART. II. &c.

h. e.

BIBLIOTHECÆ HISTORICÆ ANGLICANÆ PARS II, exhibens Catalogum plerorumque Historicorum Ecclesiasticorum, cum Animadversionibus Criticis in potiores, ac Præfatione, in qua primæ partis errata corriguntur, defectusque supplentur. Auctore GUILIELMO NICHOLSON A. M. *Archi-Diac. Carleolensi.*

Londini apud Abelem Swalb, 1697. 8. plag 18 ½.

EX quo primam partem Bibliothecæ hujus Historicæ Anglicanæ in Actis Mens. Januar. 1697 Eruditorum conspectui obtulimus, facile augurari licuit fore quamplurimos, qui utilissimo instituto Cl. Auctoris capti, reliquos tomos, quorum spem injecerat, totis quinquatribus nobiscum expeterent. Quandoquidem vero iidem paulo tardius, quam vota publica patiebantur, in oras nostras advecti fuerint, proinde secundum hic loci enarrare ingratiis cogimur, tertii autem recensum Actis anni 1700 vindicabimus.

Hanc itaque laboris sui alteram partem præfatione muniendam existimavit industrius ac de historia patria merentissimus Auctor, tum ut errores typothetarum in priori admissos expungeret, tum quoque ut nonnulla, quæ absoluta ejusdem impressione vel ipsemet observaverat, vel amici detexerant, Auctarii loco illi superadderet. Ex ultimi generis curis quædam delibasse, haud ingratum fuerit. Pag. 16. lin. 7 adnotari jubet, Johannem Marsha-

mum, paucis abhinc annis demortuum, operosum fuisse in concinnando Indice Historico omnium Angliæ oppidorum, quibus ad suprema Regni comitia ablegatos mittendi jus competat, opusque prelo aptum fratri suo Roberto Marshamo reliquisse. Deinde ad p. 81. lin. 2. monet, plerosque Antiquitatum Britannicarum indagatores *Myrdhyno ap Morvryn* (quem a patria Caledonium, a propensione vitam solitariam in sylvis traducendi Sylvestrem, nominant) carmen quoddam, cui titulus *Avallenau* h. e. arbores pomiferæ, ac ipsius Domino *Gwendholen ap Keidio* in prælio Arderithensi anno 577 occiso inscriptum, communibus suffragiis adjudicare. Fragmenta ejus nuper a *Lhwyd* quodam reperta esse, qui originem cognominis Avallonii Poetæ impositi inde derivatam contendit; cujus opinio si veritati innitatur, putidæ fraudis convinci antiquos Monachos Glastonienses, qui studio vatem istum sibi vindicandi, Arturi Regis sepulchrum cœnobiumque suum in insula Avallonia sita esse finxerant. Ad p. 198 lin. 8. R. Bradei Historiam Anglicam Londini A. 1685 in fol. publicatam laudandam suscipit, propterea quod omnium solidissime probasset, jura illa ac privilegia cæterasque immunitates, quibus conterranei sui tantopere glorientur, meræ concessioni & conniventiæ Regum natales suos debere; neque enim illorum violationem ad pristina civilia bella commovenda subditis fomitem ministrasse, sed potius ipsos Normannos satietate servitiorum Vasalliticorum tricarumque Feudalium nefarias ejusmodi turbas concitasse. Ubi vero ad p. 214 lin. 11 Historiæ Edoardi III Regis a Josua Barnesio compilatæ meminit, parcior est in encomiis illi tribuendis, ejusque festinatam maturitatem obstare autumat, quo minus e tanta rerum copia Lector desideratos fructus percipere possit. Observat quoque ad pag. 220 lin. 10 D. Johannem Herdum Historiam Angliæ Edoardo IV & V, Richardo III ac Henrico VII regnantibus Latino carmine condidisse, illamque a privatorum manibus adhuc teri. Hæc atque alia plurima minime contemnenda, quibus tamen prolixius immorari nolumus, ceu primi tomi supplementum Præfatio continet: ea autem, quæ ad accuratiorem notitiam Historiæ Ecclesiasticæ viam planam atque expeditam reddunt, septem capitibus fuse exponuntur. *Primum* sistit Scriptores Ecclesiarum Britticarum post illatam

tam

ram Evangelii lucem præ cæteris conspicuos, e quibus jus προεδρίας Josepho Arimathiensi ex Balæi mente assignandum foret, quippe quem exemplo Apostolorum invitatum varias epistolas ad Ecclesias Britannicas scripsisse, confidenter magis quam vere asseruit. Proximum ab hoc locum vulgo vendicant Lucio Regi, quem literis ad Eleutherium Papam missis, personas sacris ordinibus spectabiles sui subditorumque baptizandorum causa expetiisse ajunt. Verum totam historiolam lubrico talo inniti, Luciumque, utut epistolæ illius autor statuatur, leges potius Romanorum civiles, quam præcepta fidei anhelasse, ex Eleutherii responso Noster patere asseverat; neque plus autoritatis mereri innuit Eluani librum de *origine Ecclesiæ Britanniæ*, ac Medvini *gesta Fugatii & Damiani in Britannia*, quos dicti Pontificis ablegatos fuisse tradunt. Ab his si discesseris, neminem præter Augustinum Monachum res Ecclesiasticas Britanniæ consignasse reperias, cui tamen laus ista quasi invito atque ex pravo intellectu verborum Gulielmi Malmesburiensis obtruditur. Dixeret ille, se nonnulla, quæ primam fundationem monasterii Glastenburiensis tangerent, invenisse *apud sanctum Augustinum, Anglorum Apostolum*; non quod a S. Augustino memorata essent, sed quod in bibliotheca ædis S. Augustini, quæ Cantuariæ est, scrutanti quædam sese obtulerint; quemadmodum similis phrasis occurrit in verbis sequentibus, *apud Sanctum Edmundum*, quæ pariter de bibliotheca Edmundiburiensi sunt accipienda. Non vulgare pretium e contra adjudicat scriptis Dinothi Abbatis Bangoriensis, quorum alterum *Defensorium Jurisdictionis Sedis Menevensis*, alterum *de conservandis Britannorum Ritibus* inscribitur, quæque ad retundendos conatus prædicti Augustini quam maxime pertinuerunt. Seriem monumentorum Ecclesiasticorum hujus periodi claudit *Sanctum Graal*, sive libellus Gallicus de miraculis Josephi Arimathiensis ac vasculo, in quo partem sanguinis a Salvatore nostro effusi collectam olim monstrarunt Glastonienses; qua occasione in etymologiam vocis *Saingreal* Autor prolixius inquirit. Inter recentiores autem, qui antiquitatibus Ecclesiarum Britticarum indagandis operam collocarunt, nominat R. Broughtonum, H. Spelmannum, Jac. Usserium Armachanum, Gul. Lloydium Asaphensem, ac E. Stillingfleet Wigorniensem, quem in *Originibus*

suis *Britannicis* summam judicii acrimoniam atque inexhaustum eruditionis apparatum ostentasse refert. Vitas Martyrum & Sanctorum istius ævi quod attinet, nemo inventus est, qui conjunctim exhibuerit, præter Johannem Anglicum, cui Pitseus librum *de Vitis Sanctorum Wallensium* adscribit, ac Ricemarchum quendam, autorem Martyrologii Brittici inter κειμήλια Cottoniana latitantis haud incertum. Separatim vero extare notat vitas & miracula S. Albani protomartyris, Columbæ, Dauidis, Dubricii, Germani, Kentigerni, Lupi, Niniani, Patricii, Teliau, Ursulæ, Winefridæ, aliorumque, qui Sanctorum dignatione censentur; e quibus Joh. Tynmouthensis plurima excerpta in Sanctilogium Britanniæ conjecit, quod in epitomen redegit J. Capgrave, Provincialis Augustinianorum, patrioque sermone tandem dedit Caxtonius A. 1516, vel in eo altero nobilior existimandus, quod majore fingendi audacia ad versionis laborem sese accinxerit.

In *Secundo* capite Autor noster Historicos Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ ab adventu Augustini Monachi ad invasionem Normannorum usque inclytos conquirit. Cum autem Saxonum conversio in ea tempora inciderit, quibus literarum neglectus cum nimia superstitione jamjam invaluerat, ac Monachorum commenta longe lateque prædominabantur, hinc potiorem partem historiæ istius ætatis e vitis Sanctorum Anglicæ originis, tanquam margaritam e quisquiliis eruendam fore affirmat. Vix enim superesse credit narrationem illam, quam Augustinus de successibus Apostolatus sui in Cantio Papæ Gregorio exhibuisse fertur; unicum ergo Bedam Historici nomine cohonestari posse, atque ab ejus Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum in V libros divisa lucem in caligine esse mutuandam. Usus autem fuit potissimum Chronicis Regum Angliæ ante tempora sua conditis, adjutusque commercio literario, quod ipsi cum aliis in reliquis Heptarchiæ regnis intercedebat, generalem quandam Historiam Ecclesiarum Angliæ conscripsit, ita tamen, ut propagationem fidei Christianæ in Northumbria omnium prolixissime enarraverit. In hoc tam laudabili instituto, illum a partium studio animum non prorsus alienum, Saxonibus quidem amiciorem, Britannis vero subinde iniquiorem prodidisse, multi affirmare non dubitant, quorum querelam nec Autor noster repro-

reprobat. Interim veniam Bedæ concedendam esse declarat, quod miracula paulo ambiguæ veritatis narrationibus suis admiscuit; fecisse enim more ita postulante ac necessitate quadam adactum, quandoquidem istis temporibus nil fere saperet, nisi officiosis hujusmodi figmentis probe fuisset conditum. Cæterum mature satis hoc opus lingua Latina elaboratum Paraphrasin Anglo-Saxonicam habuit, cujus autorem Ælfredum Regem Saxonum vulgo adstruunt, suffragante etiam Hickesi, summo in scriptis hujus idiomatis judice. Ipsius autem Historiæ versionem Anglicam Thomas Stapletonus Doctor Lovaniensis adornavit, cui tamen nimia in Ecclesiam suam propensio sinceri interpretis laudes quodammodo invidit. Richardus Lavinghamus Prior Conventus Carmelitarum Bristoliensis, quem sub finem seculi decimi quarti inclaruisse ferunt, Bedam in epitomen redegit, quam sic auspicatur: *Britannia cui quondam Albion* &c. Omnia denique, quæ in Venerabilis Viri collectionibus habentur verisimilia vel pure Ecclesiastica, cum aliis hujus generis bonæ notæ reliquiis, Henricus Spelmannus, qui indefessæ suæ industriæ veræque pietati majorem longe famam quam equestribus natalibus debuit, in primum tomum Conciliorum compegit, qua in re operam Usserii aliorumque, quorum gratam mentionem fecit, maxime proficuam expertus est. Cum autem tantæ molis opus in humeros suos susceperit, minime mirum videri debet, ipsum in quibusdam gradu parum firmo ac titubante incessisse, cujus exemplum prostat in iis, quæ attulit de *Oswaldeslaw*, quam vocem de constitutione Oswaldi de ejiciendis Clericis uxoratis & introducendis Monachis intellexerat, Autor noster e contra certum territorium, quod *Centuriatum* sive *Hundredum* Angli vocant, Ecclesiæ B. Oswaldi assignatum significare probat. Suadet nihilo secius atque impatienter exoptat, uti laudata Concilia e collectionibus Junianis ac Somnerianis locupletata denuo prælo subjiciantur. Cum vero hæc quoque Epocha peculiarem Sanctorum seriem numeret, hinc ad vitas eorum indigitandas mox digreditur, ac præter Egwinum Wigorniensem, Osbertum Clarentium, Henricum Huntingdonium aliosque, quibus variorum vitas simul exhibere volupe fuit, duos libros Cottoniani musei Saxonica lingua conscriptos præprimis commendat, alterum quidem Ælfricum, al-

 terum

terum anonymum quendam autorem habentem. Proprios Biographos nacti sunt Aldhelmus, Augustinus, Cedda, Cuthbertus, Dunstanus, Edmundus, Elphegus, Ethelbertus, Ethelreda, Frideswida, Georgius, Guthlacus, Johannes Beverleiensis, Marcellinus Neotus, Oswaldus, Swithunus, Wilfridus & Wulstanus, qui ubi vel editi reperiantur, vel inter bibliothecarum tam publicarum quam privatarum anecdota dilitescant, prolixe recensentur.

Tertium caput Scriptores celebriores ab appulsu Normannorum usque ad tempus Reformationis sibi vendicat, in cujus limine Autor statim meminit, atroces illas lites, regnante Stephano inter Archipræsulem Cantuariensem atque Episcopum Vintoniensem agitatas, Juri Canonico & Appellationibus Romam versus januam primitus in Anglia aperuisse, Clerumque in tantæ existimationis culmine subito collocasse, ut sine ejusdem concursu nihil plane sive in aula, sive in bello, expediri posse creditum fuerit; adeoque mirandum non esse, si post illam ætatem Historia patria Clericorum altercationibus rebusque mere Ecclesiasticis scatere deprehendatur. Primo loco nominat Odericum Vitalem, cujus opus inter Normannicos Scriptores Parisiis A. 1619 excusos diu comparuit, atque in anno 1121 desinit; sed duplicis culpæ reum constituit, utpote qui in amicorum encomiis hostiumque vituperiis non modo limites excesserit, verum etiam res magni momenti per transennam quasi pertractaverit, postquam nugis ad Lectorum nauseam inhæsisset. Richardi Plutonis Monachi Cantuariensis Historiam Ecclesiasticam Richardo Duci Neustriæ inscriptam disparuisse quidem ait, cujus tamen jacturam non ambigit, quin resarciant affatim Annales Burtonenses, qui cum aliis Historicis Anglicis typis Oxoniensibus A. 1684 debentur, atque ob selectarum rerum ubertatem fidemque instrumentorum, haud proletaria lectione digni existimandi sunt. Quæ vero iisdem adhuc deesse queunt, supplere asserit *Provinciale* Linwoodi, quod Canonum & Constitutionum Ecclesiasticarum, sub XIV Archi-Episcopis Cantuariensibus, spatio ducentorum circiter annorum promulgatarum, atque ad formam Decretalium sub certis Rubricis, adjecta ubique Autoris Glossa, relatarum farraginem amplissimam continet, & post varias editiones tandem Oxonii A. 1679. emendatius, plurimisque novis Canonibus

Staf-

Staffordi ac Warhami auctius in lucem prodiit. Hujus defectibus succurrere autumat supra laudati Spelmanni Conciliorum Anglicanorum Volumen secundum, quod ab ipso rude atque imperfectum relictum Wilhelmi Dugdalei viri celeberrimæ famæ curas exercuit, sed vel librariorum vel typothetarum supina negligentia tam misere deformatum prostat, ut novam ejus impressionem, quandoquidem Somnerus spongiæ Criticæ jamjam subjecit, non injuria quis expetiverit. Quid de Harpersfieldi, Parsonis, Smithi, Alfordi ac Cressii, (quos emissarios Romanæ Sedis vocat, ad hoc quippe destinatos, ut Anglos ad recens excussam obedientiam reducere conarentur,) statuendum sit, sigillatim Autor perscrutatur. Tandem ad indicandas vitas Anselmi, Edmundi, Gilberti, Goodrici, Hughii, Remigii Richardi Wychensis, Roberti, Thomæ Beketti, quibus radiatum nimbum illa ætas detulit, se delabi patitur, ac recensitis sedecim scriptoribus, qui in ultimi vita ac miraculis consignandis unice desudarunt, Richardum Jamesium inducit, qui solus omnium priorum conatibus illudere & *Decanonisationem Thomæ Cantuariensis* elucubrare sustinuit, quam ipsam ab Oxoniensibus ineditam custodiri affirmat.

In Capite IV Historias Anglicanæ Reformatæ Ecclesiæ usque ad obitum Elisabethæ Reginæ examinat, illarumque agmen ducere ait eam, quam Johannes Foxius, Præbendarius Sarisburiensis, A. 1587 Londini demortuus, Latino idiomate in gratiam exterorum primitus conscripsit, postmodum vero, ubi varias editiones habuisset, tribus tandem voluminibus in fol. Anglice, pulcherrimis figuris æneis ornatam, Londinenses typi A. 1684 reiterarunt. Docet autem ejusdem autorem in eo operam unice consumsisse, ut adversariorum asperitatem ac corruptos mores ab una parte; ab altera vero Reformatorum constantiam ac patientiam in subeundis suppliciis orbi exponeret, adeoque Parsonis & Harpsfieldi stylos contra se armasse. Quin & nonnullis Pontificiorum hoc pacto ansa fuit præbita Reformatos nimiæ sævitiæ coarguendi, ac suorum martyria jactandi, e quorum tribu hic perlustrata memorare liceat Thomam Worthingtonium, qui libellum edidit inscriptum: *Catalogus Martyrum pro Religione Catholica in Anglia occisorum ab anno 1570 ad annum 1612*; brevem quidem illum, sed vel eo nomine legendum, quod Seminariorum Anglicorum trans mare con-

conditorum statum atque incrementa enarret. Majorem strepitum effecit Nicolai Sanderi, Professoris quondam Juris Canonici in Academia Oxoniensi, dein Nuncii Pontificii in Hibernia, liber *de Origine & Progressu Schismatis Anglicani*, adauctus postea ab Edv. Rishton, in quo Elisabetham Reginam atrocibus calumniis oneravit. Cum autem ea vivente nemini integrum fuerit istud scriptum refutatione quadam comprimere, spe nimirum concepta fore, ut tam putida figmenta citius evanescerent, inde tantum autoritatis suffragiique tulit, ut & Gallico & Hetrusco sermone comparuerit, quod tamen rursus amisisse Autor confidit, ex quo Burnetus illud ad censoriam virgulam revocavit. Præter Twisdeni Vindicias Ecclesiæ Anglicanæ ratione Schismatis, nec non Spelmanni apparatus indigestos ad tertium Volumen conciliorum elaborandum, Th. Fulleri quoque ac P. Heylini labores ventilat, eorum defectus exacte notat, tandemque Reverendissimi Gilberti Burneti, qui Cathedræ Sarisburiensi summa cum laude præest, Historiam Reformationis duobus tomis comprehensam ab eloquii gravitate, rerum pondere, industriaque in colligendis instrumentis plane admiranda prædicat, illamque, quicquid demum Varillasius, le Grand, Lowth, ac personatus quidam Harmer obstrepere conati fuerint, absolutissimam pronunciat. Præclare quoque sentit de ejusdem Synopsi; nec minus monumenta illa, quæ Archi-Præsulem Cranmerum concernunt, atque a Strypio nuper publicata fuere, suas laudes, ubi ab editoris immodico pruritu res heterogeneas infarciendi recesseris, utique sibi vindicare putat, quippe quæ multa abstrusa atque incognita in lucem protraxerint.

In Capite *quinto* Autor Historias generales Episcoporum & Cathedralium Ecclesiarum oculo non fugitivo percurrit, adductisque iis, qui vel Britannicorum, vel Saxonum, vel proximioris ævi Præsulum vitas exposuisse asseruntur, publicum autem conspectum nondum subierunt, Francisci Godwini Commentarium de Præsulibus Latine editum recenset, quem, licet ob sermonis puritatem aliis commendet, impudentissimi tamen plagii creberrimæque in rebus Chonologicis cespitationis reum insimulat, adeoque Whartoni Angliam Sacram, nec non Athenas Oxonienses Woodii multis illum partibus superare contendit, integramque historiam Episcopa

ſcopalem, ſi cum Cottonianis & Bodlejanis reliquiis junganfur, inde parari poſſe, modo idonei architecti copia detur. Hac occaſione Lectorem inſtruendum arbitratur de invectivis ac libellis diffamatoriis, quibus aliqui Epiſcoporum ordinem famamque dilacerarunt; ſed multo operoſior eſt in referendis Scriptoribus ſingulorum Præſulatuum, juxta alphabeticum ordinem locatorum, ubi tam editos, quam ineditos, diſtincte memorat, quo fati genere perierint enarrat; præcipue autem Carleolenſis Eccleſiæ calamitatem conqueritur, quæ continuis Scotorum invaſionibus olim expoſita, ultimisque motibus quoque agitata, omnium fere regiſtrorum aliarumque chartarum jacturam fecerit. Abſoluto itaque hoc penſo, Autor noſter in capite *ſexto* illis Scriptoribus enumerandis, qui vitas quorundam duntaxat Præſulum ac virorum meritis in Eccleſiam illuſtrium poſteritati reliquerunt, unice inſiſtit. Lubentiſſime equidem largitur, Epiſcoporum nomina recentioris ætatis ſanctorum Catalogo aut Faſtis inſerta minime legi, prout illud ævum, quod invaſionem Normannorum præceſſit, talium oppido quam fuit fertile; ſinceram attamen probitatem ac ſingularem in rebus gerendis prudentiam eadem in fulgida celebritatis luce conſtituiſſe. Exorſus autem ab Archi-Epiſcopis Cantuarienſibus, qui tanquam Papæ alterius Orbis Britannicas Eccleſias moderati ſunt, eorum vitas, modo accuratos ſcriptores habuerint, potiorem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem ſuppeditare judicat. Verum enim vero hic perpaucas ſupereſſe non immerito dolet, Simonis ſcil. Sudburii vitam a Guliel. Charthamo; Henrici Chichelei ab Art. Duckio; Johannis Mortoni a Buddeno expoſitam. Quæ Parkeri conſecrationem reſpiciunt, Franciſc. Wilſonum & Bramhalum promachos habuerunt, qui phantaſtica adverſariorum figmenta maſcule diſſiparunt. Whitgiffti conflictus cum Non-Conformiſtis, prout vocant, a Georgio Paulo celebrantur. Inter Præſules autem Metropolitanæ ſedis, quæ Eboraci eſt, natalium virtutumque ſplendore promeruiſſe refert Godfredum Plantagenetum, filium naturalem Henrici II, ut Gyraldi Cambrenſis; Richardum Scroopium, ut Clementis Maydeſtonii; Wolſeum Cardinalem, ut Cavendiſhii aliorumque ſcriptis nobilitarentur. Poſthinc Epiſcoporum ac Clericorum inferioris ſubſellii vitas prolixo agmine oſtentat, e quibus

Gulielmi Pateni, cui Waynfleti agnomen fuit, Wintonienfis Ecclefiæ Præfulis, a laudato Buddeno; Bernardi Gilpini, Rectoris Houghtonienfis, ab ejus difcipulo Georgio Carltonio, Epifcopo Chichefirienfi, contextam docet, ac pofteriorem inprimis ob puritatem Latini fermonis extollit.

Caput *feptimum* de Hiftoriis, Chronicis ac Tabulariis Monafteriorum Angliæ infcribitur, in quo Autor monachalis induftriæ encomiaften agit, quippe cui accepta referenda fit integrior notitia Genealogiarum Nobilium Familiarum, Infeudationum terrarum, Confuetudinum ac Statutorum localium, Feudationum ac Dotationum Ecclefiarum aliarumque rerum, quæ, fi illa defeciffet, fpiffa caligine obvoluta confpicerentur. Inde quoque eveniffe ait, ut illæ Ecclefiæ Cathedrales, quibus Monachi olim poffeffores obtigerunt, fuam hiftoriam cæteris longe perfectiorem legant. Extare autem alicubi meminit narrationem de Benedictinis a tempore Edgari Regis usque ad Normannorum irruptionem, ficque prima incunabula iftius Ordinis in Anglia detegere. Exiftimat enim, primos Monachos Saxones ignoraffe plane regulam S. Benedicti, & fub difciplina potius vixiffe inducta ex Hibernia, diverfiffima plane ab ea, cujus S. Dunftanus autor fuit. Sub Normannorum vero regimine multi de Monafteriis ex profeffo egerunt, quorum tamen opera vel difparuerunt prorfus, vel in chartophylaciis adhuc reconduntur; qua forte in Collegio S. Benedicti Cantabrigiæ adhuc fruitur illud Gul. Buttoneri five Buttonii de Civitatibus, Monafteriis, Abbatiis, deque longitudine & latitudine eorum. Verum omnium Ordinum, quotquot in Angliam unquam admiffi fuerunt, monumenta atque indices, qui quidem interitum effugerunt, Dugdalei & Dodsworthi adunata fedulitas in Monafticon Anglicanum tribus voluminibus digeftum conjecit; quod cum mole fua quodammodo laborare vifum fuerit, Cl. Tannerus fe invitari paffus eft, ut Notitiam Monafticam, quæ breviarii vicem fuppleret, inde concinnaret, in qua tamen multa noviter detecta addidit, ac Lectori, penes quem delitefcant, indicium fecit. Qui vero anguftioribus terminis fefe continuerunt, peculiares quorundum Ordinum, inprimis Benedictinorum, Ciftercienfium, Canonicorum Regula-

gularium, Minorum, & Carmelitarum, historias separatim moliti, exacte quoque ab Autore recensentur.

In capite *octavo* æqua lance expenduntur Academiarum Historiæ, & Catalogi eorum, qui libris scriptis inibi inclaruerunt. In primordio autem salse perstringendum sibi sumit inficetum calorem Antiquariorum utriusque Universitatis, qui ut natales suarum nutricum ab antiquissimis seculis accersere possent, licentiam quævis comminiscendi, insipidisque Declamationibus atque Apologiis sese mutuo proscindendi, quasi præconis vox apertum bellum indixisset, sibi datam crediderunt; quorum tamen insulsissima commenta cum nemo cordatus concoquere queat, media via tutius incedere eos, qui Bladudem Regem primæ Universitatis Stanfordiensis fundatorem, indeque colonias quasi Oxonium & Cantabrigiam deductas fuisse opinantur. Qui seposito partium studio ambarum Academiarum origines modeste investigandas sucepit Joh. Rossius, Historiæ suæ de Regibus Angliæ tale quid admiscuit, & Lelando judice peculiarem libellum hac de re conscripsit, qui & ipse de Academiis Britannicis Commentarium prælo paratum habuit, æmulumque Joh. Pitseum nactus est. In eadem quoque palæstra Robertus Harius, Joh. Stowius, ac Robertus Burhilus sese exercitasse dignoscuntur. Diversissimum tamen institutum plurimis cordi fuisse, eosque, cum sorores rivales libido de senioratu inter se digladiandi incesseret, alterutrius castra potius sequi maluisse, istaque ratione omnia veteris ævi monumenta ad probandam Academiarum ætatem inservientia impensius conquirere, studiumque domesticarum antiquitatum conterraneis suis instillare cœpisse, Autor edisserit. Quod enim Oxonienses in præsenti voluminibus viginti & uno, quæ farraginem Manuscriptorum pro vetustate sua militantium continent, gloriari queant, fructibus belli hujus literarii annumerandum esse; omnium vero maxime authenticam reputari famosam illam Historiolam Oxoniensem unicæ tantum pagellæ in octavo, ut vocant, inscriptam, cujus summa est, Brittones Academiam condidisse Grekeladii, eandemque Saxones postea Oxonium promovisse. Ex hisce fontibus palmaria argumenta hausisse censendi sunt Thomas Key, Brian Twine, Leonardus Hutton, Fulman-

 nus

nus aliique, qui almæ suæ matris dignitatem ac præcellentiam magna animi contentione stabilitum iverunt, quibusque contribules adjunxeris Isaacum Waakium & Albericum Gentilem; quorum ille Regem Platonicum occasione adventus Regis Jacobi I, ejusque receptionis in Universitate Oxoniensi, hic laudes Parisinæ atque Oxoniensis Universitatis in lucem emisit. Sed nulli potiori jure laurea debebitur, quam Antonio Wood, qui priores in eodem stadio secum currentes non modo æquavit, verum etiam longissimo intervallo post se reliquit in Historia & Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis. Lingua equidem vernacula hoc opus elaboraverat; postquam vero Curatores Typographei Sheldoniani nonnullorum operas conduxissent, qui in Latinam converterent, de pravo verborum suorum intellectu ac perversa immutatione graviter conqueri habuit. Quod ad Cantabrigiensem Universitatem attinet, & hæc quoque Historiola sua non destituitur, cujus tenorem hunc esse fuerunt: Gurguntium Regem plagas Britanniæ Orientales Cantabro, natione Hispano, tradidisse, qui Athenis, ubi studiorum forte causa olim vixerat, Anaximandrum atque Anaxagoram veteres suos sodales Cantabrigiam evocaverit, ut ibidem Philosophiam docerent. Eandem autem esse hanc cum *Historia Cantabrigiæ*, cujus Nicolaus Cantelupus e Wallia oriundus & Prior Carmelitarum Northamptoniæ, A. 1441 mortuus, autor asseritur, Usserio persuasum fuit. Cæterum Johannes Cajus, Archiater Mariæ Reginæ, vir ingentis doctrinæ & Collegii cognominis fundator munificentissimus, de antiquitate Cantabrigiensis Academiæ duos libros divulgavit, in quibus nutricis suæ venerandam canitiem ab Arturo & Cadwalladero Regibus non solum deducere, verum etiam Oxoniensium splendorem opinione hominum inveteratum convellere satégit. Ampliora adhuc meditatus esse videtur, sed quæ in vulgus haud exierunt, & Cottonianam gazam fortasse locupletarunt. Quamvis autem ad simile quid audendum plures ingenii vires intenderint, eos tamen omnes, cum reliquis suæ partis asseclis, otium suum longe utilius impensuros fuisse Autor noster judicat, si repudiato furore eristico, Virorum literarum cultura celebrium, quos utraque Universitas produxit, catalogos concinnassent, ac perennem eorum memoriam ad posteros propagando, exteris inprimis indi-

cas-

essent, tot collegiorum alumnos liberalitate suorum Mecænatum dignissimos extitisse, atque eruditorum copia Angliam semper affluxisse. Sed pauci admodum huic penso invigilasse leguntur. Primum, qui Historiam Scriptorum Angliæ molitus fuerit, Autor laudat Joh. Bostonium Monachum Edmundiburiensem A. D. 1410, a quo proximum nominat Lelandum, inde Balæum, post Pitseum locat, quorum alter alterius scrinia expilavit, omnes vero a Bostonio sua mutuati sunt. Pulchre satis atque exacte duorum seculorum Scriptores recensuit supra commendatus A. *Wood* in Athenis Oxoniensibus ante hos octo vel novem annos foras emissis, cujus vestigiis cum Autor Doctissimum *Tannerum* summa diligentia inhærere Lectori denunciet, hanc partem Historiæ Literariæ Anglicanæ olim consummatissimam fore, confidentius auguramur.

RICHARD BAXTERS NARRATIVE OF THE MOST MEMOrable Passages of his Life and Times.

i. e.

RICHARDI BAXTERI RECENSUS MEMORABILIUM VITÆ suæ, rerumque ejus tempore gestarum. E MSCR. Baxteriano edidit MATTHÆUS SYLVESTER.

Londini apud Th. Parkhurst, J. Robinson &c. 1696. in fol. Alph. 4, pl. 13.

MAgnum est Richardi Baxteri nomen, & ob ascetica præprimis, quæ innumera fere ab eo edita, & alibi quoque non sine adplausu excepta fuere, scripta celeberrimum. Is Vitam suam, non integram licet, variam tamen & multiplici fortunæ lusu insignem, ipse concinnavit; & ea simul, quæ vel ipse vidit, aut quorum pars magna fuit, sed instar rhapsodiæ compilata, ab A. 1615 ad Annum Præf. b. 2 1684 præsenti volumine comprehendit. Ipsum vero librum duabus partibus absolutum Henrico Ashustio dedicavit Matthæus Sylvester, Baxteri in præconio Evangelii Collega, quemque a Baxtero & Boyleo ultimæ voluntatis executioni destinatum, ob candorem incredibilem, fuisse memorat. Præmissa est Concio ab eodem Sylvestro ad II. Reg. II, 14. in funere Baxteri habita, cujus ex hac vita decessus in VIII diem Decembris, A. 1691, horam 4 matutinam,

diemque Martis, quam excelsam sibi diem prædixerat, incidit. Videas in ea oratione de τῶν LXX ἀπϕῶ erudite disquiri; laudari item Baxterum ab abstinentia, vita undique in exemplum composita, parsimonia temporis, beneficentia, quod cumulatim, non denariatim, dederit; patientia in persecutionibus, exquisitissimis etiam corpusculi doloribus, ubi ut valeret, rogatus responderit, *rectius sane, quam mereor; imo optime; doleat caro, vincat modo spiritus.* Sæpe etiam dierum aliquot secessus quæsivisse narratur, ut æternitati vacaret, & ad beatam se ἀνάλυσιν pararet. Carceres sustinuit haud unos: semel, quum Paraphrasin Notasque in N. T. evulgasset; alibi, quod conventicula celebrasse diceretur, A. 1669 XI Junii carceri per semestre integrum mancipatus fuit; tandem &, ob privatum Verbi præconium, in famosum Londinensem carcerem, qui nonnisi furibus homicidisque patere alias solet, missus, Divina tamen, quod gratus prædicat, ope, & eorum, quorum nomina recenset, beneficentia refocillatus. Staturæ fuit longioris,
P. II, 60, Præf. p. 16. sed corpore macilento & haud parum inclinato; vultu ad gravitatem, humanitate temperatam, composito; oculis micantibus; sermone distincto, & a fuco plane omni alieno. Magnus regundorum affectuum artifex, & eorum, quæ dicere interesset, accuratus pensitator: extemporaneus tamen, ubi necessitas exigeret, ad populum orator, ut qui hoc inprimis ad Ecclesiæ Ministrum requiri noverat, ut firmum atque cohærentem Theologiæ typum animo inscriptum teneat; humilitatis item exemplum in eo singulare, quod oblatam a Carolo II ad altiora promotionem sponte recusaverit.

Singulis diebus Solis ac Jovis conciones habuit in ædibus Carthusiano nomine insignibus; donec ob calculi nimios dolores, infirmitatemque corporis, domi suæ detentus, libero auditoribus aditu concesso, Scripturas quotidie explicavit, nemine prohibente, Act. XXVIII. 30. Placide autem eo, quem jam diximus, die obiit, editis inter alia pro Civitate Londinensi suspiriis: *Miserere o Domine!*
p. 16. *Miserere, Miserere ignorantiæ hujus miseræ Civitatis.* Ad Sylvestrum vero suum hæc fuere ejus ultima: *Doceat Te Dominus artem moriendi. Hoc voveo, hoc precor.*

Cæterum multa Eruditis hoc ipso in opere obventura existima-

ſtimamus, quæ eximiæ ſunt frugis: plura tamen, quæ ad inteſtinas alibique jam fuſe deſcriptas Anglorum, quoad Eccleſiæ regimen, lites attinent. Ita memorabile eſt Caroli II R. Mandatum ad Archiepiſcopum Eboracenſem D. Frewenum nec non alios XII Epiſcopos ex una parte, ex altera vero ad Baxterum & ſocios, ut collationem de Libro Communium, ut vocant, Precum (*of Common-Prayers*) utrinque inſtituant: cui quidem mandato ita Epiſcopi paruere, ut loco adſignato convenerit, a Presbyterianis primo omnium rationes diſſenſus audire deſiderarint, negantes ſe quidquam ante dicturos, quam non ipſi, ſed Presbyteriani, conventum flagitaverint. Addit, ſe Fratribus ſuis Presbyterianis dixiſſe, non aſſentiri ſe illorum ſententiæ poſſe, quaſi liber iſte idololatricus eſſet, aut ad Papiſmum manuduceret; nec ſe quidquam in eo deſiderare, *niſi quod male ſit ordinatus*, nec omnia ad cultum Dei neceſſaria contineat. Mirum, quod inter alia Presbyterianorum nonnulli ter repetitas in Litania voces, *Kyrie eleiſon*, tautologicas eſſe dixerint. Multum quoque a ſuis pati neceſſe habuit Baxterus, ob *aſſertam Redemptionem univerſalem*: itaque injurias recenſet, queis a Piercio fuerit affectus. Monet quoque, ſe belli inteſtini tempore, cohorti Wallejanæ in militia Cromwellii ſacrorum Miniſtrum fuiſſe datum: coram Cromwello, jam Protectore, unam habuiſſe concionem ad 1. Cor. 1, 10. ab quo & accerſitus, deque libertate conſcientiæ ſententiam dicere juſſus fuerit. Cromwellium, primo Capitaneum, neminem inter milites ſuos admiſiſſe, niſi quos vitæ probitas morumque innocentia commendaſſet: itaque neminem ab ipſo aut militibus ejus læſum, quippe qui ſe non pecuniæ, ſed patriæ defendendæ cauſſa bellare dixerint. Sparſam mox de eorum pietate ac fortitudine famam id effeciſſe, ut provinciæ tum unitæ Cromwellum ſibi ducem flagitaverint, militumque numerus, qui intra centum ſe hactenus continuerat, in bis mille, eosque pariter ſelectiſſimos & probiſſimos quosque excreverit. Cromwelli bonam initio intentionem fuiſſe, tueri probos & publicam promovere ſalutem, ſed non absque proprii commodi aut gloriæ ambitu.

[Margin notes: P. I. p. 305. — 307. — 308. — P. II. p. 206. — 52. — P. I. 89.]

Ubi prætermittendum forſan haud eſt, quod *Sylveſter* de Cromwello memorat, ipſum Regni a Papatu & ſervitute præſervatio- [Margin: Præfat.]

tio-

vationem factis suis prætexuisse: multa se de Protectoris & totius familiæ ejus pietate, strictoque ac exacto vitæ genere, de odio adversus improbitatem ac dissolutos præcipue mores audivisse: quod quidem ipsum vivendi genus *posteri ejus* inter *Britannos hodie super-*
P.II. 61. *stites* egregie exprimant.

Anno 1669 Baxterus libellum scripsit Rationum pro Religione Christiana, quod Gassendi & Hobbesii Philosophiam late serpere videret: quam ipsam ob causam quoque eidem Appendi-
62. cem de Immortalitate Animæ adjunxit. Caussam item retractati a
72. se libri Aphorismorum Politicorum recenset, quæ fere una fuit, quod tantos ob eundem insultus sustinere, & experiri suo damno coactus fuerit, *melius esse Theologo, non immiscere se negotiis status*
75, 76. *aut politicæ*, sed Divino unice provisui hæc talia commendare. Anno 1670 a Comite Lauderdalio vocatus est in Scotiam, optione data eligendi vel episcopatum, vel academicam functionem, vel aliud in Ecclesia munus. Noster vero diversis motus rationibus, Angliam deserere noluit, eo uno se contentum fore professus, si carcerum metu liberatus, Comitis auctoritate liberam in Anglia concionandi facultatem obtineret.
II. 76. Multa etiam de Vanist's, ab Henrico Vanesio dictis, (quo de id memorat, ipsum reducto jam ad patrium imperium Carolo II, coram Parlamento caussam Cromwellii animose dixisse, & magno mox animo supplicium sustinuisse, ut pronunciet Baxterus, neminem majore constantia aut hilariore vultu mortem adire pos-
76. se) multa de Quærentibus & Ranteris, de Quakeris & Bohemistis
77. passim inspergit. Est & lectu non indigna ejus collatio cum Jac. Usserio, Episcoporum placidissimo, de regimine Ecclesiastico tem-
II, 187. perando: itemque Epistola Baxteri ad Com. Orery de generali o-
107. mnium Protestantium unione adversus Papatum. In quo tamen negotio, præter alios, & Stillingfleetum nactus est adversarium, qui
188. vulgatis contra Baxterum scriptis eum schismaticum & separatistam
II, 189. esse contendit. Obiter ibidem monet, se novercam habuisse, annos prope centum natam, suis in ædibus mortuam: socrum autem suam pientissimam ætatis annum XC attigisse. Recensentur & va-
I, 107. ria Auctoris scripta, Aphorismi de Justificatione & de Fœderibus:
108. de Quiete æterna: de Baptismo infantum e S. Scripturis demonstrato:

strato: Vera Methodus ad pacem conscientiæ: de Peseverantia fi- I. 108.
del'um: Confessio Fidei: Directiones ad Reformationem Eccle- I. 109.
siæ: de Catholica Unitate: de Religione Grotianaadversus Pier- I. 111.
cium: Disputationes quinque de Jure Sacramentorum: Gildas Sal- I. 113.
vianus, seu Pastor reformatus: Catechismus Quakerianus, de ab- I. 116.
negatione sui: Clavis Catholicorum: Disputationes quinque de
Regimine Ecclesiastico: de Republica Sancta: Disputatio de uni- I. 118.
versali Redemptione, *contra Calvinum & Bezam*: Historia Concili-
orum: Liber familiis pauperum inscriptus, qui & Germanice I. 123.
prodiit: de Catechisatione domestica, & complura alia. Adjectæ III. 181.
sunt Epistolæ nonnullæ ad Baxterum, quas inter eminent Amyraldi- II. 442.
anæ, itemque a Jo. Solicoffero, Ecclesiaste Sangallensi in Helvetia, 444.
literæ, ubi varia de Regimine Episcopali notatu non indigna leguntur.

A CONFERENCE WITH A THEIST &c.

h. e.

COLLATIONIS CUM THEISTA PARS III, IN QUA I. Antiqua de Servatore nostro vaticinia, 2. Christi atque Apostolorum vitæ & actiones, 3 Religionis Christianæ capita ab accusationibus Infidelium vindicantur, auctore GULIELMO NICHOLLS, S. Th. D.

Londini apud Saunders & Thom. Bennet, 1698. 8. Pl. 21.

POstquam primam hujus operis partem in Actis nostris A. 1696. p. 537. seqq. alteram vero A. 1697 p. 367, seqq. recensuimus, tertiam nunc quoque exhibemus, in qua omnem Philologi atque Credentii disceptationem tribus potissimum capitibus contineri, vel ex ipso titulo statim elucet. Primum scilicet Philologus, qui contra veram religionem disputat, sacræque Scripturæ auctoritatem
infringere conatur, Veteris Testamenti de Messia prædictiones in p. 6.
Christum nequaquam quadrare, adeoque inepte a Novi Testamenti Scriptoribus ad eum adplicari adserit, suamque sententiam ex va-
riis Scripturæ locis, inprimis autem ex Gen. 3. 15. Num. 24. 17. Gen. 7.
49. 10. Jes. 7, 14. Jerem. 31. 15. Hos. 11. 1, nec non ex Psalmis, 2. 22. &
72. probare nititur. Verum respondet Credentius Philologo, & 10.

 tum

tum generatim circa prædictiones de Christo aliqua monet, tum
26. singula ab adversario prolata dicta gravibus argumentis vindicat;
quæ tamen omnia ob instituti nostri rationem, studiumque brevitatis,
referre prohibemur. Cum autem exin Philologus Creden-
84. tio nondum concedere velit, sed potius clariora vaticinia exposcat,
omnes hic de Gentilium vocatione vaticinationes Christi tempore
completas urget, easque a Divino instinctu profectas esse vel exin-
de confirmat, quod Prophetæ e Judæorum gente oriundi, qui aver-
sissimo animo a Gentilibus erant, his toties summam felicitatem,
quæ nunc etiam subsecuta sit, annunciaverint. Nec vero, quod
89 Philologus objicit, Vates istos solum conjecturas fecisse, prædicta-
que non nisi fortuito evenisse, ex temporum, quibus illi vixerunt,
90. diversitate, ipsiusque rei, quæ Judæis incredibilis plane erat, natu-
ra demonstrat, ac deinde inprimis loca ex Haggai c. 2. v. 7. Malach.
3. v. 1. Jesaiæ 52 & 53. Danielis 2. 7. 8 & 9. Michæ 5, v. 2. accurate ex-
plicat, atque Credentio opponit. Ille autem dum quærit, cur De-
118. us, si homines de adventu Christi certos reddere voluisset, non
clare atque distincte de eodem eos instruxerit, quod Divinæ sim-
plicitati atque veritati maxime conveniens fuisse ait, sed potius æ-
nigmatibus fere atque oraculis usus fuerit: Credentius fidem po-
tius ex voluntate, quam intellectu profluere; Deum homines non ad
fidem cogere; summæ pietatis esse, in istis Dei promissionibus re-
cumbere, ostendit, tandemque necesse fuisse demonstrat, ut vatici-
120. nationes illæ ante impletionem paulum obscuritatis haberent.

Igitur Philologus secundo vitam atque actiones Christi ac
Apostolorum exagitans, inprimis circa natales Servatoris nostri
122. plurima profert, Celsi apud Origenem lib. I vestigiis fere inhæ-
rens; quæ cum blasphema sint ac plane nefanda, ea hic reticere,
quam repetere satius esse ducimus, potiusque videmus, quomodo
131. Christi actiones idem reprehendat, quas non adeo præclaras vi-
deri sibi ait, uti quidem Christianis vulgo videantur. Eum scili-
cet claudos quosdam atque cæcos valetudini restituisse dicit, cum
contra Romuli atque Numæ gesta longe sint præstantiora, quorum
alter Monarchiæ omnium maximæ fundamenta jecerit, alter vero
132. legibus eandem stabiliverit. Credentius ergo non propterea in
mundum Servatorem venisse monet, ut externo splendore ac ad-
paratu

paratu hominum oculos in se converteret, hominum myriadas trucidaret, civitates dirueret, everteret regna, sed ut insigni beneficentia atque amore totum genus humanum complecteretur; quod vere demum magnificum summaque gloria dignum esse, jure Credentius reputat. Denuo Christum tanquam exemplar virtutum præstantissimum male deprædicari, Philologus instat, qui, cum alios docuerit animi perturbationes frænare, ipse tamen iisdem maxime 136.
indulserit, & aliquando erga Pharisæos ira vehementissime commotus, illos verbis peracerbis perstrinxerit, atque *Væ* illud horrendum super eos toties ingeminaverit. Istam vero Christi iram nulla ratione reprehendendam esse, Credentius monstrat, quem & nunquam, nisi ob graves caussas, commotum fuisse ait, & præcipue eo tempore, cum Pharisæos viperarum generationem adpellaret, eum nihil reprehensione dignum peregisse exponit. Præterea sermones, quos Christus habuit, Philologus carpit, eos a Platonis at- 140.
que Socratis gravitate longe abesse, nec nisi vulgares parabolas complecti judicans; isti autem orationi, qua in monte officia moralia homines docuit, nullas præceptorum inesse rationes; unde præter imperitam plebem, neminem eadem persuaderi potuisse opinatur.
Ast Credentius respondet, Christum hanc per parabolas docendi 141.
consuetudinem, antiquissimam pariter & utilissimam, & Judæos inter valde communem, secutum fuisse, genioque gentis, in qua vivebat, sese accommodasse, quod sciret, Græca illa atque Romana eloquentia se frustra Hierosolymis usurum, qua licet quidam doctiorum Judæorum persuasi forsitan fuissent, populus tamen, cujus curam Christus inprimis gerebat, nihil utilitatis inde accepisset. Christum autem rationes in doctrina sua morali omisisse censet, partim ne auditorum memoriam nimis oneraret, partim quod ob au- 146.
ctoritatem, quam tot miraculis sibi comparaverat, iisdem haud opus esse videret. Et quanquam Philologus neget, parabolas istas a populo facile fuisse intellectas, adeoque absonum esse contendat, morum præcepta tradere, quæ nemo percipiat; Servatorem tamen, quoties ipse moralem doctrinam tradiderit, similitudines intellectu prorsus non difficiles adhibuisse, quoties vero Christianismi mysteria proposuerit, & de Judæorum rejectione, Gentiliumque vocatione, egerit, tantum parabolas paulo obscuriores protulisse, Cre-

150. dentius probat. Ridet quoque Philologus Christi in urbem asino
insidentis ingressum, eumque reprehendit, quod illud Hosanna si-
bi acclamari, vestesque substerni permiserit; attamen Credentius
istud ex Orientalium populorum consuetudine, hoc vero nequa-
154. quam ex arrogantia factum fuisse, ostendit. Nunc veritatem mi-
raculorum Christi Philologus in dubium vocat, eumque tanquam
reliquis hominibus sapientiorem, iisdem falso ea persuasisse credit,
quæ aut nunquam, aut solum fortuito acciderint. Fieri potuisse
infit, ut ægrotus ex opinione, quam de Christi sanctitate atque mi-
raculis habebat, iterum convaluerit; quamobrem fidem firmam a
Christo toties commendari, eumque in patria ob incredulitatem
hominum nulla miracula edere potuisse, quoniam nempe isti fal-
sis persuasionibus, veluti ceteri, occupati haut fuerint. Proinde con-
tra hæc Credentius prolixe disputat, variaque Philologo perpen-
157. denda penitius proponit. Christum nimirum per omnem vitam
tanquam virum vere bonum sese gessisse, in quem ulla fraudis su-
spicio cadere non potuerit: impostores dare operam, ut miraculo-
rum suorum extent testes quam paucissimi, ne fraudes facile elu-
cescant; Servatorem vero & sæpius eodem in loco, & in conspe-
ctu plurimorum sua miracula edidisse, quæ certe ita comparata
fuerint, ut præstigiæ nullum in iis locum reperire non potuerint;
deceptores utilitatis cujusdam caussa dolos moliri; sed ad Chri-
stum, qui & famam, & honores, & opes spreverit, nullos fructus
162. redundasse: in Judæorum gente falsos Prophetas atque homines
fraudulentos mansisse pœnas acerrimas; Christum vero non adeo a
ratione remotum fuisse, ut ob inanem futilemque honorem vitam
suam periculo exponeret; si miracula ejus fraudulenta fuissent, ob
multitudinem eorum, qui omnium conscii erant, ea latere haud po-
tuisse; ipsos denique Christi ac Christianæ Religionis hostes veri-
tatem suo testimonio comprobasse ostendit, quamvis non omnes
167. Divinæ cuidam virtuti illa adscripserint. Ceterum in patria Chri-
stum aut miracula non edidisse, aut non facere potuisse, in sacris
litteris dici Credentius negat, sed non multis eundem in illa ob ho-
minum incredulitatem claruisse, scribi concedit. Quæ verba post-
quam ex Grotii commentariis illustrasset, nulla potius miracula
Christum editurum fuisse concludit, si quidem timuisset, ne falla-
cias

eiae suae detegerentur. Fidem illam antecedentem seu bonam de Christo opinionem nullo niti fundamento ait, eamque potius miracula ejus subsecutam fuisse, quam antecessisse demonstrat. Veri- 168.
tatem miraculorum Servatoris & inde Philologus labefactari credit, quod ipse modo indoctos atque stupidos, piscatores nempe, publicanos aliosque ejusmodi sortis homines, auditores sibi elegerit, non alia scilicet de caussa, quam ut eosdem, tanquam nimium credulos, eo magis ad credendum inducere, nudamque fidem ab iis requirere posset, nec doctrinae suae rationem reddere opus haberet. Ast uti divites Christo non plane defuisse, exemplis Josephi, Nico- 169.
demi, atque Sergii Pauli Credentius evincit:/ita propterea indoctos atque pauperes a Christo vocatos fuisse docet, partim quod hos prae reliquis ad Christianam Religionem aptos existimaret, partim ut Evangelii doctrina per tales propagata eo magis Divina ostenderetur. Equidem fidem praecipuum a Christo doctrinae suae fundamentum constitutum fuisse, non negat; veruntamen praeter illam alia quoque eundem requisivisse, vel ex illa oratione in monte ab ipso habita patere dicit. Quomodo vero homines plebeji 175.
de miraculis, quae in ipsorum oculos atque sensus incurrebant, non aeque ac alii judicare potuerint, idem Credentius non videt. Quae 177.
postea Philologus contra patientiam Christi disserat, quae circa ejusdem resurrectionem porro dubia moveat, quamque diligenter Credentius singula refellat, qui occasione resurrectionis multa de 180.
Apollonio ejusque a Philostrato conscripta historia enarrat, prolixius referre nunc non licet; cum nobis etiam de iis aliqua dicenda sint, quae Philologus, *Celsum* apud Origenem, *Judaeum* apud Limborchium in Disput. cum erudito Judaeo, & *Blountium* in notis ad Philostratum inprimis secutus, contra Apostolos disputat. Illos 208.
itaque viros minus sinceros credit, fabularumque variis figmentis, ut doctrinam Christianam plebi eo magis gratam redderent, orbem fefellisse autumat. Sed cum Judaei atque Ethnici, ipso Apostolorum tempore, eos fraudis convincere non potuerint, id nunc demum qui fieri queat, se non videre Credentius regerit, ipsorumque fidem atque honestatem variis argumentis deinceps confirmat.
Porro cum inter alia evicisset, nullam e doctrina Christiana uti- 211.
litatem ad Apostolos rediisse, plurimasque calamitates ipsos circum- 215.

 stetisse, 218.

stetisse, Philologus quidem hæc abnuit, atque Apostolorum munus
nec omni lucro caruisse, nec tantis periculis expositum fuisse, adfir-
219. mare non dubitat. Præterquam enim quod nihil habuerint, quod
potuerint amittere, id sat præmii eos reputasse ait, quod Divino
Spiritu adflati crederentur, atque a tot sectatoribus submisse hono-
rarentur. Nec dubium esse addit, quin pecuniam in Ecclesiis col-
lectam Apostoli acceperint; fideles quoque bona sua vendidisse, at-
que ad eorum pedes posuisse, in Scriptura legi. In magno autem
periculo eos fuisse, Philologus sibi persuadere nequit; neque enim
eos inter Judæos, sed Gentiles docuisse, neque idololatriam oppu-
221. gnasse dicit. Cuncta hæc refellens Credentius, existimationem, li-
bertatem ac vitam denique Apostolos habuisse docet, quæ nemo
nisi insanus in discrimen mittere soleat; præmium illud honoris
tanto periculo non æquiparandum; collectam pecuniam pauperi-
bus fuisse erogatam, ipsumque Paulum manibus suis vitam susten-
tasse demonstrat. Non ideo Apostolos a Judæis ad Gentiles trans-
224. iisse, ut pericula averterent, sed ne duræ cervicis populum erudi-
endo tempus frustra consumerent. Maxime vero eos a Gentilibus
fuisse adflictos, tum ex epistolis ad Gentiles scriptis, tum exinde
constare probat, quod auditores ad constantiam toties hortentur.
226. Principia Christianæ Religionis tradere, nihil esse aliud, quam ido-
lolatriam labefactare, denique exponit. Postea Philologus Apo-
228. stolorum miracula cum illis, quæ apud Pontificios fieri solent, con-
tendit, tandemque omne Religionis Christianæ incrementum va-
nis quibusdam dogmatibus e Judæorum Cabala atque Gematria hau-
stis adscribit, qui quidem primum ob miraculorum multitudinem,
Christum Messiam esse crediderint, sed deinceps ipsius passione at-
que morte permoti, sententiam suam mutaverint. Testantibus ve-
ro Apostolis eum revixisse, spem de temporali Messia eos resum-
230. sisse ait, quam postea primi Christianismi defensores nutriverint,
dicendo fore, ut Christus aliquando cum fidelibus mille annos in
terris regnaret. Verum Credentius & ingens inter Apostolorum
234. ac Pontificiorum miracula discrimen esse ostendit, & reliqua ad-
versarii argumenta omnia studiose diluit, docens inprimis illam de
millenario regno opinionem ab Apostolis nequaquam originem
duxisse, sed potius a Papia provenisse, qui familiaritatem cum viris
Aposto-

Apostolicis jactans, præter alias doctrinas vanas, & hanc Ecclesiæ obtrudere voluerit. Ab hoc ergo eam accepisse Irenæum, Justinum Martyrem, aliosque doctores, circa finem secundi & principium tertii seculi florentes dicit (quæ enim ex Barnaba in hujus sententiæ favorem adferantur, plane perperam adduci monet) & sepultam quasi deinde fuisse adserit, usque dum ab Apollinari rursus suscitaretur.

Restat nunc, ut quæ Philologus contra dogmata in Novo Te- 236.
stamento tradita excipit, quoque videamus. Primum preces, quas Christiani fundere solent, nullo naturalis religionis atque rationis fundamento niti, magnamque mortalium audaciam esse judicat, de tanta cum summo Numine familiaritate gloriari, ipsisque aliquid quasi præscribere velle. Mundum constanti ac sapientissima regi providentia, quæ hominum vanis precibus immutari nequeat; un-
de pluviam aut serenam tempestatem a Deo expetere, indignum 237.
penitus Christianis esse censet. Deum porro sapientem atque benignum esse, suarumque creaturarum amantissimum: hinc in voluntate ipsius potius acquiescendum, quam importunis precibus eum defatigandum esse putat. Nec Deo ejusmodi blanditias pla-
cere, ipsumve laudes suas lubenter audire credit, cum nemo homi- 293.
num sapientiorum illud sine molestia sustinere soleat. Sed Credentius Christianos, secundum Christi mandatum, cum summa humilitate atque modestia, preces ad Deum fundere, cunctaque ipsius voluntati committere testatur; quod non magis audaciæ esse censet, quam a Principe aliquid rogare, si illud jusserit. Preces, quæ ob pluviam mittuntur, nolle, ut Deus ordinem naturæ invertat;
quamvis enim ordinario ejusdem cursu, certa aquæ copia quovis 241.
die in vapores abeat, pluviamque gignat, Deum tamen pro suo in res humanas imperio facere posse dicit, ut alio in loco copiose, in alio vero rarior decidat; quod ipsum miraculum seu violentam
naturæ perturbationem esse negat. Porro ob promissum a Deo 243.
auxilium preces fundi, easque tanquam tributum ipsi debitum con-
ferri demonstrat, ad quod solvendum ipsa nos ratio ducat. De- 245.
inde dum Credentius illam Christianorum virtutem, quam mortificationem adpellant, reprehendit, & superstitiosam amentiam esse ait illis, quæ Deus nobis concesserit, licite non gaudere, Creden-

tium 246.

tius non modo ſæpius in ſacris literis eandem commendari, ſed
& absque illa neminem ad virtutis faſtigium pervenire poſſe evin-
cit, quo tamen omnes eniti deceat. Noſtras enim adfectiones ita
248. comparatas eſſe ait, ut ſi omnes, quæ licent, voluptates ipſis permit-
tantur, ad illicitas etiam admodum proclives fiant. Polygamiam
quoque male inter Chriſtianos prohiberi Philologus exiſtimat,
quod ea a Deo olim permiſſa, atque communi hominum etiam bar-
barorum conſuetudine recepta, cum ipſa natura maxime conve-
niat, quæ viros magis quam fœminas ad ſobolem procreandam a-
249. ptos reddiderit; cumque muliebris formæ dignitas cito deflore-
ſcere ſoleat, naturam hoc ipſo indicare voluiſſe ait, uxores, ſi ve-
nuſtatem exuerint, repudiandas, aliasque adſumendas eſſe. Cre-
dentius autem noſtrorum temporum longe aliam rationem eſſe
monſtrat, quam illorum, quæ diluvium ſtatim ſubſecuta fuerunt.
Tunc enim orbem iterum hominibus replendum fuiſſe, Deumque
Abrahamo ejusque poſteris polygamiam permiſiſſe ait, ne ad ido-
lolatriam Gentilium, apud quos illa in uſu erat, tranſirent, ſi eos-
dem majori quam ſe indulgentia gaudere animadverterent. Fa-
250. cilius vero eam Chriſti tempore, quo Romani ab iſta conſuetudi-
ne abhorrentes orbi imperabant, abrogari potuiſſe addit, quam
Moſis aut Abrahami ætate, qua apud omnes Gentes obtinebat.
Barbarorum exemplo, polygamiam naturæ convenientem eſſe, non
probari, eamque a Chriſto ideo interdictam eſſe monet, quoniam
251. cum illa animi puritate, quam Chriſtiana Religio requirit, conſi-
ſtere nequeat. Simplex matrimonium etiam cum majori, quam
252. polygamiam, voluptate conjunctum eſſe, præter alia ex Horatii lib.
I. Carm. 13. & Propertii lib. I. Eleg. 15. teſtimoniis confirmat, quos
253. tamen vagis libidinibus non adeo infenſos fuiſſe, neminem fugiat.
255. Virorum erga uxores amorem, decreſcente illarum ætate, ſimul de-
creſcere negat. Polygamiam denique adverſus ipſam adeo natu-
ram pugnare ſtatuit, quæ æqualem fæminarum ac virorum nume-
rum ſuppeditet, adeo, ut ſi unus vir tres uxores duceret, aliis tri-
bus in cœlibatu vivendum foret; ſicque polygamia humani generis
258. incrementum impediri potius, quam promoveri, exiſtimat. Quod
divortium, ob ingeniorum diverſitatem, inter conjuges apud Chri-
ſtianos non concedi ſoleat, etiam Philologus carpit, nullamque ra-
tionem

tionem esse dicit, cur aliquando vir per omnem vitam mulierem
pessimam perferre debeat. Credentius vero & illa, ob quæ tæ-
dium atque odium inter conjuges oriri solent, alia ratione quam 259.
divortio tolli posse excipit, & præcipue incommoda, quæ ex ejus- 262.
modi divortii licentia provenire possunt, summo cum studio urget. 271. 275.
Quæ porro de Christianorum mansuetudine ac humilitate; de ini- 281. 285.
micorum amore, de pœnitentia, de gratia, de sacramentis, de mor- 295. 300.
tuorum resurrectione, de existentia Diaboli, in utramque partem
disseruntur, nunc omittimus, saltim quos circa infernum & vitam
æternam Philologus Credentio scrupulos movet, in medium pro- 304.
laturi. Ridens nimirum illas inferni descriptiones, fabulis eas annu- 306.
merat; pœnarumque infernalium æternitatem cum Dei bonitate 307.
ac misericordia pugnare ait. Nec justitiæ divinæ convenire opi-
natur, crimen aliquod temporarium æternis suppliciis in homini-
bus vindicare, qui hoc modo non corrigi possint, cum tamen De-
us quavis pœna emendationem intendat. Verum Credentius do-
cet, illa, quæ de inferno apud Christianos dicantur, fabulosa haut
esse, ipsaque Gentilium de Tartaro figmenta traditioni cuidam
antiquissimæ atque revelationi Patriarchis factæ, non autem vano
cuidam timori aut superstitioni originem debere credit; quamvis
timorem illum omnium animis inditum, etiam pœnæ ejusmodi ar-
gumentum esse judicet. Pœnarum infernalium descriptiones for- 308.
te improprie solum accipiendas esse putat, licet & proprie easdem
intelligi posse, non penitus neget. Deum non modo misericor-
dem, sed quoque justum esse monet, omissoque argumento, quod
ab infinito peccati objecto desumere Scholastici solent, (quanquam
in eo majorem vim latere dicat, quam Sociniani atque Remon- 309.
strantes vulgo credant) supremum Numen ob culpam temporari-
am jure hominibus æternam pœnam infligere posse probat, quod
& cuivis peccatori ista pœna prædicta sit, & ipsum peccatum na- 310.
turali quodam nisu ad infelicitatem tendat. Jam animam immor-
talem tamdiu esse miseram arguit, quamdiu vitiis inquinata est;
quod si ergo in hoc mundo per Christi meritum a peccatis non
purgetur, ut æternum misera sit, consequens esse concludit. De-
um denique hac quidem in vita homines pœnis adficere ait, ut ad 313.
frugem redeant; verum in altera, ubi finis ille amplius obtineri

non possit, propterea immorigeros pœnis coerceri ostendit, ut Dei justitia, sanctitas, vindictæque gravitas elucescat, omnesque reliqui
314. ad majorem Numinis timorem inflammentur. Cumque tandem Philologus doctrinam de vita æterna aggrediatur, locumque beatorum effectum solum esse dicat, ut vulgus ad studium bonarum actionum eo magis impellatur, cum tamen veræ virtuti deditos ob ipsam virtutem, nequaquam vero ob præmium aliquod bene agere
316. deceat; Credentius nec illam de æterna vita doctrinam somnium aliquod esse evincit, nec eos, qui cum virtute simul felicitatem in actionibus respiciunt, vituperio propterea dignos esse demonstrat, tertiamque hujus Colloquii partem concludit.

DELLE MASNADE ED ALTRI SERVI &c.

i. e.

DE MASNADIS ALIQUIS SERVIS, QUI APUD LONGObardos fuerunt, Discursus epistolaris JUSTI FONTANINI ad Illustrissimum D. Hieronymum de Puppi.

Venetiis, apud Hieron. Albrizzi, 1698. 4. Constat plag. 6.

Cum in instrumentis commentariisque antiquis Forojuliensibus, creberrimam *Masnadarum* mentionem fieri observasset summe industrius ac politiore doctrina præstantissimus Auctor, vocis a nemine hactenus satis enucleatæ etymon attentius investigare susce-
pag. 4. pit. A semetipso enim impetrare haud potuit, ut vel Du Cangii *Masnadam* a *Mansionata*, quæ turbam militum aut latronum anti-
p. 5. quitus significabat, derivantis, vel Menagii, Ferrarii aliorumque a *manu*, qua voce Latinis auribus multitudo quoque venit, deducentium opinioni calculum adjiceret, postquam ex assidua monumentorum veterum perscrutatioe comperisset, sub memorato vocabulo genus quoddam servorum vasallis Ecclesiæ Patriarchalis Aquilejensis honoratioribus proprium occultari. Invaluisse autem existimat elapso seculo undecimo, quo tempore Forojuliensis provincia majore Nobilium, Feudorumque numero abundare cœpit. Neque tamen vocis originem seu Romanis, seu Longobardicis, seu denique Bavaricis legibus deberi, sed a *Manso*, quod fundum
p. 6. denotat, cui colendo familia colonorum sufficit, quodque apud Fran-

Francos *Mas* appellatum fuit, accersendam esse censet. Cum vero constet, servos in Mansis istis interdum perpetuo commorari debuisse, indeque evenerit, ut alia Mansa *vestita*, quibus scilicet certus servorum numerus suppetebat, alia *nuda*, quæ iisdem carebant, dicerentur, hinc non temere arguit, servilis conditionis homines in Mansis natos ac propagatos *Mas natos* vocari suevisse, quos Italici oris suavitas *Masnade* nominarit. Quamvis autem eorum status cum prisca Romanorum servitute confundi nequeat, illos tamen, haud secus ac antiquos servos, neque in judiciis comparere, neque contractus celebrare aut testamenta condere, ullosve actus liberæ facultatis exercere potuisse, sed potius una cum liberis rebusque suis patronorum imperio atque arbitrio subjectos fuisse statuit. De cætero, quin Longobardi, disseminatis per hasce plagas ritibus suis, Masnadarum quoque autores extiterint, non ambigit; quandoquidem inter vasallos Ecclesiæ Aquilejensis idem modus Masnadas e potestate sua in Ecclesia circa altare dimittendi obtinuit, qualis a Longobardicis Regibus olim præscriptus legitur. Hanc manumissionem, a Constantio M. primitus institutam, perfectissimam fuisse, ac manumissis viam ad Clericatus honorem aperuisse, illisque demortuis Ecclesiæ jus succedendi in bona eorum tribuisse, probat. Frequentissime autem servorum manumissiones a seculo undecimo usque accidisse innuit, ubi locum pœnitentiæ canonicæ occuparunt, atque a dominis *pro remedio animarum suarum* non modo, verum etiam *antecessorum suorum, pro peccatis minuendis, pro æterna retributione* receptæ fuerunt. Licet enim in Gallia & Flandria post A. C. 1315, in Hispania post annum 1300, in Germania atque Italia paulo post annum 1200, nulla amplius vestigia servitutis conspici quidam existiment, ac Genebrardus quoque oscitantior in expendendis verbis Bartoli, (qui servos captivos sua ætate ignorari scripserat,) post tempora Friderici II Imp. servitutem in desuetudinem abiisse contenderit, Autor tamen ex instrumento manumissionis anno 1369 confecto, quod integrum exhibere notisque dilucidare, ex usu antiquitatis studiosorum fore credidit, evincit, servos nativitate tales seu Masnadas diutius mansisse. Hac occasione multiplicem reconditæ eruditionis penum depromit, atque inter alia probat, initium anni non a Kalendis Januarii, sed a natali Salvato-

p. 8. p. 13. p. 19.

vatoris nostri tum temporis fuisse ductum. Carnorum Civitati, quæ *Cividal di Friuli* nunc appellatur, varia nomina successive obtigisse demonstrat. p. 20, seqq. Veteres etenim Geographi ac Historici *Forum Julii* eam vocitarunt; ast sub ætatem Caroli M. *Civitas Forojuliana*, *Oppidum Fori Julii* & *Castrum Forojuliense* dici cœpit. Quemadmodum autem ea pars Galliæ, quæ Orientem versus protenditur, Austria vel Austrasia, & Mediomatricum Civitas Austriæ appellata fuit: ita quoque hanc urbem Civitatem Austriæ, totamque provinciam Austriam sequiori ævo nominatam conjicit, quoniam regni Longobardici, cujus sedes Ticini eminuit, pars Orientalis extitit. Fortius hanc sententiam stabilitum ivit ex legibus Longobardorum antiquis, atque ex vita S. Hermagoræ, in qua Aquileja Austriæ provinciæ urbs memoratur. Impegisse hic indicat Abb. Tillemontium, qui vel modernam Austriam Germaniæ indigitari, vel loco *Austriæ*, *Histriæ* vocem reponi debere, sibi persuaserat. Cum autem eversa Aquileja, laudatæ urbi, ab assidua Ducum ac Patriarcharum inhabitatione, ingens & famæ & opum splendor conciliaretur, *Civitas Austriæ*, i. e. Civitas Orientalis; sæpe quoque *Civitas Fori Julii*, *quæ dicitur Austria*; sæpissime sine apposito ac in eminentiore gradu *Civitas*, unde Forojuliana dialectus *Cividat*, & dulcedo linguæ Italicæ *Cividale* formavit, nuncupari cœpit. Ineptias vendidisse ait Sabellicum & Quintium Æmilianum Poëtam Utinensem, qui eam *Julium* vocarunt, confundentes Forum Julii cum illo loco, qui inter confinia Italiæ & Norci situs, *Julium Carnicum*, vel *Castrum Juliense* aut *Julianum* priscis audiit, modernisque *Zulio* dicitur. Non vulgarem postea gratiam apud literatorum marmorum scrutatores initurus Cl. Autor, dum Villæ *Robignaci* demominationem a *Robigo* Numine agresti petit, p. 26. cujus festa ad avertendam a satis rubiginem VII Kal. Maji superstitiosa antiquitas celebrare sueverat, marmor DEO RVBIGO SACRVM inscriptum ibidem asservari indicat. P. 28 Vossium cæterosque, qui Aquilejam vetustis seculis ab aquarum abundantia *Aquilegiam* nominatam perhibuerunt, censoria virgula stringit, ostendens e contrario, Ptolemæo, Straboni, Stephano aliisque veteris Geographiæ magistris ac poëtis singulis incognitam esse hanc vocem, neque ante seculum octavum exclusam. P. 29 *Nebulam* vestis servilis speciem;

&

& ex tela fusci coloris, Romanis usitatissimi, confectam fuisse adstruit. Quandoquidem vero in allegato manumissionis instrumento, patronus sub pœna centum Marcarum Denariorum novorum sese obstrinxisse legatur, ad libertatem concessam nullo pacto violandam, proinde p. 33 & seqq. haud proletaria opera valorem Marcæ ac Denarii, quibus Forojulienses usi fuerunt, examinandum suscipit Noster, rem inventu difficillimam, cum Marcæ appellatione non monetæ species vera, sed in intellectu potius existens veniat, Denariorum autem, notante Spelmanno, tot genera fuerint, quot populorum. Verum utrumque explanat, declaratoque valore Fresachensium, Frisseriorum & Solidorum, Marcam novem libras Venetas, sex Denarios cum octo Parvulis, Denarium vero quatuordecim Parvulos Veronenses habuisse affirmat. Duo hac occasione minime prætereunda inserit, alterum, officinam monetariam Patriarchæ Aquilejensis, quoties aliqua monetæ mutatio contingeret, Comitibus Goritiæ, ut Advocatis & Defensoribus prædictæ Ecclesiæ, *Denarios novos ad summam centum librarum Solidorum* Regaliæ jure mittere debuisse; alterum, quod contra Papebrochium asseritur, Patriarchas, Archi-Episcopos aliosque Proceres Ecclesiasticos insignia sua gentilitia longe ante seculum decimum quintum monetis insculpi curasse. Præter hunc in Ecclesia manumittendi modum, adhuc alios apud Longobardos solemnes fuisse, operose narrat p. 39 seq. nimirum illum, qui peragebatur *in quadrivio*; alterumque qui fiebat *per impans* i. e. in votum Regis; tertius quippe citra ulla alia solemnia mediante Instrumento expediebatur. Peculiarem autem floruisse in Forojulio, quando servi pullato amictu, equisque nigro panno coopertis insidentes, funus patroni demortui in pompa ferali præcedebant, statimque finitis exequiis libertatem consequebantur. Capta inde ansa a diplomate p. 41. Caroli Magni S. Paulino concesso, in quo Accolabiorum, Mancipiorum, Servorum atque Aldionum mentio injicitur, fuse disquirit, quinam fuerint Aldii & Aldiones, illisque notam servilem adjudicat, quoniam a Longobardis quidem erant manumissi, sed tam duris sub conditionibus, ut potius servitutem mutasse ac paulo mitiorem accepisse, quam libertatem adepti censerentur, adeoque ejusdem reputabantur conditionis ac servi glebæ adscripti.

Post nonnulla alia erudite interjecta de Vavassoribus, in quibus errorem Vincentii Borghini scriptoris apud Italos non incelebris, sed Vasallos Aldionibus inepte assimilantis exagitat, gentem Pup-
p. 44. piam ex Hetruria oriundam, atque in Carnorum provincia nunc stabilitam, suis majoribus avitoque splendori restituit, eamque, præter axioma Comitis, tanta potentia atque opum fama olim floruisse probat, ut beatissimus ejusdem status in proverbium transierit. Sub finem tandem eruditissimi discursus, Armannos etiam in servorum censum trahit, sed honoratiorum, utpote quibus defensio castellorum aliaque onera militaria sub Comitibus vel ministris Regiis præstanda incumbebant, adeoque Bignonium, qui in Notis ad Marculfum cum Colonis eosdem comparaverat, & Virginium Forzam Utinensem, qui exinde armentorum pastores, atque ex Armandiis pascua publica effingere tentavit, non injuria reprehendit.

QUANTO DI PIU CURIOSO VAGO HA POTUTO RACCORre CORNELIO MAGNI nel secondo Biennio &c.

i. e.

CORNELII MAGNI *Itineris Turcici Biennium Secundum.* Parmæ, 1692. 12. plag. 27.

CUm itineris, quod Scriptor ille peregit, Turcici Biennium primum in his ipsis Actis mense Januario A. 1684 recensuerimus, æquum omnino est, ut secundum quoque Biennium, quod quidem serius ad manus nostras pervenit, minimum in Supplementis exhibeamus. Complectitur vero hic Tomus, ut prior, septem Epistolas. In prima, quæ Constantinopoli spectanda restabant, Auctor enarrat. In secunda, quid, dum in comitatu Oratoris Gallici Nointelii, maris Ægæi insulas, Rhodumque & Cyprum perlustrat, observarit, copiose exponit. Tertia Palæstinæ, quarta vero Idumææ, Galilææ, Aleppensi urbi & regionibus circa Euphratem impenditur. In quinta iterum in Cyprum reversus, memorabilia ejus regni & quarundam simul Ægæi maris insularum Auctor digerit. Sexta Atticam, Bœotiam, Phocidem, Eubœam exhibens, jam a nobis in Tomo I Supplementorum excerpta fuit; cum seorsim A. 1688. prodiisset. Tandem in septima, quid Chium & Smyrnam reverso evenerit,

nerit, refert, simulque quomodo A. 1691 Religiosis Latinis loca sacra in Palæstina, quæ Græci ipsis non adeo pridem extorserant, jussu Turcici Imperatoris restituta fuerint, curate prodit. Et ita quidem generatim, quid in Hodœporico isto contineatur, repræsentavimus. Verum quia in singulis epistolis notabilia multa inveniuntur, placet inde (sexta tantum omissa) quædam decerpere, & gustatione quadam observationum initiari. Epistola igitur I, p. 18 seqq. nuptiarum apud Græcos solemnia explicat. P. 51 Galli cujusdam exemplo docet, philtra & fascinationes mulierum Turcicarum cavendas esse. P. 54 Sibyllæ, seu magæ Judaicæ nugas explodit. P. 56. nautarum superstitionem cadavera in navibus deportare recusantium deridet. P. 57 60 Temicourtii Equitis Rhodii generosam mortem commemorat. P. 71 Numenii, qui Oratori Anglo apud Byzantinum Regem ab epistolis fuit, observationes adhuc ineditas de Imperio Turcico laudat. P. 73 & 74 Dionysii Græcorum Patriarchæ exauctorati fata prodit. Epist. II, p. 93 observat, militum Hetruscorum, qui Chium invaserant, capita adhuc in arce Chiensi acervatim accumulata conspici. P. 97, 98 venusta sunt, quæ de lentisco, & coturnicibus mansuetis refert. P. 103 singularem piratarum Turcarum fraudem detegit, qui cum Chium perveniunt, id plerumque agunt, ut captivi amoribus muliercularum irretiantur, iisque matrimonio juncti servitutem perpetuam serviant. Quæ pag. 118 & 119 de ladano ejusdemque collectione habet, omnino rara sunt atque exquisita, nec minus, quæ p. 119, 120 de coturnicum venatione dicuntur. P. 124 vultures portentosæ magnitudinis, & p. 126 asinos silvestres describit. Pag. 128 Fleurii Marchionis, piratæ famosissimi, naufragium memorat. Quæ pag. 132-152 de antro prodigioso in Paro insula tradit, digna notatu forent, nisi jam antea Kircherus in Mundo Subterraneo ipsissimis nostri verbis rem exposuisset. Pag. 160 refert, tantam in insula Co; (hodie *Stanchio* appellatur) citrorum copiam esse, ut quotannis succi ex fructibus expressi ducenta dolia ad Aulam Turcicam transportentur. Pag. 179 & 180 aquilæ & falconis certamen occurrit. Epist. III, p. 226 de hyænis, quas vitio forsan typographi leænas vocat, prodit, quod æstate in Palæstina agricolis insidientur, eosque, si forte somno oppressos in campis deprehendant, ar-

arteria jugulari dentibus acutissimis aperta, sanguineque exhausto, occidant. Quæ p. 228, 229 de Mari Mortuo affert, cum iis, quæ alii retulere, satis conveniunt. P. 238. Galli cujusdam inconsultam temeritatem & Arabum contrario ferociam insignem notat. P. 251 prope Bethlehemum antrum extare ait, lacte B. Virginis conspersum, floresque ex prato vicino decerptos & aquæ immissos parturientibus non sine insigni, ut ipse putat, levamento propinari. P. 252 Arabum insultus, quibus Nointelium impetiverunt, ex Græcorum perfidia originem traxisse annotat, & p. 264, 265 suo ipsius exemplo docet, Turcis, etiam cum blanditias adhibent, minime fidem habendam. Epist. IV, p. 328 de equis Arabum generosis non ubivis obvia leges. P. 330 observat, Arabes locustis ad Solem siccatis vesci; quod omnino addendum est iis, quæ tum alii, tum Illustris Ludolfus in Append. Commentar. ad Historiam Æthiopicam collegerunt. P. 341 pisces lacus Tiberiadis raros delineat. P. 342 & 343 refert, in urbe Safet, prope montem Thabor, florentissimam Judæorum Academiam inveniri. P. 379 quatuor principes Imperii Turcici urbes enumerat, Constantinopolim nempe, Memphim, Damascum & Aleppum, quibus alii Prusiam in Asia minore & Babylonem adjungant. P. 381 morbum endemium Aleppi regnantem, quem Europæ Ochettam nominant, ejusque symptomata describit. P. 386 affirmat, Turcas, licet Europæis aditu gynæceorum rigide interdicant, Religiosis tamen & Monachis, ut eo libere accedant, permittere. P. 382 aviculas delicatas Aleppensium (a ficuum esu Galli & Itali *Beccafichos* vocant,) nucleis pistaciorum saginari affirmat. Pag. 394 Jesedinorum sacra & ritus exhibet, quæ, si vacat, conferri possunt cum Feburii in Theatro Turcico narratione. Epist. V, p. 444 sibi & comitibus suis in Cypro vinum generosissimum, plusquam 30 annorum ætatem ferens, oblatum fuisse refert. Epist. tandem VII, p. 555, 561, multis exponit, quam atrociter piratæ Tripolitani, omni gentium jure insuper habito, Legatum Gallicum, Chium ex Palæstina reducem, invaserint, & tantum non trucidarint.

* * * * * *
* * *

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. VII.

ACTA SANCTORUM JUNII, COLLECTA, DIGESTA, Commentariis & Observationibus illustrata a Godofredo Henschenio, Daniele Papebrochio, Franc. Baërtio & Conrado Janningo, e Societate Jesu Presbyteris Theologis. Tomus primus.

Antverpiæ, apud H. Thieullier, 1695. fol. Alphab. 12.

POst Acta Sanctorum Maji septem voluminibus edita & anno 1688 absoluta (conf. Acta nostra 1689, mense Febr. p. 57) primum Tomum Junii, semestre anni sacri primum completuri, A. 1695 dedit cum Sociis in hoc labore celeberrimus Papebrochius, inter reliqua operis locupletandi instrumenta noviter allatum celebrans ex Æthiopia Hagiologium metricum, non antiquius equidem seculo decimo tertio, sed ex vetustissimis tamen Synaxariis Coptitarum Habessinorumque derivatum, unde haud pauciores utriusque gentis Martyres & Confessores in opus hoc confluxisse dicit, quam quot ex similibus Ecclesiæ Græcæ monumentis hactenus se obtulerint. Specimen thesauri inde eruendi daturum ait tractatum de Patriarchis Alexandrinis Tomo huic aliquando præfigendum, dum interea varii ante Nestorium & Dioscorum Sancti exinde huc accesserint. Henschenii vero, utut jampridem defuncti, nomen quod in Tomi præsentis titulo æque ac in antecedentibus compareat, nemini mirum videri debere asserit, quandoquidem is

 plu-

plurima ad mensem hunc spectantia in antecessum elucubrarit, quæ proinde appositis ubique margini initialibus nominis illius literis G. H. Autori suo vindicanda censuerit.

Sicut autem integrum Junium quatuor absoluturi Tomi sunt, ita primus hic priores sex ejusdem dies continet, brevioresque partim Notitias, partim prolixiora Acta, Græca & Latina, Sanctorum expresso nomine indigitatorum plus quam sexcentorum, innominatorum vero, sed ad certum numerum redactorum, millenorum septendecim ducentorum & quadraginta, præter quos in ordine omissorum aut ad alios dies relatorum supra trecentos sexaginta indicantur. Ex istis nos pro more nostro alias recepto quosdam modo nominabimus, in quorum vita rebusque gestis paulo prolixius exponendis multum operæ insumtum est. Primus omnium apparet S. Clarus, Episcopus & Martyr Lactoræ in Novempopulania, cujus vitam ex manuscriptis Breviariis, Tutelensi atque Albiensi, p. 10 seqq. Papebrochius recenset. De Gratiniano & Felino, Martyribus Perusinis, a p. 23 ad 31 idem agit. Juventium Martyrem ex monumentis monasterii Casæ Dei diœcesis Ebroicensis a p. 44 ad 47, & Pamphilum Presbyterum a p. 62 ad 70 delineat; ubi inter alia Acta Passionis hujus & Sociorum ex libris Eusebii Cæsareensis de vita Pamphili, juxta manuscriptum Medicæum Regis Christianissimi, Græce & Latine exhibet. S. Simeonis, cui in urbe Trevirensi Ecclesia Collegiata, eaque una ex septem ibidem eminentioribus sacra est, a pag. 87 ad 107 meminit. Enecconis Abbatis Acta prolixiora ex Tamajo, Yepezio & Dameto a p. 111 ad 126, & Conradi seu Cunonis, designati ArchiEpiscopi Trevirensis, ex Theodorico, monacho Theologiensi, p. 127 ad 134, Erasmi vero, Episcopi & Martyris Formiis in Campania clari, Acta suspecta p. 213 seq. enarrat, S. Nicolaum Peregrinum, Trani in Apulia Patronum, a p. 235 ad 260, S. Morandum, monachum Cluniacensem in Suntgovia p. 339 ad 359, S. Metrophanem, Episcopum Constantinopolitanum, p. 384 ad 395 exhibet. De S. Bonifacio, ArchiEpiscopo Moguntino, a p. 452 ad 504 differit, ejusque vitam a variis descriptam sistit, pluraque alia ad ejus historiam pertinentia suppeditat. Neque minus spatium Meinwercus, Paderbornensis Episcopus, occupat, cujus vita ab autore Abdinghoffensi anonymo scripta a p. 511 ad 553 pertingit, passimque Henschenii & Papebrochii

chii annotatis illustratur. Ferdinandi Principis, Johannis I Lusitaniæ Regis filii, Ordinis Cistercienfis, Fessæ in Maurica captivitate defuncti, Acta a Johanne Alvari, istius Secretario & captivitatis socio scripta, & anno 1577 edita, a p. 563 ad 591 repetuntur, notisque Papebrochianis dilucidantur. S. Guidwali, Episcopi Britanni, vita a monacho Blandiniensi expolita p. 729 ad 748 proponitur. Bertrandi, Patriarchæ Aquilejensis, memoria a p. 776 ad 802 renovatur; ut alios nunc taceamus.

Omnium vero prolixissimus est Papebrochius in describendis actis vitæ & translationum S. Norberti, quippe cujus historiam a reliquo corpore separatam, peculiari velut in appendice uberius persequitur. Quodsi nempe gloriosum sibi esse putaverint plures Asiæ populi, Colophonii, Chii, Salaminii, Smyrnæi adscribere civibus suis Homerum, suumque illum esse alii præ aliis non indecore contenderint; multo majorem accedere debere gloriationem ait Europæis, qui eminentiorem Homero, & sanctiore virtutum laude illustrem Norbertum suum sibi aut civem vendicent, uti Sanctenses, aut institutorem religiosi Ordinis agnoscant, uti Præmonstratenses, aut Apostolum venerentur, uti Antverpienses, aut ArchiEpiscopum cœlo transmiserint, uti Magdeburgenses, aut mortuum conservent religiose in cineribus, uti Pragenses. Natum namque dicit Norbertum apud Sanctenses sub annum 1085: Præmonstratum cœpisse incolere, religiosique Ordinis fundamenta jecisse A. 1120; Antverpiam evocatum ad destruendam Tanchelini hæresin, Ecclesiam S. Michaelis sibi suisque perpetuis temporibus possidendam accepisse quadriennio post: ad infulas deinde Magdeburgenses assumtum ArchiEpiscopum A. 1126; A. demum 1134 die sexto Junii defunctum, Magdeburgi sepultum, ac ultimo A. 1627 Pragam translatum fuisse innuit. Quæ singula latius postmodum deducuntur, vitaque Norberti ab auctore Canonico Præmonstratensi coævo adumbrata cum lectoribus harum rerum curiosis communicatur. Insuper in analectis, quæ vocantur, Norbertinis variæ ad istam vitam accessiones subministrantur, historiaque translationis ejusdem per capita septendecim ex impressis Pragæ & Antverpiæ monumentis contexitur.

Nec inglorius manet in hoc Tomo sexus fœmineus. Adsunt enim post plurimas sanctas martyres Chrothildis, Chlodovæi, primi

Regis Christiani apud Francos, uxor & fidei magistra, Parisiis ad S. Genovefæ requiescens p. 292 ad 298, Hildeburgis, vidua, ex veteri Pontisarensis monasterii chartulario p. 362 sq. descripta, quibus ex veteribus accedunt Oliva virgo p. 338, Saturnina virgo martyr apud Atrebates in Belgio p. 402, pluresque aliæ.

Præterea fragmenta quædam e Græco in Latinum idioma translata, aut e manuscriptis primum eruta hinc inde insperguntur, utpote quando encomium S. Lucilliani auctore Photio Scevophylace & Logotheta Constantinopolitano conscriptum, & vita S. Dorothei junioris sive in Chiliocomo, auctore monacho coævo, discipulo ejus, facto deinde metropolita Euchaitarum, consignata, & utrumque quidem ex manuscripto bibliothecæ Vaticanæ, a Conrado Janningo in Latinum ex Græco sermonem p. 276 s. & 605 s. convertitur, & p. 746 Petri Francisci Chifletii opus ineditum, cui titulus: *Sacrarium monasterii Jurensis Condatescensis, tertiodecimo abhinc seculo fundati, quod est caput monastici Ordinis in provincia Sequanorum, mediis seculis a S. Eugendo sive Augendo, quingentis vero abhinc annis frequentius a S. Claudio nuncupatum;* quoad partes singulas singulasque sectiones summatim recensetur.

Nec omittendæ variæ observationes occasione data subinde emergentes, quæ non tam præcise ad vitas Sanctorum illustrandas, quam ad alia historiæ Ecclesiasticæ capita dilucidanda faciunt, velut ubi p. 290 Roderici de Cunha, ArchiEpiscopi Bracarensis, error notatur, quando S. Ovidium, tertium Episcopum Bracarensem, cum Q. Ovidio, Martialis amico confuderit. Pag. 391 sq. permixtos inter se Dorotheos quosdam, & p. 776 Bertrandos homonymos in lucem Papebrochius protrahit. Pag. 556 Ordinis Apostolinorum meminit, qui seculo decimo quarto sua debeat initia, dum aliqui in Italia nullam initio professionem emittentes, modesta veste eremitica contenti, orationibus faciendis institerint, quodque ab his reliquum erat temporis, manuali impenderint operi. Crevisse tamen mox eorum contubernia, præcipue per Insubriam atque Liguriam usque in Picenum & Aprutium propagata, imo ad urbem usque Romam, ubi institutum illud amplexus S. Placidus hunc Ordinem Recinetum traduxisse feratur sub annum 1370. Pag. 679 Archipræsulum Vesontinorum antiqui duo catalogi inde ab annis 600 ex Chifletio repetuntur,

tur, eorundemque ratio chronologica examinatur. Pag. 845 epistola Trajectensis Ecclesiæ ad Fridericum Episcopum Coloniensem de Tanchelino seductore, historiæ Norbertinæ immiscetur. Huic eidem tria subnectuntur corollaria, quorum primum de institutione ArchiEpiscopatus Magdeburgensis Præsulibusque ejus usque ad Norbertum agit, secundum Ecclesiam & Abbatiam S. Michaelis Antverpiæ a S. Norberto susceptam & hodienum florentissimam describit, tertiumque tres filias ex Antverpiensi Michaelitica Abbatia prognatas, Averbodiensem, Tongerloanam & Middelburgensem describit.

Multum quoque Tomi hujus pretium adauget iconum splendidissimarum multitudo, quarum in ipso quidem contextu circiter quadraginta, extra illum vero seorsim excusæ, & suis locis inserendæ dimidio in folio novem, integro item aut etiam duplici folio constantes octo numerantur. Seligemus & ex his nonnullas, de quarum facie Lectores nostros edocere consultum fuerit. Pag. 458 monumenta repræsentantur Fuldensia, ad acta S. Bonifacii illustranda, cum antiqua hujus effigie, Regumque Caroli atque Carolomanni, filiorum Pipini, tum forma veteris apud Fuldam cuculæ ac scapularis, & civitatis monasteriique sigillis, ac basilicæ Bonifacianæ simulacro. Pag. 507 conspicitur Ferdinandi, Paderbornensis ac Monasteriensis Episcopi, effigies præfixa actis S. Meinwerci, viventis cura illustratis, & memoriæ demortui inscriptis. Pag. 939 Abbatiæ S. Michaelis Antverpiensis ædes cernuntur, p. 446 Ecclesiæ S. Michaelis conspectus interior, p. 447 ornatissimi ibidem refectorii tria latera, p. 456 Abbatia Averbodiensis, Michaeliticæ primogenita, p. 966 Abbatia Tongerloensis, ejusdem Michaeliticæ secundo genita, cum nato inde Romæ collegio S. Norberti oculos aspicientium delectant. Et hæ quidem tabulæ seorsim impressæ, libroque insertæ sua se magnitudine facilius produnt; non item, quæ intra contextum ipsum magnitudine varia, nunquam tamen integram paginam implentes inveniuntur, quorsum pertinet p. 19 Justini Philosophi & Martyris disputantis effigies palliata ex veteri membrana, pag. 598 Crescentiani martyris crux, quam circumtulisse prædicabundus putatur, p. 418 Benedictinorum Cassinensium habitus antiquus, pag. 557 Bartholomæi, Ordinis Apostolinorum effigies, p. 946 icon A-

brahami Ortelii, celeberrimi Geographi, p. 934 effigies S. Norberti in veteri habitu sui Ordinis, unde suum Ordo Prædicatorum mutuatus est, &c.

Quod superest, præter indices operi huic additos varios, nominari etiam merentur Conradi Janningi pro Actis Sanctorum hactenus editis opuscula apologetica, R. P. Sebastiani a S. Paulo Antirrheticis reposita, quorum tamen contenta non est cur hoc in loco referamus, cum isto officio jampridem in Actis nostris A. 1696 p. 132 f. fuerimus defuncti, seorsim enim ea tunc A. 1695 Antverpiæ impressa lucem publicam aspexerant.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE ECCLEsiastique &c. Tome IV, par le Sieur D. T.

i. e.

COMMENTARII HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ sex priorum Seculorum componendæ inservituri; auctore Dn. de TILLEMONT. Tomus IV.

Parisiis, apud Car. Robustel, 1696, 4. Alph. 4. plag. 15.

Sistimus nunc quartum operis aliquoties jam nobis memorati Tomum, ex quo more nostro quædam observatu digna referemus. *Artic. I. p. 47.* De Cypriano dum agit, monet Gregorium Nazianzenum in oratione decima octava Cyprianum Carthaginensem confundere cum alio quodam Cypriano orientalis ecclesiæ martyre: indeque factum, ut nonnulli tradant, Cyprianum Carthaginensem magicis artibus operam dedisse, quod tamen de altero isto Cypriano intelligendum veniat. *Not. I. ad Cypriani vitam.* In iis tamen, quæ de genere & parentibus Cypriani tradit Gregorius, eum sequitur, eo quod nihil obstet, quo minus Carthaginensi illi Martyri hæc tribui queant. *Not. II.* Ex verbis Pontii, *non uxoris suadela deflexit*, in notis editioni Anglicanæ adjectis colligitur, Cyprianum in matrimonio vixisse, priusquam converteretur. Perperam quidem juxta Nostrum, cum hæc verba de Jobo usurpet Cyprianus ipse. Ast Auctorem tamen harum notarum alibi errorem suum agnovisse. *Not. III.* Cæcilium, a quo ad religionem Christianam perductus est Cyprianus, male cum Cæliano Diadumeni præceptore a Baronio confundi, ostendit. Vel ex ipsa nominis differentia hoc patere ait, licet

licet & alias rationes addat. Eundem porro Baronium arguit, quod *Not. XX.* Felicissimum schismatis Carthaginensis auctorem pro Presbytero habeat. Nec ex verbis, quæ in quadragesima Cypriani epistola extent: *Hoc enim quorundam Presbyterorum malignitas &c.* hoc probari posse, cum quinque istos Presbyteros ibi intelligat, qui partibus Felicissimi accesserint, & quos ab ipso Felicissimo distinguat Cyprianus. Sic & reliqua testimonia & rationes, quæ pro Baronii sententia afferri poterant, eodem modo diluit: pro sua confirmanda hoc insuper observans, quod nullibi Presbyteri titulo a Cypriano insigniatur. De Cypriani historia ceteroquin optime meritus est doctissimus Pearsonius. Nihilosecius tamen non potuit ubique tantam adhibere ἀκρίβειαν, ut non ab eo sæpius sibi dissentiendum putet Tillemontius. Sic, ut cetera nunc mittamus, putat Pearsonius, Nova- *Not. XXVI.* tum curavisse, ut Felicissimus Diaconus ordinaretur, priusquam schisma ortum esset. Nostro hoc non est verosimile. Neque enim, inquit, Catholicorum Episcoporum ullus hoc fecisset, ne offenderet Cyprianum. Quod si vero ab hæretico quodam Episcopo ordinatus esset, statim ab eo tempore pro schismatico fuisset habitus, nec reticuisset hoc Cyprianus, qui & Diaconi titulo rursus eum insigniturus fuisset, si quidem rite eum obtinuisset. Ita enim rationes subducit. In Concilio Africano quæ de lapsis decreta sunt, ita re- *Not. XXX.* fert Cyprianus: *placuit examinatis caussis singulorum, Libellaticos interim admitti, Sacrificatis in exitu subveniri.* Colligit hinc Dupinius ex hocce decreto, Libellaticos statim ad absolutionem admitti, quæ Sacrificatis demum in articulo mortis constitutis sit impertienda. Concedit posterius Petidierius, ast negat prius. Sed non omnes Sacrificatos in articulo demum mortis absolutionem impetrasse, ex eo concludit Noster, quod ab eodem Concilio decretum sit, *ut examinarentur caussæ, & voluntates, & necessitates singulorum, secundum quod libello continetur.* Quem, inquit, in finem examinandæ fuissent caussæ, si omnium sine discrimine absolutio ad mortis usque articulum differenda fuisset? Sensum itaque decreti istius hunc esse: Sacrificatis impertiendam esse absolutionem, postquam pœnitentia pro cujusque conditione definienda, functi sint; ast si morte forte opprimantur, non expectandum esse constitutum pœnitentiæ terminum, sed vel eo nondum elapso, absolvendos eos esse. Cyprianum

vero

vero hoc non satis accurate expressisse. Ad Libellaticos autem quod attinet, Dupinio Noster subscribit. Certe, si Sacrificati elapso demum pœnitentiæ termino absolvendi fuerunt, Libellatici non potuerunt
Not.XXXV. non per hoc decretum ad absolutionem statim admitti. Sandius Neo-Arianorum haud postremus, librum de mortalitate Cyprianum agnoscere auctorem negat. Vapulat ideo Pearsonio, cui & subscribit Tillemontius, qui id documento esse ait, quid non audeat profana cuncta evertendi libido. De reliquis scriptis, quæ aut recte aut perperam Cypriano tribuuntur, multa apud Nostrum disputantur, sed
Not.XXXIX. non omnia ex eo nobis exscribenda sunt: selectiora sectemur. Celebris inter viros doctos de Stephano Pontifice Romano est controversia, an omnem hæreticorum baptismum, in nomine Jesu Christi factum, pro legitimo habuerit? Certe Cyprianus, qui nullum hæreticorum baptismum pro legitimo habebat, omnesque, qui ab hæresi quadam ad ecclesiam veram transibant, baptizandos esse contendebat, hanc sententiam diserte tribuit Stephano. In eam ergo multi eruditorum ingressi sunt sententiam, utrumque ad extremum aliquod prolapsum esse, & Stephanum quidem Cypriani sententiam impugnando eo tandem devenisse, ut omnem hæreticorum baptismum in nomine Christi collatum approbaret. Nec tantum inter Protestantes Blondellus, sed & inter Romanenses Natalis Alexander, Launoius aliique hanc sententiam, docente Auctore nostro, Stephano tribuunt. Dupinius dubitanter equidem loquitur, sed tamen ab eadem opinione se non alienum esse, satis ostendit. Rem difficultate non carere, fatetur Tillemontius, cum scripta adversariorum Cypriani non amplius extent, ex quibus de illorum sententia ferri judicium possit. Namque in aliorum scriptis veram illorum sententiam non semper exprimi, vel ex eo patere, quod inter alia hæc quoque sententia illis tribuatur, gratiam atque remissionem peccatorum extra ecclesiam quoque conferri. Cum tamen ipso Cypriano atque Firmiliano testibus constet, eos docuisse, Spiritum S. extra ecclesiam non conferri, hæreticos autem & schismaticos eum nec habere nec donare posse, licet baptismum conferre possint. Præterea ad baptismum quod attinet, Stephanum alicubi de tribus personis Divinis in baptismo commemorandis verba facere observat, unde forte explicanda aut supplenda sit ejus sententia, quando baptismi in nomine

Jesu

Jeſu Chriſti conferendi mentionem injiciat. Accedit, quod inter Cyprianum atque Stephanum generatim ſaltem de hæreticorum baptiſmo diſputatum ſit, nec definitum, quorumnam demum hæreticorum baptiſmus admittendus, aut rejiciendus ſit. Cyprianum quidem allegare epiſtolam, quam Baronius atque Pamelius Stephani eſſe credant, in qua baptiſmus Marcionitarum pro legitimo agnoſcatur, cum tamen in Concilio Nicæno Arrianorum, & aliorum quorundam hæreticorum, qui ibi nominantur, baptiſmus approbetur, reliquorum autem adeoque & Marcionitarum rejiciatur. Aſt reſponderi tamen poſſe, quod Marcionitæ in baptiſmo ſuo poſt Stephani tempora forte quædam immutarint, ut adeo eundem in Concilio Nicæno rejici neceſſe fuerit. Quemadmodum & Encratitæ fecerint, teſte Baſilio, ideo ut ab Eccleſia eo magis recederent, difficiliorque illorum reditus ad eam redderetur. Ex his omnibus tandem concludit, nullam eſſe rationem, quæ nos cogat, erroneam ejusmodi ſententiam Stephano tribuere, præſertim cum Euſebius quoque, Auguſtinus, Vincentius Lerinenſis, atque Facundus non aliam hac in re Stephano ſententiam tribuant, quam quæ cum recepta atque vera Eccleſiæ doctrina conveniat. Cyprianus vero quod aliter de ſententia Stephani loqui videatur, id mirum non eſſe, cum & ſanctisſimis viris quandoque eveniat, ut adverſariorum ſuorum ſententiam aliter ac ſe habuit, referant. Ceterum edidit Rigaltius Anonymum, qui de Baptiſmo contra Cyprianum ſcripſit, atque aperte contendit, ſolam invocationem nominis Chriſti ad baptiſmum ſufficere. Auctorem hujus ſcripti Epiſcopum quendam, qui eadem cum Cypriano ætate vixerit, Tillemontius fatetur. Aſt Stephano hujus ſententiam tribui poſſe abnuit, cum non infrequens ſit, ut auctores quidam in quibusdam conſentiant, dum contra tertium diſputant, nec tamen inde ſequatur, eos conſentire in omnibus. Alexandrum tamen ſimul *ὡς ἐν παρέργῳ* perſtringit, quod perperam ex quodam hujus auctoris loco collegerit, eum neceſſitatem tres perſonas Divinitatis in baptiſmo invocandi agnoviſſe. Sed nec illud Alexandro huic concedit, eo tempore in hac controverſia Eccleſiam in duas partes ita ſciſſam fuiſſe, ut veritas penes neutram ſteterit. Cetera mittimus, *Not. XLII.*
& alia nunc proſequemur. Dicit Firmilianus, Stephanum Papam cum Eccleſia Orientali fuiſſe commiſſum; cauſam diſſenſionis reticet.

Pp Lom-

Lombertus in vita Cypriani occasione Novatianismi hoc factum putat; invito quidem Tillemontio, qui controversiam de baptismo huic discordiæ occasionem præbuisse probat. Augustinus de *Bapt. l. I. c. VII.* &alibi sæpius asserit, controversiam de baptismo, priusquam ipse in lucem editus esset, mortuo jam Cypriano, per concilium aliquod integrum totius terræ totiusque ecclesiæ definitam esse. Quodnam ergo concilium hic ab Augustino indigitetur, eruditi inter se disputant. Nonnulli Arelatense, alii Nicænum concilium intelligunt. Tillemontius rationes, quæ in utramque partem afferri possint, prolixe recenset, nec tamen quicquam definire audet. In concilio Arelatensi controversiam illam accurate definitam esse fatetur, ast longe augustius concilium innuere Augustinum, quam Arelatense fuerit. Certe descriptionem istius concilii egregie quadrare in Nicænum, sed ibi hanc controversiam non fuisse definitam. Nihilosecius tamen, quia in canone octavo concilii Nicæni baptismus & ordinatio Novatianorum pro legitimis habentur, fundamenta, quibus error Cypriani superstructus fuit, destructa esse observat, seque adeo ab illorum sententia, qui ad concilium Nicænum verba Augustini referunt, haud alienum esse ostendit.

Not. XLIV.

Inter hæreticos seculi tertii eminet Paulus Samosatenus. Hujus errores cum non una eademque ratione referantur, quæ Auctor de iis observavit, paucis indicare operæ pretium fuerit. Cum Sabellio itaque hactenus eum consensisse docet, quod Patrem, Filium & Spiritum S. pro una solum eademque habuerit persona: quodque asseruerit, Verbum & Spiritum S. esse in Patre, ut ratio est in homine, adeoque existentia reali & personali carere: & hoc sensu quoque eum dixisse, Filium esse consubstantialem Patri, ut distinctionem scilicet personarum tolleret. Nihilosecius tamen in quibusdam & a Sabellio eum discessisse; agnovisse scilicet, quod Pater produxerit Verbum suum, quod extra illum (Patrem) operetur. Sunt etiam, uti Auctor monet, qui dicant, hoc Verbum productum & operans ab illo vocatum fuisse *Filium Dei:* alii contra asserunt, eum non alium Filium Dei, quam Christum, purum hominem, nec alium Spiritum S. quam gratiam Apostolis concessam, agnovisse, & in eo a Sabellio recessisse; quibus tamen ut adstipuletur Auctor, a se impetrare nequit. Ad incarnationem Christi quod attinet, asseruit Christum non

Artic. II. p. 291. seqq.

non de cœlo venisse, sed esse de terra, eumque ut merum hominem nihil habere, quo ceteris hominibus superior censeri queat. Auctorem quendam quinti seculi hic notat Auctor, Paulo sententiam hanc, quod Christus natus sit, ut reliqui homines, tribuentem. Constare namque tum aliunde, tum etiam ex Athanasio, Christum secundum Pauli Samosateni sententiam natum esse ex virgine Maria & a Spiritu S. Fatebatur, esse in Christo Verbum, sapientiam & lumen æternum, ast per operationem & inhabitationem, non per unionem personalem, ita quidem ut tempore passionis Verbum a Christo recesserit, atque ad Patrem reversum fuerit. Duas itaque in Christo admittebat hypostases, duas personas, duos Christos, duos Filios, quorum unus esset Filius Dei per naturam & coæternus Patri, imo ipse Pater, & alter Filius Davidis ex Maria, qui improprie solum Christus dici posset. Nomine filii Dei Christum insigniri tantum, quod esset habitaculum veri Filii Dei, qui esset hypostasis atque persona a Christo diversa. Justum autem Christum dici non per naturam suam atque essentiam, sed quod virtuti, cui justitiæ nomen, deditus fuisset. Et ita quidem, ut porro Auctor observat, evitavit blasphemiam Noëti atque Sabellii, asserentium, Patrem incarnatum atque passum esse; simul tamen incarnationem reipsa negavit, atque Artemæ ac Theodotianorum sectæ Christum pro mero homine habentium accessit. Interim Christum vocavit Deum, sive quod hoc nomen virtutibus suis promeruisset, ut nonnulli asserunt, teste Auctore, sive quod ob Verbum in Christo inhabitans eum dignum hoc titulo censuit, ut Athanasius asserere videtur. Ceterum Gardinerius sibi persuadet, Paulum Samosatenum credidisse Verbum distinctam a Patre esse personam, saltem tum cum extra Patrem, v. g. in Christo operetur; provocatque ad Dionysium Alexandrinum, qui testetur, Paulum in Christo duas personas duasque hypostases admittere. Ast ex eo nihil certi colligi posse, Tillemontius contendit. Hypostaseos enim nomine Paulo substantiam, accidens atque personam promiscue venire: adeoque utcunque duas in Christo hypostases eum admittere potuisse. Imo potuisse eum per duas in Christo hypostases intelligere humanam Christi naturam atque Patrem per Verbum suum in Christo operantem. Fortasse etiam, inquit, Dionysio error Pauli circa SS. Trinitatem nondum fuit perspectus, adeoque cum videret

Not. I. ad Paulum Samosatenum.

eum in Christo unionem Verbi cum humana natura, ast minime personalem admittere, exinde intulit, duas eum statuere hypostases sive personas. Not. II. Porro quod asseruerat Auctor, Paulum existimasse, quod Christus natus sit ex virgine, id contra Marium Mercatorem atque Not. IV. Gardinerium prolixius defendit: Paulum quoque anno 269 aut circa initium anni 270 dejectum esse sede Episcopali, subductis temporum rationibus, luculenter probat. Ast nos hic pedem figimus.

DISPACCIO ISTORICO, CURIOSO ET Erudito.

i. e.

FASCICULUS HISTORICUS, CURIOSUS ET ERUditus, e variis literis & manuscriptis Patris DOMINICI ANTONII GANDULFI, Genuensis Theolog. Licentiati, Concionatoris & Prioris Augustiniani, collectus inque lucem datus a PHILIBERTO HYACINTO GANDULFO.

Monte-regali, (Mondovi) 1695, in 4. Constat plagul. 20.

NOn alienum a sua erga Consobrinum pietate esse credidit doctissimus Editor, si literas ejus ad viros dignatione eminentes scriptas, additis nonnullorũ responsis, publici faceret juris. Continet hic fasciculus ab Illust. Magliabechio ad nos transmissus epistolas 24, alterumq; se daturum esse spondet Editor, siquidem hunc placuisse intellexerit. Varia in epistolis his recensentur, cumprimis quæ vel ad familiam Autoris illustrandam, vel ad decus Ordini Augustinianorum conciliandum spectare poterant. Cum liber brevis sit, non est cur in excerpendo eo prolixi velimus esse. Mentio ibi fit inter alia *Academiæ Obscurorum* per Dom. Ant. Gandulfum in urbe Vintimiliensi erigendæ: statum tamen illius & rationem, quod dolemus, haud explicat conditor ejus in his epistolis, contentus dixisse novam hanc societatem literariam pro symbolo habituram obscuræ noctis figuram nitentibus e cœlo stellis, cum lemmate: *In obscuritate sidera.* Non esse emblema omnibus numeris absolutum, fatetur ipse, & ad dubia sibi eapropter mota prolixe respondet. De cætero commendant fasciculum hunc carmina variorum autorum Latina ac Italica, eaque sic sa-

tis

tis elegantia. Ac inter Italica quidem duo vel ob argumentum, quod tractant, jucunda lectu fuere; opposita enim sunt Illustris Magliabechii obtrectatoribus: inter Latina vero non postremum occupant locum epigrammata duo, quæ speciminis causa annotabimus. Primum in mortem Ill. Baronis Michaelis de Aste sub capta Buda interfecti & in eadem tumulati, a Paulo Augustino Orengo Patricio Veneto scriptum ita se habet:

Cæsaris Austriaci gemeret cum Buda sub armis
Obsesso, Ungarici regia Buda soli.
Gentis honos Liguræ, Turcarum terror & horror
MICHAEL intrepido pectore in arma ruit.
Consilio multum juvit, multum egit & ense,
Consilio prudens, & simul ense potens.
Effundens tandem per vulnera quinque cruorem,
Extrema cecidit voce animando suos.
Intrepidus periit capta tumulandus in urbe,
Urbs posthac tanti funere clara Ducis.
Ut captam vidit Budam, sua lumina clausit,
Ense videns dignum nil superesse suo.

Alterum Joh. Bapt. Corvesius composuit in honorem Illustris militum Tribuni Joh. Dominici Spinulæ ex Marchionibus Ayquatæ:

Tu primos Budæ anfractus & valla penetras,
Vile tui pretium sanguinis esse putans;
Primus adis, ternos in te prior excipis ictus,
Buda ruit, clamas, sat mihi longa dies.
Te patriæ bellum, te bello sustulit ardor,
Ast tibi mors raptos supplet honore dies.
Hoc te funus erat dignum, tu hoc funere dignus,
Magnus eras vitæ, major honore necis.
Mors hæc summa Ducum laus est, tu in limine vitæ
Supremam ad laudem per breve tendis iter.

Claudunt fasciculum hunc carmina in laudem Autoris scripta & index literarum.

ANIMÆ HUMANÆ NATURA AB AUGUSTINO detecta in libris de animæ quantitate, decimo de Trinitate & de animæ immortalitate, exponente MICHAELE ANGELO FARDELLA, Drepanensi S. Th. D. & in Patavino Lyceo Astronomiæ & Meteororum Professore, Eminentissimo HENRICO DE NORIS S. R. E. Cardinali consecrata.

Venetiis, sumtibus Hieronymi Albrici, 1698. fol. Alph. 4. plag. 12.

ANimam nostram rem esse præstantem, uti omnes agnoscunt, sic pauci inveniuntur, qui debitam in ejus investigatione adhibuerunt operam. Clarissimus Autor noster a decimo octavo anno usque post lustratum universi hujus theatrum, insignioris nobilierisque hominis partis indolem dignoscere quidem cupiebat, sed a viris celebratissimis, quos in Trinacria præcipue adiit, summam responsi tulit illam; *animam omnia cognoscere, præter se ipsam.* Convertit se igitur ad priscorum sapientum, Aristotelis, Platonis, Epicuri, Empedoclis, Democriti, Anaxagoræ, aliorumque de anima disputantium, codices; sed nec in his aliud se reperisse dicit, præter varias contentiones, loquaces subtilitates ac portenta verborum, undique incertitudinis & obscuritatis tenebras: dum alii ignem, corporis temperamentum, alii & harmoniam, atomorum texturam, aut aliud quid animum esse contenderunt. Secum autem perpendens, posse se ipsum sibi ipsi manifestare animum, dummodo recta nos ipsos inquirendi ratio accesserit; quam tandem se invenisse putabat in Augustini libris quibusdam, hanc materiam illustrantibus. Scilicet animus ab extraneis naturis ad seipsum si revocetur, inveniet, illo duce & judice, animum nihil aliud esse præter animum; ac ut se ipsum cernat, se ipso duntaxat indigere, qui omne, quicquid ipse non est, a se rejiciens, se confestim intelligit, quo nihil sibi notius, præsentius ac manifestius. Hanc viam ingressus Autor præcipuum sibi habuit præfixum scopum, animæ nostræ naturam pro viribus detegere, atque potissimum in id mentis aciem intendere, ut & incorporeum & immortalem humanum animum esse adversus, Epicuri asseclas, præfulgente ratione demonstret; ducem in hoc opere sibi eligens S. Augustinum

stinum animæ indolem & affectiones explorantem, quem iii disquisitione difficillima felicem fuisse miratur. Opus ipsum distribuit in tres partes, in quarum *prima* ea, quæ in tractatu de animæ quantitate, non molis, sed virtutis, Augustinus ad fallaces Epicuri argumentationes expedite detegendas & refellendas subtiliter exagitat, exponuntur. Antequam vero eundem interpretari aggreditur, ad faciliorem Augustinianæ doctrinæ captum, præclariora Augustini cogitata, quæ in illo continentur, a dialogi prolixitate secernit, atque primum Augustini animum de se ipso meditantem fictione quadam in medium profert, qui non tantum exposita in libro de animæ quantitate, verum etiam quæ in aliis suis operibus ac potissimum in libris X de Trinitate & de immortalitate animæ, ad humanæ mentis naturam spectantia enucleantur, universaliori ac latiori quadam sui investigatione, planiorique stylo detegat, sibique feliciter aperiat. Subjicit dein ipsum librum de animæ quantitate, quem Augustinus in libro primo Retractationum pro suo agnoscit, & in eo quærit: *unde sit anima? qualis sit? quanta sit? cur corpori fuerit data? cum ad corpus venerit, qualis efficiatur? qualis, cum abscesserit?* Ad primam quæstionem respondet animam esse factam a Deo, ita quidem ut neque ex terra, nec ex aqua, neque ex aëre, neque ex igne, neque ex his omnibus, neque ex aliquibus horum conjunctis constet, sed simplicem propriamque naturam habeat. Animæ qualitatem in similitudine cum Deo constituens, quantitatem illius prolixe prosequitur, ostenditque, quod non sit longa, non lata, non robusta, neque aliud horum, quæ in mensuris corporum quæri solent. Qua occasione de lineæ natura, atque ex ea resultantibus figuris, triangulo, quadrato & circulo, prolixe agit, ac tandem concludit, cum verum punctum, vera linea & superficies vera sint res incorporeæ, quæ sensum & phantasiam effugiunt, animum qui illas cognoscit, etiam esse incorporeum & inextensum. Hunc definit, quod sit *substantia rationis particeps, corpori regendo accommodata.* Quam definitionem Fardella vulgari animæ descriptioni, tanquam obscuræ multis modis præfert, utpote in qua, dum animus primo immutabili vero jungitur, deinde ut altioris ordinis ad corpus regendum ordinatur, insigniora religionis & Christianæ moralis elementa mirum in modum delitescunt; cum verus cultus, vera religio, ac salubris ethica

pag. 13. pag. 18. p. 32. p. 77. p. 84.

huc

huc tendant, ut humanus animus ita agat, ſe ipſum moderetur, ac vivat, ut immutabili rationi ſecundum æternæ legis dictamina obediat, infirmiori vero corpori imperet. Quamvis autem animus in corpore eſt, cum ætate tamen non fit major, quod in corpore obſervamus, ſed artium exercitatione melior & peritior evadit. In regimi-
p. 118. ſq. ne & dominio, quod in corpus exercet, inſtrumento utitur halitu æthereo vel ſpiritu impetum faciente & in cerebro latente, quem tenuisſimam ac ſumme velocem ſanguinei humoris auram eſſe dicit. Hujus ope internas & externas corporis, quod velut inſtrumentum muſicum concipit, promoveri operationes, exemplo pulveris pyrii illuſtrat Autor. Illo mediante etiam fit ſenſus, cujus unicam tantum ſpeciem, nempe tactum conſtituit, & præeunte Auguſtino multa de ſenſus natura atque definitione diſputat, ubique ſimul monſtrans, animum incorporeum citra ſuæ ſubſtantiæ expanſionem ſenſationes
p. 128. ſqq. quaſcunque percipere. Summam denique animæ virtutem poteſtatemque uterque cernit in gradibus illis ſeptem, *animatione, ſenſu, arte, virtute, tranquillitate, ingresſione, manſione ſeu contemplatione*,
p. 159. ſqq. ulterius ab Autore expoſitis. Plures quidem Auguſtinus ſibi quæſtiones evolvendas propoſuerat, ſed tres ultimas intactas reliquit, cum
p. 125. ſcopus illius præcipuus fuerit, primo oſtendere nulla corporum mole animum conſtare, deinde aperire, quanta ſit animæ poteſtas. Expo-
p. 169. ſitioni huic Autor ſubnectit ſalutarem admonitionem, ut animus ad ſe ipſum accurate inquirendum, Auguſtino docente, diſponatur, humanæ quoque literaturæ vitia nullo negotio detegantur atque vitentur. Quem in finem exercitationes literariæ diſtinguuntur in *neceſſarias*, theologiam naturalem, dialecticam, ſcientiam moralem, & medicinam, qua quis ſibi ipſi proſpicere novit: *utiles*, ut arithmeticam, geometriam, & phyſicam, cum, quemadmodum matheſeos ſtudium mirifice prodeſt, ut animus ad ſe ipſum inveſtigandum præparetur, etiam phyſica facultas plurimum conferat, ut homo ſe ipſum ac Deum planius intelligat: *ſupervacaneas*, ad quas refert ſtudium antiquitatis, ſi non ad hiſtoriam cum ſacram tum profanam perficiendam referatur, & linguarum exoticarum uſum: denique *noxias*, quarum aliæ ſunt ſuperſtitioſæ, ut divinatrices artes, aliæ pugnaces
p. 183. & contentioſæ, aliæ phantaſticæ. Quibus præmisſis, ut cuivis melius conſtet, quid homini inveſtigandum ſit, ſequentem ſuppeditat regulam:

gulam: *Quicquid ad animi perfectionem, sincerumque felicitatem tendit, captui nostro accommodatum, citra culpæ temeritatisque periculum investigetur: at si ad errorem aut ingenii tantum ostentationem comparatur, aut ab humanæ vitæ usu prorsus alienum est, tanquam supervacaneum aut noxium cauta quadam ignorantia a cognitione removeatur.* p. 186.

Secunda pars exhibet librum X de Trinitate, in quo Augustinus, ut abditissimum Trinitatis arcanum, quantum finitæ intelligentiæ imbecillitas patitur, illustraret, ad hominis mentem se convertit, ut in ea expressiorem insigniorem que quandam Trinitatis effigiem inveniret. Idcirco corporeis imaginibus rejectis, animum in semetipso, in suisque recessibus, perspicacissimo nudæ intelligentiæ oculo intueri ac detegere gaudet. Quod ut expeditius obtineat, ad analyticam methodum confugit, cujus ope dum ab animo, quæ extranea, atque ab illius indole aliena sunt, accurate sejungit, animi naturam in suis penetralibus prospero successu contemplatur, ut non tantum quid non sit animus, verum & quid sit animus, interiori mentis acie cernat. Quicquid autem ad animæ naturam investigandam in hoc libro spectat, dupliciter Clarissimus Autor interpretatur. Primo in medium ipsummet Augustinum, animæ nostræ naturam perscrutantem, adfert; deinde severiori quadam analysi & amœniori stylo, Augustini mentem secum loquentem velut ante oculos ponit. p. 190. p. 210.

In *tertia parte* sequitur Augustinum in libro de animæ immortalitate, quem a se conscriptum fuisse, & maxima obscuritate ac difficultate laborare, ipse Augustinus agnoscit lib. 1 Retract. c. 5. Ut vero ratiocinationis robur ac vis magis eluceat, Epicurum pro caducitate atque interitu animæ certantem adgreditur Autor, præmisso apparatu quodam, seu aliquarum assertionum serie, Geometrarum more posita, qua possibile ostendit, dari substantiam aliquam, quæ nihil aliud sit præter animum, intelligendi potestate præditum, finitum & imperfectum, a corporis dimensionibus abhorrentem, aptum conjungi corpori organico, sed tamen inextensum & incorporeum, ac soluto corpore immortalem. Firmatis his aliisque propositionibus, quæ ad exponendam animi originem faciunt, *mentis & carnis* conflictum instituit, atque *Augustinum & Epicurum* invicem pugnantes inducit. Pro carne sive *Epicuro*, ex libro tertio *Lucretii* p. 221. sqq. p. 234. sqq.

 de

p. 237. sqq. de rerum natura, pro animæ mortalitate XIV adducuntur sophismata, desumta ex atomis, conjunctione, nexu & incremento animæ cum corpore, ægritudine, dolore, animæque mutabilitate, vini & morbi potestate in homine, animæ divisibilitate, morbo ac sanitate, animæ sede & agendi modo cum corpore organico, hominis interitu & animi propensione ac amore erga corpus, dependentia operationum animæ ab organis corporis, illius sectilitate & extensione, ejusdem origine & oblivione, corporis solutione, & modo, quo corporeis organis insinuatur animus, nexu & congruentia, qua invicem animus & corpus copulantur, mortis metu & variis hominum moribus, partium enumeratione, qua animum morti obnoxium esse ostendere laborat Lucretius. Singulis illis confutatio, ex apparatu ante laudato deducta, statim additur. Mens contra, sive *Augustinus* pro sempiternæ mentis humanæ natura pugnans in libro de animæ im-
p. 297. sqq. mortalitate, argumentationes XII depromsit ex artium ac disciplinarum immutabilitate, rationis natura, animi virtute & immutabilitate, artibus in animo delitescentibus, necessaria humanæ mentis conjunctione cum immutabili ratione, quodque hæc nulla vi ab humano animo sejungi valeat, ipsamet corporis immortalitate ratione tum molis, tum speciei & pulchritudinis, ex ipsiusmet humanæ mentis vita & incorporea natura, quæ etiam contrario, quo destrui possit, careat, nullo præterea pacto in corpus transmutari, neque in somniis intelligendi potestate destitui, aut in corpus converti valeat. Rationes has adductas eleganti methodo laudatus Autor sibi considerandas sumit, quando prævia argumentationum singularum analysi, in qua certæ propositiones exponuntur & roborantur, per synthesin animæ rationalis immortalitas demonstratur, & usus Augustiniani argumenti, accedente apparatu, subjicitur, ad evertendam Epicuri doctrinam de animæ humanæ natura & compositione. Id unum addimus, quod Autor promittit, se eandem materiam fusius, enucleatius ac diligentius examinaturum, in libro suarum investigationum; ubi intimius humanæ naturæ vires, indolem & affectiones explorare curabit, quin etiam occasione textus, in prima hujus operis parte explanati, quamplures quæstiones excitabit, in quibus potissimum summam æqualitatis naturam, insectilium rerum potestatem, rectam dubitandi methodum, sinceram ventorum originem, latentem sen-

sus

ſus cauſam, mathematicarum dimenſionum veritatem, demonſtrativa quadam ratione atque copioſe aperiet.

HISTORICA ANTICA E MODERNA, SACRA E profana, della Citta di Trieſte.

h. e.

HISTORIA ANTIQUA ET RECENTIOR SACRA & civilis, urbis Tergeſti, celebris coloniæ civium Romanorum, in qua recenſentur multa arcana antiquitatis, prærogativa nobilium, geſta hominum illuſtrium, privilegia civitatis, varietas eruditionis, inſcriptiones, ſaxa Mauſolea, ſucceſſus, mutatio rituum & dominorum usque ad annum 1698, opera Rever. P. F. IRENÆI DE CRUCE Carmelitani Diſcalceati, civis hujus urbis. Dedicata Sacræ Majeſtati JOSEPHI Regis Roman. & Hung. Archiducis Auſtriæ.

Venetiis, apud Hier. Albrizzi, 1698. in fol. Conſtat Alph. 5. plag. 12.

PRæclare admodum de patria ſua merentur, qui nec labori nec ſumptui parcunt, ut gloriam ejus literarum beneficio ad venturæ ætatis memoriam transmittant. Caritatem igitur ſuam erga Tergeſtinam urbem, ex qua oriundus eſt, doctiſſimus Autor demonſtraturus, e vetuſtiſſimis monumentis operoſe omnia conquiſivit, quæ ad hiſtoriam & laudes illius pertinere ullo modo videri poterant. Natum hinc eſt opus hoc, ſingulari accuratione, nec minori diligentia conſcriptum, & in octo libros diviſum, quorum ſummam hic dabimus. Recte autem ſe facturum credidit bonus hic patriæ ſuæ Civis, ſi in Tergeſti natales paulo altius inquireret, ſicque ſermonem ſuum a primis ejus incunabulis auſpicaretur. Extra controverſiam eſſe dicit, civitatem hanc conditam fuiſſe a Carnis, Crani & Cranæ poſteris, fortiſſimo populo, & ad Iſtriam ſpectare provinciam, cujus limites antiquos hac occaſione deſignat. Quod ad nomen urbis hujus attinet, non uno eodemque ſemper a ſcriptoribus appellari animadvertimus. Straboni Pagus Carnicus audit, Autore noſtro judice ideo, quod Carnorum quondam ſedes fuerit primaria: qua occaſione naturæ illud miraculum, Lacum Circknicenſem,

pag. 27. veteribus *Lugea palus* dictum, a quo non procul observatur *Lugea*
specus, describi:; de quo cum in recensione Carniolæ antiquæ & no-
væ, in Actis nostris A. 1682, p. 381. & A. 1689, p. 559 dictum jam fuerit,
nunc silemus. Alterum ejus nomen fuit Mons Mulianus, for-
tassis ideo, quod ab Amulio XIV Rege Latinorum pristino splendori
fuerit reddita. Tertium & usitatissimum nomen, quod a Romanis
p. 37. accepit, quoque a scriptoribus fere omnibus, si Græcos aliquos exci-
pias, insignitur, est Tergestum, quasi Ter-egestum seu eversum, quod
tribus vicibus deleta fuerit urbs hæc, semper tamen e ruinis istis feli-
citer emerserit; quæ derivatio contra dissentientes operose defendi-
tur. Describuntur postmodum bella, quæ, ex Autoris mente, Ter-
gestinos inter & Romanos priscis temporibus gesta sunt, & quomo-
do tandem urbs ipsa totaque provincia sub Romanorum potestatem
70. redacta fuerit. Ægre admodum hoc tulerunt Tergestini, sicque liber-
tate amissa maluerunt in Germaniam migrare, quam in patria vivere.
Quanta illi essent animorum magnitudine, cum haud obscure inde
colligerent Romani, invitarunt eos, ut ad pristinas sedes reverteren-
tur, datis & confirmatis privilegiis atque immunitatibus, quibus an-
tea gaudebant, ita ut jam amici Romanorum atque fœderati esse in-
74. ciperent. Factum tandem est, post varios casus, ut dignitatem mu-
nicipii amitteret Tergestum, & colonia fieret Romanorum, jureque
Latii frueretur. Retinuit tamen insignia admodum privilegia, quin
omnia illa, quibus similes coloniæ gloriabantur. Hanc libertatem
suam, has immunitates servavit semper, easdemque successu tempo-
ris Leopoldus IX Austriæ Dux, & Imperatores Fridericus, Carolus
77. V, Ferdinandus III, Leopoldus diplomate singulari ratas habuerunt
atque confirmarunt; neque illam ad Carniolam provinciam perti-
nere, aut ad eadem cum ista onera ferenda obstrictam esse, contra
100. Valvasorem probare Autor allaborat. Hæc postquam ita edisse-
ruisset, quo anno Tergestina civitas facta sit colonia Romana, & quæ-
nam e præcipuis Romanorum familiis istam incoluerint, edocet.
106. Neque solum coloniam civium Romanorum fuisse inquit, sed quod
111. longe potius est, coloniam militarem; id quod fide inscriptionum &
sigilli urbis nititur, quod hodienum in Archivo ejus videri potest.
130. Cum autem ad certam aliquam tribum, non solum qui Romæ vive-
bant cives, sed etiam qui coloniæ Romanæ dignitatem obtinebant,
referri

referri moris esset, ad tribum Publiliam seu Publiciam, non autem Papiniam aut Papiriam, coloniam hanc pertinuisse, contra aliter sentientes demonstrat. Subjungit his, Tergestum instar reipublicæ peculiaris habuisse, non solum antequam a Romanis fuerit subactum, sed etiam postquam colonia civium Romanorum fieret. In probationem hujus rei, inter cætera sequentem, quam infra repetit, inscriptionem Constantini Cæsaris honori sacram adducit: IMP. p. 141 & 437.
CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO. P. F. AUG. R.P. TERG. D.N. P.F. ultimasque notas ita explicat: Respublica Tergestina Devoto Numini Publice Fecit; nec non aliam quandam, quæ & hodie Tergesti conspiciatur, Fabio Severo civi Tergestino, ab Antonino Pio 145.
Imperatore non parum amato, consecratam, quæ tamen prolixior est, quam ut hic inseri queat.

Hac prærogativa etiam nunc gaudere urbem hanc, apparere dicit ex tot privilegiis Imperatorum & Archiducum Austriæ ipsi indultis. Quod ad Magistratum veterem reipublicæ urbisque 156.
hujus attinet, erant ibi Decuriones, Duumviri, Ædiles, Quæstores; & peculiari inscriptione Quintus Cœlius Publii filius Publicius Tergesti Sexvir fuisse ostenditur, quæ dignitas, Wolffgango Lazio judice, nonnisi in coloniis exercebatur. Addit his, qua ratione hodie 176.
gubernetur civitas ista, quodque pristini splendoris regiminisque imaginem, quantum fieri potest, retinere studio curæque habeat. De cætero dum Tergestum colonia facta est Romanorum, eodem 192.
tempore non solum omnia libertatis aut gentilitatis jura adepta fuit, sed etiam in partem sacrorum vocabatur. Adorarunt igitur Ter- 200.
gestini ista ætate, ad Romanorum exemplum, Jovem, Herculem, Genium, Venerem, Mercurium, Silvanum Castrensem, Neptunum, Deos Manes, quorum in variis inscriptionibus hic allatis fit mentio. Neque deerant qui sacris præessent, Flamines, Sacerdotes, Augures. Recenset postea modum sepeliendi mortuos, quodque inter varia se- 231.
pulchrorum genera duo potissimum in usu fuerint Tergestinis, alterum dictum veteribus conditorium seu hypogeum, sarcophagus alterum. Celebrabantur quoque apud illos ludi varii, & etiamnum 244.
loci illius seu arenæ vestigia conspiciuntur, ubi gladiatorii ludi inter omnes populo gratissimi quondam habebantur. Agit insuper Au- 256.
tor de aquæductibus urbis, quorum rudera in hunc usque diem ibi

 su-

264. ſuperſunt, de portubus nonnullis veteribus & binis triumphalibus
269. arcubus, de muris ejus, menſuris, ædificiis & ſtatuis vetuſtate plane
abolitis, quæ in diverſis civitatis partibus inventæ ſunt, & monumen-
277. tis aliis, quæ magnitudinem priſtini decoris oſtentant. Prolixe de-
in recenſet familias Tergeſtinæ urbis varias, Finenſem, Julianam, (cu-
jus origines ab ipſo Didio Juliano Cæſare deducit, quodque ex iſta
oriundi a Friderico Imperatore Milites aurati & Comites palatii
295. regii creati ſint, docet,) Magenzinã & Bonomam, cujus ingens quon-
dam decus fuit Tergeſtinus Epiſcopus Petrus Bonomus. Nec ſilen-
322. tio præterit familias alias Romanas, quæ quondam ibi floruerint, ea-
rumque hiſtoriam & inſigniores ſimul urbis lapides eruditis annota-
341. tionibus illuſtrat. Cumprimis lapidis cujusdam, qui inter rariora
urbis habetur, de familia Barbia meminit, ejusque iconiſmum addit,
qui longe alius eſt, quam prout a Reineſio affertur, & clarorum
371. quorundam Antiquariorum opiniones de eodem ſubjungit. His ita
erudite explicatis, monſtrat inter Italiæ civitates, quæ Chriſto
373. nomen dederunt, non fuiſſe ultimam Tergeſtinam, & adductam eam
fuiſſe ad fidem Chriſtianam, ejurato Gentiliſmo, per Hermagoram S.
Marci diſcipulum. Primi autem Tergeſtini ſacrorum Antiſtitis no-
men, & qui illum ſecuti ſint, Eccleſiæ Præſidum multorum, injuria
377. temporum ignorari. Sermocinatur deinde de baſilica ejus, eccle-
ſiis reliquis & aliis locis ſacris, enumeratque illos, qui ex urbe hac
pro gloria diviniNuminis martyrium ſubierunt; quæ omnia hic repe-
tere non neceſſe erit. Id potius addimus, quod de S. Hieronymi ſo-
445. lo natali affert, quem natum dicit Sdrignæ ſeu Stridonii, oppido quod
ad Iſtriam ſpectat provinciam, & in ſacris ſubeſt diœceſi & epiſco-
453. patui Tergeſtino. Ipſe hoc Hieronymus de ſe ſcribit, ſicque Mar-
cum Marulum, Johannem Lucium & Ferdinandum Ughellium re-
fellit Autor, qui Hieronymum Italum eſſe negant, inque media Dal-
matia natum contendunt. Neque illorum ſententiam reticet, qui
Hieronymum ex Germania oriundum eſſe, perſuadere aliis enitun-
477. tur. Cum etiam non exigua lis ſit inter eruditos, quo in loco bapti-
zatus ſit Hieronymus, urbem Aquilejam hunc ſibi honorem merito
vindicare ait. Eſt in primaria ejus eccleſia ſacellum aliquod ſancto
huic Doctori ſacrum, ubi Autor ante annos aliquot ipſe vidit inſcri-
ptionem hanc lapidi nitidiſſime inciſam: DIVO HIERONYMO
QUI

QUI IN HAC SANCTA ECCLESIA LAVACRUM GRATIÆ SUSCEPIT ET FIDEM Qui Romæ eum sacro fonte tin- 481.
ctum esse arbitrantur, ex epistola ejus 58 hæc verba citare solent: *Ego, ut ante jam scripsi, Christi vestem in Romana urbe suscipiens* &c.
per quam sacrum baptisma intelligi volunt. Verum enim vero os- 483.
tendit Autor, vocabula illa *Christi vestes aut vestimenta*, diversas admodum admittere interpretationes. Ita igitur illa esse intelligenda: 485.
S. Hieronymum Romæ indutum fuisse veste seu habitu sacerdotali, seque ibi sacro ministerio addixisse. Hæc cum prolixe more suo ex- 489.
posuisset, Gothorum, Hunnorum aliarumque barbararum gentium in patriam suam irruptiones recenset. Libro septimo de schismate in Aquileiensi ecclesia nato & tandem abolito, aliisque ad sacram historiam pertinentibus sermonem habet. Ultimo denique libro 642. & pag.
idem argumentum prosequitur, simulque docet, Johannem Episco- 645.
pum, ut militi stipendia solvere posset, coactum fuisse, quæ in Tergestinos cives habebat jura illis vendere, cujus rei instrumentum solenniter erectum hic legitur. Historiam insuper Tergestinam per tem- 646.
pora trium Ottonum deducit, & denique de præcipuis Tergestinorum familiis agit, illarumque insignia gentilitia, additis figuris, affert. Totum commentarium claudit index autorum & materiarum amplissimus.

TRAITE' DES PERTES DE SANG &c.

i. e.

TRACTATUS DE HÆMORRHAGIIS CUJUSCUNque generis, una cum Remedio earum specifico recenter invento ab ADRIANO HELVETIO, Medicinæ Doctore. Cujus etiam Epistola de Natura & Cura Cancri adnectitur.

Parisiis, apud Laurentium d'Houry, 1697. in 8.
plag. 15.

QUa methodo *Autor Nobilissimus* febres fugare, quoque remedio dysentericos soleat servare, in *Actis A. 1694, p. 334*, & *A. 1695 p. 560* prolixe commemoravimus; e præsenti autem scripto paucis indigitandum erit, qua ratione ab eodem nunc quæcunque hæmor-

morrhagia compescatur, nunc cancer quoque tollatur felicissime. In ipso nempe tractatu, ubi Autor de sanguinis statu naturali & præternaturali, variisque hæmorrhagiarum causis, non minus ac de harum differentiis, vel utrique sexui communibus, vel alterutri propriis, de prognosi itidem & remediis generalioribus, disseruit, imprimis Specificum a se inventum ad omnem hæmorrhagiam tuto sistendam commendat, usum hujus genuinum tum edocendo, tum exemplis multis utriusque sexus persuadendo. Sicut namque specificum ipsum e rupei aluminis depurati duabus unciis in cochleari argenteo fusis, atque sanguinis draconis pulverisati uncia dimidia commixta in pilulas pisi magnitudine, habetur concinnatum: ita in leviori malo dimidiam ejusdem drachmam in syrupi cydoniorum cochleari ter quaterve mane ac vesperi assumptam, decocto hordei cum herbis capillaribus superhausto, innuitur sufficere; in graviori tamen hæmorrhagia duos etiam scrupulos, vel integram drachmam requiri, singulis quatuor horis, præscripto simul regimine observato, propinandam. E multis autem historiis, quibus laudati specifici efficacia insignis comprobatur, unicam fœminam nominasse sufficiat, intra sextiduum, non solum auxilio dimidiæ specifici drachmæ, omnibus quatuor horis die nocteque ingestæ, a nimio menstruorum fluxu, quem animi deliquio, dispnœa & convulsionibus stipatum, occasione medicamenti cujusdam martialis incautius adhibiti, quatuor jam menses perpessa erat, liberatam, sed & usu ejusdem per tres adhuc septimanas bis de die continuato, perfecte restitutam. Sed in Epistola, quam de cancro *Noster* ad *Dn. Regis* A. 1691 perscripsit, hicque auctiorem subjunxit, ex ipsius cancri exortus atque progressus accuratiori consideratione, hunc in principio non nisi parvam alicujus guttæ humoris in quadam glandula coagulationem adstruit, ab interna duorum humorum sibi invicem occurrentium dispositione rarissime, frequentissime ab externa compressione violenta, introductam; tuncque facillimum curatu, vel portiunculam ejusmodi humoris leviter coagulati dissolvendo, vel caustico consumendo. E diverso in progressu, quando ab alius humoris accessu majorique hujus cum priori coagulatione cancer increvit, ac instar cornu vel firmioris crustæ lardi induruit, ab omni prorsus remedio externo abstinendum esse præcipit, ne humor inde irritatus suum dispergat fermen-

mentum, cancerque exulceratus evadat; restare hic solummodo, ut incisa cute, glandula subjecta Helvetiano tenaculo Fig. I. delineato apprehendatur, apprehensaque, pro malo malique causa simul auferendis, extirpetur, vulnusque primum linteo carpto sicco, mox in modum vulneris simplicis deligetur atque consolidetur. Huic enim theoriæ apprime respondere praxin, exemplo tum fœminæ in Anglia natæ, tum aliarum, quibus molestum mammarum cancrum curavit extirpandum, sufficienter evincit. Quod si vero ægrotantis negligentia, vel culpa Chirurgi, cancer in ulcus degenerarit, fermentumque diffusum fuerit, absque mora, non neglectis tamen generalioribus, totam partem cancrosam, v. g. mammam, citius amputandam esse suadet, quam fermentum cancri profundius penetrando glandulasque musculorum pectoralium inficiendo, malum incurabile reddiderit. Neque pertimescendam adeo esse talem amputationem, cum subito possit absolvi, omnisque hæmorrhagia vel solo crepitu lupi compesci, modo tota v.g. mamma tenaculo magno, cujus manubrium in Fig. 4. notatur, primum apprehendatur, hinc cutis sana, tenaculum & corpus interjacens, quantum fieri potest, digitis revellatur, integra denique mamma instrumento, in novaculæ formam fabrefacto, subito rescindatur. Varia autem inter remedia, vulneri post vasorum sanguiferorum coalitum adaptanda, unguentum extollit, e ceræ flavæ unciis sex, & picis resinosæ unciis quatuor invicem liquefactis, ac petrolei & olei lini ana unciis tribus, olei succini & spicæ ana unciis duabus, olei chamomillæ, olivarum ac terebinthinæ ana uncia una, & spiritus vini unciis duabus admixtis, præparatum, tunc etiam optimum, quando profundior portio cancrosa ne forfice quidem inflexa omnimode removeri valuit, quemadmodum alias in gangræna etiam coercenda & doloribus arthriticis sopiendis egregium. Tab. V.

Explicatio Figurarum Tabulæ V.

Figura 1. Tenaculum Helvetianum sistit, eadem magnitudine, qua in cancro fœminæ Anglicanæ extirpando fuit adhibitum. Instrumentum videlicet est ferreum, cujus apices tantummodo habentur temperati.

AA. Duo tenaculi sunt brachia, æqualis longitudinis.

BB. Duo sunt apices, in quos duo brachia semilunaria desinunt, ita conformati, ut alter alterum, si tenaculum claudatur, propter firmiorem apprehensionem transcendat. Quæ semilunaria brachia tota sunt plana, non autem secantia, & sensim sensimque usque ad apices diminuuntur.

CC. Inferiores tenaculi sunt extremitates sive manubria, quibus forficis ad instar apprehenduntur. Pro magnitudine cancri extirpandi variabunt etiam hujus instrumenti longitudo, foraminis ab utroque brachio semilunari relicti capacitas, & quantum apex alter alterum transcendere debeat.

Fig. 2. Cancrum exhibet eadem magnitudine, qua in dicta fœmina fuit extirpatus.

D. Parvus est locus, maculam eam lividam denotans, cujus in Epistola facta mentio.

Fig. 3. Cancrum eundem resciffum monstrat, quo lustrentur & tractentur ejus interiora.

E.E.E.E. Quatuor existunt quadrantes hujus cancri, cujus durities interna pariter atque externa ad corneam, aut saltem talem, qualis crustæ lardi durioris esse solet, accedebat.

Fig. 4. F.F. Aliud magnum repræsentat tenaculum, amputationi potissimum inserviens, cujus extremitates duæ, quibus instar forficis apprehenditur, parum sunt incurvatæ. Usum præstat in tumore facilius comprehendendo, ut sectio hinc sub eodem instituatur novacula.

ΘΩΜΑ ΤΟΥ ΜΑΓΙΣΤΡΟΥ ΚΑΤΑ ΑΛΦΑΒΗΤΟΝ Ὀνομάτων Ἀττικῶν Ἐκλογαί.

NICOLAUS BLANCARDUS emendavit, opus universum disposuit, & καταλόγον veterum scriptorum addidit. Animadversiones suas adjecit LAMBERTUS BOS.

Franequeræ, apud Leonard. Strik, 1698. in 8.
Constat plagulis dimidiatis 33.

EXhibuimus mense Septembri superioris anni Lamberti Bos Diatribas Philologicas in quædam loca N. T. In his ut insigne sacri

cri Codicis illustrandi studium merito in Autore celeberrimo laudavimus: ita nostrum censuimus non prӕterire doctissimas observationes, quas Thomӕ Magistri libello duobus jam annis ante idem adjecerat. Ipsas enim *Thomӕ Magistri Eclogas* quod attinet, illӕ e Clarissimi *Nicolai Blancardi* autographo, manu ipsius ex optima editione, quӕ Romӕ A. 1517, typis Zachariӕ Caliergi Cretensis, cum privilegio Leonis Papӕ prodierat, accuratissime descripto, & cum aliis duabus editionibus, ipsisque Autoribus, qui a Thoma citantur, collato, typis satis nitidis descriptӕ sunt, lectissimasque eloquentiӕ Atticӕ elegantias stylo facili atque concinno tradunt: versione tamen Latina, quam Blancardus valetudine impeditus non addidit, nec alius quidam Grӕcarum literarum studiosus, qui id susceperat negotii, ob frequentissimos in Thoma Grӕcismos adjicere potuit, destituuntur; qua quidem Grӕcӕ linguӕ gnari, quibus hic libellus scriptus est, per Autoris planam in scribendo simplicitatem facile carebunt. Cӕterum in Observationibus suis Clarissimus *Bos* id agit, ut plurimis locis Thomam explicet, perperam ab eo scripta emendet, recte dicta probet & aliunde allatis exemplis confirmet, aliorum etiam prӕclare monita adducat, errata modeste ostendat, & usum denique hujus libelli in vindicandis etiam sacris literis demonstret. Quod ex exemplis nonnullis in medium adducendis, Lectori benevolo non injucundum fuerit cognovisse. Explicat certe ac illustrat Thomam suum Autor, quando ad p. 89 Thomӕ verbis, Θεῷ, ὐ θεᾷ, εἰ καί τινες γράφουσιν, hanc explicationem subjicit: velle Thomam, Atticum esse voces masculinas in femininas transferre, quemadmodum Aristophanes sӕpissime Minervam θεὸν, non θεὰν vocet. in Pluto p. 114, τὸν ὀπισθόδομον ἀεὶ φυλάττων τῆς θεοῦ, *Aram Deӕ* (Palladis) *semper custodiens*; & in Equit. p. 343, ἡ γὰρ θεός μ᾽ ἐκέλευσε νικῆσαι σ᾽ ἀλαζονείᾳ, *Dea* (Pallas) *certe jussit, ut te vincam vanitate.* Ad illud Thomӕ p. 1, Ἄγεσθαι γυναῖκα, οὐκ ἄγει, ut prӕtermissum notat Noster: hanc phrasin ἄγεσθαι γυναῖκα etiam dici de *patre filio suo uxorem stipulante*; sed hoc sensu addi dativum personӕ. Pausan. in Atticis: ὡς δὲ ἐπανῆλθεν, Ἀγαθοκλεῖ τῷ υἱῷ Λυσάνδραν γυναῖκα ἠγάγετο. Herodianus de Mammӕa & Alexandro: ἠγάγετο δ᾽ αὐτῷ τὴν γυναῖκα τῶν εὐπατριδῶν. Quod Latini dicant, *despondere alicui filiam.* Terent:

BB. Duo sunt apices, in quos duo brachia semilunaria desinunt, ita conformati, ut alter alterum, si tenaculum claudatur, propter firmiorem apprehensionem transcendat. Quæ semilunaria brachia tota sunt plana, non autem secantia, & sensim sensimque usque ad apices diminuuntur.

CC. Inferiores tenaculi sunt extremitates sive manubria, quibus forficis ad instar apprehenduntur. Pro magnitudine cancri extirpandi variabunt etiam hujus instrumenti longitudo, foraminis ab utroque brachio semilunari relicti capacitas, & quantum apex alter alterum transcendere debeat.

Fig. 2. Cancrum exhibet eadem magnitudine, qua in dicta fœmina fuit extirpatus.

D. Parvus est locus, maculam eam lividam denotans, cujus in Epistola facta mentio.

Fig. 3. Cancrum eundem rescissum monstrat, quo lustrentur & tractentur ejus interiora.

E.E.E.E. Quatuor existunt quadrantes hujus cancri, cujus durities interna pariter atque externa ad corneam, aut saltem talem, qualis crustæ lardi durioris esse solet, accedebat.

Fig. 4. F.F. Aliud magnum repræsentat tenaculum, amputationi potissimum inserviens, cujus extremitates duæ, quibus instar forficis apprehenditur, parum sunt incurvatæ. Usum præstat in tumore facilius comprehendendo, ut sectio hinc sub eodem instituatur novacula.

ΘΩΜΑ ΤΟΥ ΜΑΓΙΣΤΡΟΥ ΚΑΤΑ ΑΛΦΑΒΗΤΟΝ 'Ονομάτων 'Ατ]ικῶν 'Εκλογαί.

NICOLAUS BLANCARDUS emendavit, opus universum disposuit, & κα]άλογον veterum scriptorum addidit. Animadversiones suas adjecit LAMBERTUS BOS.

Franequeræ, apud Leonard. Strik, 1698. in 8.
Constat plagulis dimidiatis 33.

EXhibuimus mense Septembri superioris anni Lamberti Bos Diatribas Philologicas in quædam loca N. T. In his ut insigne sa-

cri

cri Codicis illustrandi studium merito in Autore celeberrimo laudavimus: ita nostrum censuimus non præterire doctissimas observationes, quas Thomæ Magistri libello duobus jam annis ante idem adjecerat. Ipsas enim *Thomæ Magistri Eclogas* quod attinet, illæ e Clarissimi *Nicolai Blancardi* autographo, manu ipsius ex optima editione, quæ Romæ A. 1517, typis Zachariæ Caliergi Cretensis, cum privilegio Leonis Papæ prodierat, accuratissime descripto, & cum aliis duabus editionibus, ipsisque Autoribus, qui a Thoma citantur, collato, typis satis nitidis descriptæ sunt, lectissimasque eloquentiæ Atticæ elegantias stylo facili atque concinno tradunt: versione tamen Latina, quam Blancardus valetudine impeditus non addidit, nec alius quidam Græcarum literarum studiosus, qui id susceperat negotii, ob frequentissimos in Thoma Græcismos adjicere potuit, destituuntur; qua quidem Græcæ linguæ gnari, quibus hic libellus scriptus est, per Autoris planam in scribendo simplicitatem facile carebunt. Cæterum in Observationibus suis Clarissimus *Bos* id agit, ut plurimis locis Thomam explicet, perperam ab eo scripta emendet, recte dicta probet & aliunde allatis exemplis confirmet, aliorum etiam præclare monita adducat, errata modeste ostendat, & usum denique hujus libelli in vindicandis etiam sacris literis demonstret. Quod ex exemplis nonnullis in medium adducendis, Lectori benevolo non injucundum fuerit cognovisse. Explicat certe ac illustrat Thomam suum Autor, quando ad p. 89 Thomæ verbis, *Θεῷ, ού θεᾷ, εἰ καί τινες γράφουσιν*, hanc explicationem subjicit: velle Thomam, Atticum esse voces masculinas in femininas transferre, quemadmodum Aristophanes sæpissime Minervam *θεὸν*, non *θεὰν* vocet. in Pluto p. 114, *τὸν ὀπισθόδομον ἀεὶ φυλάττων τῆς θεοῦ*, *Aram Deæ* (Palladis) *semper custodiens*; & in Equit. p. 343, *ἡ γὰρ θεός μ' ἐκέλευσε νικῆσαι σ' ἀλαζονείᾳ*, *Dea* (Pallas) *certe jussit, ut te vincam vanitate.* Ad illud Thomæ p. 1, *Ἄγεται γυναῖκα, οὐκ ἄγει*, ut prætermissum notat Noster: hanc phrasin *ἄγεσθαι γυναῖκα* etiam dici de *patre filio suo uxorem stipulante*; sed hoc sensu addi dativum personæ. Pausan. in Atticis: *ὡς δὲ ἐπανῆλθεν, Ἀγαθοκλεῖ τῷ υἱῷ Λυσάνδραν γυναῖκα ἠγάγετο.* Herodianus de Mammæa & Alexandro: *ἠγάγετο δ' αὐτῷ τὴν γυναῖκα τῶν εὐπατριδῶν.* Quod Latini dicant, *despondere alicui filiam.* Terent:

nam aliam ei pater desponderat gnatam Chremetis. Sic ad varias significationes, quas Thomas verbo παραιτοῦμαι p. 140 tribuit, addit, id idem quoque notare, quod simplex αἰτεῖσθαι. Aristoph. Equit. p. 290, Ἓν δὲ αὐτοὺς παραιτησώμεθα; *unum eos rogabimus.* ubi Schol. Περιττὴ ἡ παρὰ, ἔστι γὰρ αἰτησώμεθα, παρακαλέσωμεν· πλεονάζουσι γὰρ καὶ ἐλλείπουσι ταῖς προθέσεσιν Ἀττικοί. Alibi Thomæ observationes probationum robore destitutas, exemplis adductis confirmat Noster: v. g. vocem βάκηλος, cum Thomas p. 26 male a nonnullis pro homine molli poni dixisset, cum illa eum potius, qui virilibus est exsectis, denotet; ejus autem rei exemplum nullum addidisset: ille hunc defectum supplet e Lucian. Pseudol. p. 441, & Eunuch. 844. τὸ δὲ τοῦ εὐνούχου, καὶ τῶν βακήλων χεῖρον εἶναι· τοὺς μὲν γὰρ κἂν πεπειρᾶσθαι ποτὲ ἀνδρείας, τοῦτον δὲ ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς ἀποκεκόφθαι. Ex quo loco docet etiam differentiam inter εὐνοῦχον & βάκηλον, quod nimirum Eunuchus sit, qui statim a nativitate castratus est, βάκηλος vero, qui aliquando expertus est virilitatem. Plura hujus in Cl. Autore nostro studii adduceremus exempla, nisi copia hic nos obrueret, cum hoc potissimum in Thoma suo agendum sibi sumserit, ut illius observationes probatissimis exemplis confirmaret. Quare potius, ubi vel scriptionem ejus vel sententias emendarit, videamus. Leguntur in Thomæ hac editione p. 10 sequentia: ἀναπεσεῖν βέλτιον ἐπὶ τοῦ ἀδημονῆσαι, καὶ ἀθυμῆσαι, ἢ ἐπὶ τοῦ ἀνακληθῆναι: restituit ibi Autor observationum lectionem genuinam, ἀνακλιθῆναι. Pag. 18 Thomas hæc habet: ἀπολείπει ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα. Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις· ἀπολιποῦσαι γὰρ αὐτὴν ᾤχετο. Λιβάνιος ἐν μελέτῃ τῆς λάλου· ἔκβαλε τὸ γύναιον. Quem totum locum corruptum & mutilum e veteribus codicibus hoc modo restituit: Ἀπολείπει ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα. Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις· ἀπολιποῦσα γὰρ αὐτὸν ᾤχετο. ἐκβάλλει δὲ ὁ ἀνὴρ τὴν γυναῖκα. Λιβάνιος ἐν Μελέτῃ τῆς λάλου. ἔκβαλλε τὸ γύναιον. Cujus generis plura occurrunt. Jam uti ipsas Thomæ opiniones minus accuratas rejiciat, & saniores restituat, uno vel altero exemplo docebimus. Pag. 122 in voce μίγνυσθαι Thomas existimat, μίγνυσθαι recte dici de viro, qui rem habet cum muliere, secus de muliere cum viro rem habente. Sed hanc differentiam non observari ab ullis, imo ne Ἀττικωτάτοις quidem scriptoribus, probat Autor, tum exemplis

plis

plis ab Illustri Grævio ad Lucian. Solœc. ex Parthenio & Herodoto: tum ex Apollodoro Bibl. III, 13, 3: ȣ̃ (Κεφάλȣ) ἐρασθεῖσα Ἠὼς ἥρπασε, καὶ μιγεῖσα ἐν Συρίᾳ παῖδα ἐγέννησε Τιθωνόν; Conone Narrat. 9 ἡ Σεμίραμις τῷ υἱῷ λάθρα, καὶ ἀγνοῦσα μιγεῖσα; Pindaro μιγεῖσα Φοίβῳ. Quibus & ex ipso Luciano locus, & hic Aristoph. in Ran. p. 263: καὶ τικτούσας ἐν τοῖς ἱεροῖς, καὶ μιγνυμένας τοῖσιν ἀδελφοῖς additur. Id imitatus est Virg. l. VII Æneid. *mixta Deo mulier.* Ad quem locum Servius: Mœchisa Græce dixit; ubi pro mœchisa, michthisa vel migisa legendum Autor censet. Ita cum in voce Ἀλεκτρυών p. 5 inter alia posuisset Thomas, vocabulū Ἀλέκτωρ prorsus Græcum non esse; miratur illud Autor noster, cum id habeant Simonides & Cratinus, teste Athenæo, qui Deipnos. 2, 4: λέγεται δὲ καὶ Ἀλεκτορὶς καὶ Ἀλέκτωρ; Σιμωνίδης: ἡμερόφων ἀλέκτωρ. Κρατῖνος Ὥραις: ὀλόφωνος ἀλέκτωρ. Usus etiam est hac voce D. Luc. Ev. XXII, v. 60. Pari ratione Thomæ observationes locum non habere ostendit in voce βȣκολεῖν, γαστρίζειν, μᾶλλον, & χαίρειν. In quo ultimo manifestum mendum detegit Autor. Dixerat enim Thomas, Platonem in epistola primum scripsisse χαίρειν: cum de Cleone Atheniensi Tribuno illud Scholiastes Aristophanis ad Plut. Act. II, Scen. 2. item in Nub. p. 163, & Suidas in Εὖ πράττειν, Lucianus denique in de Lapſ. inter salut. asserant. Quare tandem Autor cum eruditissimo Menagio ad Laert. Lib. III. Thomam scripsisse ita putat: Χαίρειν ἐν ἐπιστολῇ πρῶτος λέγεται γράψαι Κλέων Ἀθηναίοις. Quomodo etiam teste Menagio scriptum apud Mœrin Atticistam in Dictionibus Atticis, a quo hæc desumsit Thomas. Unde apparet, Cl. Autorem & Thomæ sui laudes data occasione prædicare, nec tacere vitia. Quod idem & de aliis facit, & de illorum observationibus non ingenue minus quam accurate judicat. Ita cum Thomas in voce σφὲ p. 172 semel tantum σφέτερον ἐπὶ ἑνικȣ̃ usurpatum exemplo quodam incerti Scriptoris tradidisset, Autor noster Illustrissimi Spanheimii monitum laudat, qui in Observationibus suis in Callimachum Hym. in Delum p. 458 quamplurimis testimoniis ex Apollonio Rhodio & Pindaro probet, sæpe σφέτερον usurpatum ἐπὶ ἑνικȣ̃ pro ἑὸν *suum.* Contra in voce διαχρῶμαι vapulat Autori nostro Schefferus, qui ad verba Æliani V. H. III, 1, 45, ξίφος, ᾧ τὸν φίλιππον διεχρήσατο, notat vocabulum hoc alibi haut legi,

ideoque sibi admodum esse suspectum, & procul dubio scribendum διεχειρίσατο. Nequaquam enim id suspectum ei esse debuisse ait Noster, cum apud Græcos puriores sit frequentissimum: v. g. apud Herodian. I, 19 αὐτοὺς διαχρησάμενος. conf. cap. 13, & 32. App. Alex. de Bell. Pun. ἵνα ἐκφεύγοντας ἐκείνους διώκοιεν καὶ διαχρῶντο. Parthen. Erot. cap. 33 διαχρήσασθαι τὸν Ἀσσάονα ἑαυτόν. Euseb. λόγω πρώτω: λέοντα διαχρώμενος, & aliis locis. Porro vocem ἑβδόμη Thomas non unitatem septimam minus quam totum numerum septenarium notare dixerat; hanc vero vocis significationem ignotam fuisse Laertii interpreti, ex eo probat Autor, quod in verbis e vita Cebetis: (καὶ τούτου (Κέβητος) φέρονται διάλογοι τρεῖς, Πίναξ, Ἑβδόμη, Φρύνιχος,) Ἑβδόμη vertit *Septimam*, cum vertere debuisset *Septenarium*; quemadmodum observarit Petitus Miscellan. Observ. III, 4. Sic & Æliani interpretem ignoratæ Atticæ elegantiæ convincit in voce θήρατρον, & alios alibi. Tandem & sacrarum literarum N. T. fontibus ab aliis turbatis suam vindicare puritatem non negligit: cujus studii vel unicum adduxisse exemplum sufficiat. Scilicet ex judicio Thomæ p. 146 consequetur, D. Lucam c. X, v. 40 in verbis περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, ἀμαθῶς locutum fuisse. Sed autoritate non carere Lucæ dictionem, Autor adductis e Plutarcho, Basilio in Ep. ad Gregor. Luciano & Diodoro Siculo aliquot exemplis ita evincit, ut ex illius studio inposterum etiam sacræ Philologiæ, Græcisque literis plurima commoda spondere queamus.

A CHRONICLE OF THE KINGS OF ENGLAND.

Hoc est

CHRONICON REGUM ANGLIÆ AUCTORE RICHARDO BAKERO. Addita est Historia CAROLI I & CAROLI II.

Londini apud Ben. Tooke &c. 1696. in fol. Alph. 10. pl. 2.

Quanto in pretio apud Anglos sit Bakeri hoc Chronicon, facile intelligitur ex eo, quod nonum jam ante aliquot annos prodierit. Neque videtur ipse sibi male ominatus, quando ea cum cura

con-

conscriptum esse asseruit, ut aliorum Chronicorum omnium, si hoc modo servaretur, jacturam putaret haud magnopere deplorandam. Ut vero taceamus, acerrimum in rebus discernendis judicem fuisse Bakerum, neque temere, quæ perspecta satis non habebat, asseruisse, vel sola ejus methodus non potest non unicuique apprime sese commendare. Postquam enim cujusvis Regis vitam & res gestas breviter, prout par erat, descripsit, de exactionibus ejusdem, legibus item & ordinationibus, Ecclesiæ sub illo statu, piis ejus factis, ut templorum collegiorumque instaurationibus, nec non rebus insolitis, quæ sub eo contigerunt forte, de conjuge ejus atque liberis, de statura, virtutibus, vitiis aliisque rebus, quæ ad characterem ejus exprimendum faciunt, de morte denique & sepultura, virisque doctis, qui sub eo claruerunt, sigillatim disserit. At quoniam Chronicon non nisi ad mortem usque Jacobi I perducere Bakerus ipse potuit, inventus est, qui Caroli I quoque historiam adderet, in qua simultatis Regem inter natæ & Parlamentum causæ, bellorum ratio omnis, ac demum processus criminalis contra illum instituti momenta singula attinguntur. Exstant hic & ultima ejus verba, quæ filiolo septenni Henrico Glocestriæ Duci dixit, filiæque Elisabethæ, cujus hæc ipsa potissimum e schedis sunt deprompta. Præceperat vero tum Elisabethæ, ut fratres ad concordiam hortaretur, ignosceret inimicis suis, sed fidem haberet nequaquam, mortem suam impensius ne doleret quippe Martyris, animum adversus Pontificios bene muniret, eoque Episcopi Andreæ Conciones, Hookeri Politiam Ecclesiasticam & Laudi Episcopi Librum contra Fischerum studiose legeret. Qua deinde alacritate ad mortem processerit, quam patienter nequissimorum militum contumeliam pertulerit, quæ postremum ad populum peroraverit, aliaque multa, quæ ad Carolum I spectant, multo studio in priori hac appendice videas delineata. Accessit denique huic appendici alia, auctore E. Philips, paulo prolixior priori (utraque vero dimidiam totius operis explet partem,) quæ ea complectitur, quæ post Carolum I usque ad Caroli II mortem in Anglia acciderunt. Unde quo pacto Reipublicæ forma alia tum ex alia nata, quibus jactatus calamitatibus primum, quo successu, quam insperato redditus demum Regnis suis Carolus II fuerit, ex ipsius imprimis supremi ducis Georgii Monkii, postea Ducis

Albe-

Albemarlii aliorumque, quibus per ea tempora summa rerum demandata erat, diariis scriptisque studiose recensetur. Longum foret hic commemorare primum cladem Montrossii, cujus primarium vexillum repræsentabat caput cæsi Regis cruore conspersum, addita epigraphe: *Judge and revenge my Cause, o Lord*, id est, judica & vindica causam meam, o Deus. Inde nec prolixe referemus, quemadmodum Londini sævitum in statuas Caroli fuerit, quarum illi quæ in Bursa Regali exstabat, amputato capite subscribebant: *Exit Tyrannus Regum ultimus, anno libertatis Angliæ restitutæ primo, annoque Domini 1648.* Tum etiam vim omnem atque artes, quibus viam sibi Cronwellus stravit ad imperium, descripsit luculenter Autor. Imprimis vero notatu digna sunt, quæ deinde de inopina prorsusque admiranda Caroli II in Regnum restitutione habentur, ubi Monkii maxime virtus & prudentia, quin & felicitas enituit. Res enim anceps omnino & plena periculi videbatur, cum exigua manu Angliam copiis instructissimam, nec oportuno satis tempore invaderet. Habebat Monkius in exercitu novies mille & sexcentos pedites, equites mille & quadringentos, eosque Regium imperium abhorrentes omnes. Contra erat in Anglia vis imperii penes eos, qui immortali odio prosequebantur Regem, instructos exercitu militum ad minimum triginta millium. Monkius tamen & militum suorum animos paulatim Regi conciliabat, tum vero callido consilio id agebat imprimis, ut adversæ partis exercitum ex urbe Londinensi eliceret, protinusque in ejus locum sufficeret milites suos. Quod cum illi consilium cessisset haud improspere, facili negotio Parlamentum, urbem ipsam, Regnumque universum ad fidem pristinam revocavit. Sed hæc & prolixius a nobis recenseri nequeunt, & publice nota sunt. Interim huic editioni locum hic eo lubentius dedimus, quo minus scatet erroribus, quales in pristinas editiones frequentes irrepserant.

NOUVELLE PRATIQUE DES MALADIES AIGUES &c.

i. e.

PRAXIS NOVA MORBORUM ACUTORUM, UT ET illorum omnium, qui a fermentatione humorum oriuntur. Autore DANIELE TAUVRY, Doctore & Professore Facultatis Medicæ Parisiensis. Tomi II.

Parisiis, apud Laurentium d' Houry, 1698. in 8. alph. 2. plag. 20 $\frac{1}{2}$.

Quam

Quam temere ac imprudenter Practici Gallorum pristinis temporibus, imo hodienum nonnulli, venæsectione juxta & purgatione enervare ægrotantes miseros consueverint, usque adeo notum est, ut in ipsa Parisiensium urbe publico ludibrio a Comicis plus simplici vice expositi hoc nomine in scena fuerint. Talem haud esse Autorem nostrum, præcipue quod venæsectionis abusum attinet, non solum Praxeos hujus novæ lectio, & præsertim propria ejus de perversa hac consuetudine confessio ejusque improbatio, Tom. II pag. 282. 283. 424. & 452, sed & testimonium illud patefacit, quod de singulari Autoris in evacuationibus his cautione & prudentia Dn. Cressé D. & Prof. Facult. Med. Parisiens. largiri non dubitat, quod inter alia hujus generis plura tractatui huic præfixum cernimus. Quamvis, quod alterum attinet punctum, dissimulandum haud sit, eundem nationis suæ consuetudini plurimum adhuc indulgere, nimisque videri liberalem in exhibendis purgantibus; siquidem non solum in febribus intermittentibus, ubi excusari illud forte posset, sed etiam in malignis atque ipsis petechialibus, exanthematis jam erumpentibus, crebriorem & quotidianum fere præscribit catharticorum fortiorum usum, quo de luculenta prostant exempla Tom. II p. 416 & p. 426.

De cætero satis jam notum est inter Medicos eruditos Dn. Tauvry nomen, quippe qui duobus jam tractatibus, altero de Materia Medica, altero Anatomico Physiologico, quem in Actis his A. 1691 mense Octobri p. 471 sqq. recensuimus, publicum sibi devinxit. Tota autem hæc de morbis acutis pertractatio experientiam accurato judicio & sana atque constanti ratione confirmatam sapit: neque suo modulo omnia metitur Autor, sed in allegandis tam veterum quam recentiorum observationibus admodum frequens est, quos conferre, & si opus, conciliare tam apposite solet, ut judicium ejus & labor de palma certare ancipiti contentione videantur. Quod materiam operis hujus attinet, selegit sibi illam de Morbis Acutis, quorum natura & causæ quantis sint difficultatibus implicitæ, Practicorum plerorumq; tam veterum, quam modernorum loquuntur scripta, & relictæ in ipsis de fallaci horum prognosi atque incerta satis curatione querelæ. Ut igitur principiis solidioribus practica de morbis his innitatur doctrina, Physica accersit experimenta, quæ cum ratio-

ne applicata, manifestare omnium accuratissime, quid veri falsive observationibus Medicorum practicis insit, censet: & cum inordinata humorum nostri corporis fermentatio in omnibus fere morbis acutis, ex mente sua, supponenda sit, præmittit speciali morborum tractationi doctrinam tam physicam quam pathologicam de fermentatione, ita quidem, ut doceat primo ex principiis chemicis, quid sit vera fermentatio, quomodo differat ab effervescentia, & quæ sint ejus consectaria, solutio nimirum ac præcipitatio, particularumque internarum transmutatio: postmodum examini accuratiori subjicit fermentationis humorum in corpore nostro effectus, tam ex naturali, quam ex præternaturali ejusdem statu scaturientes: hanc autem fermentationem in statu præternaturali constitutam ordinarie, vel in excessu, vel in defectu peccare asserit, ex quo non solum febrium, præsertim intermittentium, frigus alternativum atque calorem, sed & morborum acutorum fere omnium causas deducendas esse existimat. Tradita hac de fermentatione doctrina, amplam nanciscitur occasionem disserendi de coctione humorum & crisibus, quæ fundamenti loco veteres praxi suæ subjecerunt dogmaticæ: cum autem usque adeo corrupta & contaminata sit falsis observationibus & nimium lubricis hypothesibus Astrologicis hæc ipsa doctrina, ad mentem veterum proposita, ut in errores potius crassos, quam accuratam Semioticæ cognitionem Practicos novellos deducere soleat, omnem impendit operam, ut demonstret, quousque harum veritas & certitudo pertineat, quo de videri meretur Tomi I, cap. 4, plag. 65. Progreditur hinc ad indicationes illas, quas Medicus formare potest, examinando ægrotantis pulsum, linguam, cutem, vultum, ventrem, lotium, per vomitum & alvum reddita, sudorem, vocem, respirationem, atque actiones necessarias & voluntarias; ne scilicet postmodum in speciali de morbis acutis doctrina, generalia illa, & morbis fere omnibus communia repetere, semper necesse habeat. Suppositis his, aggreditur specialem morborum recensionem, initium faciendo a febribus intermittentibus, quarum praxin una cum Tomo I absolvit.

Tomo II autem ulterius pergit ad febres continuas, ardentes, irregulares vel compositas, symptomaticas, lentas, hecticas & catarrhales: posthæc mentionem facit symptomatum, quæ febres con-

continuas comitari nonnunquam solent, quo pertinent affectus soporosi, morbi convulsivi, phrenesis & delirium, angina, pleuritis & peripneumonia, singultus & vomitus, diarrhœa & colica, nec non suppressio urinæ. Cap. 21 proponit febres malignas, sequentibus autem capitibus symptomata, quæ easdem stipare communiter solent, bubones nimirum, carbunculos, parotides atque petechias; ut & reliquos affectus febribus malignis affines, quales sunt variolæ & morbilli, morbusque Hungaricus.

Procedit autem in speciali hac de morbis acutis tractatione ita fere, ut proponat ante omnia genuinum cujusvis morbi characterem, vel, ut in scholis loquimur, signa pathognomonica, deinde causas suppeditat externas; ex his, signis nimirum & causis externis, elicit causas internas, atque explicat connexionem illam, quæ has inter atque alterationem partium solidarum, actionumque vitalium æque ac animalium intercedit. His jam commemoratis innituntur, quam de quovis morbo suppeditare solet, prognosis, nec non indicationes curativæ, quæ requiruntur ad medendum symptomatibus urgentibus, atque auferendum morbum primarium ipsum. Omnium optime autem Autoris nostri cognosci potest medendi methodus ex observationibus illis practicis, quas de febribus intermittentibus, continuis atque malignis, speciali cura & studio, loco suo, nimirum Tom. I. cap. 25. p. 205. Tom. II. cap. 20. p. 255. & cap. 28. p. 414. annotatas invenimus.

JOHANNIS MARCKII IN HOSEAM COMmentarius.

Amstelædami, apud Gerhardum Borstium, 1696. 4.
Alphab. 4. plag. 5.

CUm prælectionum suarum publicarum in Prophetas minores habitarum editionem suscepisset Celeberrimus Autor, prima hac parte (quam commentarios in subsequentes Prophetas secuturos spondet) in Hoseam commentarium exhibuit, in quo se vocum, phrasium & constructionum Hebræarum rationem ante omnia habuisse dicit, idque eo curatius, quo magis breve & concisum sit apud Hoseam dicendi genus, plurimum variantibus versionibus &

exegesibus pronissimam occasionem subministrans. Quamvis vero istas omnes, prout aut apud Judæos aut Christianos reperiantur, conferre sibi integrum haud fuisse asserat, attamen operæ pretium fuisse sibi visum monet, si ex veteribus non prætermitteret, quæ tum apud Jonathanem in paraphrasi Chaldaica, tum apud LXX Interpretes, & Patres Græcos, Cyrillum Alexandrinum atque Theodoretum in commentariis, tum etiam apud Hieronymum occurrant. Græcorum interim Patrum verba, cum Latina non potuerit Græcis jungere absque nimio libri incremento, nec Latina sola in eadem vi & elegantia exhibere, coactus fuit Græce solum proponere, sed ita tamen, ut summam rei ante aut post producta eorum testimonia, suis sæpissime verbis Latinis expresserit. Post voces phrasesque singulas, & harum inter se constructionem, pergendum sibi duxit ad rerum nexum, licet eum in hoc Propheta, inde a capite quarto, inventu difficillimum perhibeat, ac talem utique vix inventum iri credat, secundum quem per successiva tempora & fata Ecclesiæ vel veteris vel novæ, capitum seu singulorum, omnium aut quorundam, seu plurium inter se cohærentium sermo progrediatur. Rationem istius rei in eo quærit, quod ob magnam populi pervicaciam, idem sæpe aliis atque aliis verbis denunciandum fuerit, nec videantur integra capita simul prædicata ab Hosea, sed potius ab ipso per Spiritum collecta ex vaticiniis brevissimis, quæ vicibus quammaxime distinctis, secundum annos plures a se invicem multum remotos, quibus (Cap. I, vers. 1.) prophetasse dicatur, protulerit. Unde nec mirum esse ait, sæpius res occurrere easdem cum regressu & progressu celeri, nexumque rerum frustra nonnunquam heic æque quam in Salomonis Proverbiis investigari. Dedit tamen semper, ut mori satisfieret, memoriæque legentium subveniretur, ante capitis cujusque initium, analysin aliquam, non lectam quidem apud alios, sed quam verbis potius ipsis & phrasibus proxime convenire judicavit. Per voces autem & phrases cum constanter duceretur ad veterem ex Jacobo ortum populum, & illum maxime, qui a regno Judæ defecit post Salomonem, & cujus peccata fœdissima gravissimasque pœnas, ac novam felicitatem aliquando futuram, graphice ibidem depingi sentias, non ausus est pro alterius interpretis aut suo ingenio istam gentem plurimis in capitibus plane negligere, & de Ecclesia Christiana modo hujus, modo illius ætatis & terræ, etiam

etiam ubi eadem sunt Israelis & Ephraimi nomina, cogitare. Persuadere sibi namque nullus potuit, in tot capitibus nihil plane esse, quod ad veterem populum referre oporteat, sed historiam legi sub emblematicis nominibus rerum Ecclesiæ Christianæ ex gentibus collectæ, nec habere nos heic modo generales Ecclesiæ vicissitudines, sed singularia admodum Regum Principumque in oriente atque occidente fata hodierna, per ipsa verba directe notata. Quamvis enim hæc interpretandi ratio viros eruditos plures fautores repererit, solidam tamen eandem sibi neutiquam apparere profitetur, adeoque ejus mentionem subinde quidem injecit, sed nec observationes suas modeste subjungere pigratus est. De cætero commentarium hunc & ab initio, & in fine, accesfionibus quibusdam singularibus locupletavit. In præfatione enim paulo prolixius de autoribus fautoribusque septem Novi Testamenti periodorum disseruit, discursum de his suum, commentario in Apocalypsin Johannis A. 1689 abs se edito præmissum, adversus nonneminis sermonem Academicum de numero septenario, quo istum non semel redargui cognovit, vindicaturus. In fine vero peculiaris accessit diatribe, de uxore cum liberis fornicationum ab Hosea accipienda, quæ antea octo disputationum Academicarum argumentum constituerat. In hac maximam capitis Hoseæ primi partem uberius dilucidat, & inter alia iis se adstipulari haud posse innuit, qui rem corporaliter gestam asserant, quin omne potius negotium hoc in visione prophetica ut a Deo commendatum, sic & peractum esse conjicit; quanquam rationibus plane apodicticis se minime pugnare, lubens fateatur.

JOHANNIS MARCKII IN JOELEM, HAMOSUM, Hobbadiam & Jonam Commentarius.

Amstelædami, apud Gerhard. Borstium, 1698. in 4.
Alphab. 4.

METhodo, quam in Hosea illustrando servatam a Reverendo Auctore diximus, insistit idem in Analysi Exegetica quatuor sequentium in Canone Hebræo minorum Prophetarum. Nobis itaque suffecerit, speciminis causa, nonnisi unicum e singulis locum decerpere, & quis de quoque sit Auctoris nostri sensus, paucis exponere. *Joëlis* III, 2. mentio fit *vallis Josaphat, in qua congregandæ sint*

gentes omnes &c. Ubi quantum ad vallem Josaphat, illorum Auctor rejicit sententiam, qui vallem hanc prope Hierosolymam, & quidem inter eam & montem Olivarum, cum Kimchio & Adrichomio collocant, veluti nullis rationibus suffultam. Plus speciei habere fatetur, quod aliis cum Aben-Ezra visum, innui nempe vallem *Bera hah* seu *benedictionis* II Chron. XX, 26, quæ dici & vallis Josaphati potuerit, cum is ob deletos mirabiliter hostes, & direpta eorum spolia, Dei laudes in ea cecinerit. Ast ipse tamen iis accedit potius, qui, ut cap. II Joëlis v. 32 Zion & Jerusalem metaphorice accipi agnoscunt, ita & hic nomen vallis Josaphati emblematice pro loco judicii Jehovæ capiendum censent. *Amos.* III, 6, ubi dicitur, nullum esse in urbe malum, quod Jehova non fecerit, fatetur, non malum culpæ, sed malum pœnæ intelligi; etsi simul moneat, peccati etiam, seu mali turpis, sapientissimam & *efficacissimam* directionem Deo non esse denegandam. *Obad.* v. 20, quænam loca per *Zarpat* & *Sepharad* intelligantur, inter Interpretes non convenit. Noster, exploso Judæorum commento, qui per Zarpat Galliam, per Sepharad Hispaniam innui putant, Zarpat quidem *Sareptam* cum plerisque interpretatur: per Sepharad autem, quam vocem cum recentioribus aliis Tremellius & Junius appellative acceperant, tanquam ex duabus compositam, quæ conjunctæ *terminationem dominatus* significent, locum aliquem olim satis cognitum indicari arbitratur, etsi quis vere fuerit, non apparere fateatur. *Jonæ* I, 3, vocem *Tarschisch*, quo fugisse Jonas dicitur, non per *mare* exponi debere, ut & a B. Luthero nostro factum, etsi alias forte hunc sensum vox illa admittat; sed certum denotare locum, quo navigare Jonas constituerit, sive is fuerit *Tartessus* in Bœtica Hispania apud Gades, ut Bochartus censuit, sive, ut aliis visum, *Tarsus* Ciliciæ Apostoli Pauli patria, arbitratur.

DIVERS TRAITES SUR DES MATIERES de Conscience &c.

i. e.

TRACTATUS VARII AD MATERIAM DE CONSCIentia spectantes, Auctore JOANNE DE LA PLACETTE, Ecclesiæ Hafniensis Gallicanæ Pastore.

Amstelæd. apud G. Gallet, 1698. in 12. Alph. 1. plag. 7.

Per-

PErtractantur in hocce libello gravissima moralis doctrinæ argumenta ab Auctore Clarissimo, qui ex variis ingenii monumentis orbi erudito dudum innotuit. Primo de mendaciis, æquivocationibus, & reservationibus, ut vocari solent, mentalibus disseritur; hinc de usuris agitur, & an licitæ sint, accurate disquiritur: disputatur quoque de ludis, & num per se vitium trahant, itemque, sitne restituendum quod aliquis hac ratione lucratus est, quæritur: sed & de defensione sui agitur: agmen vero claudit uberior tractatio de scandalo. Nos ne specimen desit, ex iis, quæ Auctor de mendacio commentatus est, more nostro nonnulla delibabimus.

In naturam mendacii inquirens, duo, ut hocce crimine quis se obstrinxisse recte dicatur, requiri observat, quorum alterum est, ut verba non consentiant cum mente loquentis, alterum ut illi constitutum sit fallere alium, & id quod profert, ceu verum illi persuadere. Cap. I.

Ardua quæstio est, an unquam mentiri liceat? Et initio quidem, cum primum tomum Tentaminum Moralium (*Essais de Morale*) ederet, se sibi persuasisse Auctor inquit, nemini unquam, ut hoc affirmaret, quod aliquando mentiri fas sit, in mentem venisse, nec inter Romanenses aut Reformatos quemquam qui hoc affirmet, sibi hactenus innotuisse: in aliis tamen sectis se deprehendisse, qui ita sentiant, Balduinum scilicet, Crellium, Grotium, Wolzogium, Pufendorffium, Limborchium. Non plane hos inter se convenire, non dissimulat, sed diversis limitibus hanc sententiam eos circumscribere: interim omnes talia asserere, quæ palam secum pugnent, aut ipsam, quam defendendam susceperunt, sententiam evertant. Solum Pufendorffium hoc ipso, quod citra ambages doceat, non nefas esse verba a mente discrepantia proferre, sive ad nos ipsos, sive ad alios commodum inde redundet, modo alteri non inferatur injuria, recte sibi constare, & talia quæ secum consentiant, docere. Cap. II.

Interim utut melius secum Pufendorffius ipse consentiat, quam ceteri, a veritate tamen non minus eum discedere, quam omnes, qui simile quid asserunt, Auctor ex instituto sibi probandum sumsit. Primo enim, inquit, si hocce errore semel afflatæ fuerint mortalium mentes, frustra aliquis ab altero, ut fidem sibi habeat, exegerit. Sublato autem hocce societatis, quæ inter homines omnes Cap. III.

inter-

intercedit, vinculo, non possent non cuncta ire in præceps. Hic Grotium quoque notat, quod asseruerit, summis Imperantibus ex summæ potestatis lege fas esse, erga subditos signis a mente discrepantibus uti. Hoc ipso enim, si hæc opinio homines invaderet, profligatum iri fiduciam omnem inter imperantes atque subjectos, sine qua tamen Imperium firmum & stabile sperari non possit. In cassum quoque laboraturos verbi divini ministros ait, cum nemo certus esse possit, verane dicat an mentiatur, siquidem mentiri illis non fuerit fraudi. Deinde ita ratiocinatur: si mentiri est actio indifferens, nec vitium secum trahit, nisi cum injustitia, malitia, perjurium eam comitatur, quæ ratio est, quod Deus non tantum injustitiam, perjurium & alia crimina, quæ mendacium comitari solent, sed & ipsum mendacium tam graviter detestetur? Indifferentes enim actiones cum vitiis annumerare, nemo dixerit. Porro, Scriptura Sacra, inquit, mendacia tam absolute & universaliter damnat, ut nemo sibi persuadere possit, Divinum Spiritum adeo nullis plane limitibus sententiam suam circumscripturum fuisse, si esset mendaciorum species, quæ careret vitio. Sed & quid certum esset in divinis literis, aut quid non a prava libidine in alium detorqueri sensum posset, si universales Scripturæ propositiones restringere pro lubitu fas esset? Ponit quoque Auctor, occasiones, in quibus mentiri utile fuerit, non minus frequentes esse, quam in quibus mentiri noxium fuerit: indeque concludit, si mentiri non tantum fas, sed & necesse est, quoties aut nostrum aut aliorum hoc exigit commodum, fieri poterit, ut viro honesto frequentius mentiendum sit, quam proferenda veritas. Hoc quam absonum sit & ineptum, pluribus monstrat.

Cap. IV. Suam postquam ita, ut putat, stabilivit sententiam, quæ sibi objici poterant, amolitur. Abrahami & Isaaci exempla rem neutiquam conficere ait. Præterquam enim quod uterque talia dixerit, quæ revera ita se habebant, non omnes illorum actiones vitio carere, adeoque si quis dixerit, eos hic quoque peccasse, eum nihil admittere, quod reprehendi debeat. Obstetrices Ebræorum & Rachab meretricem tulisse a Deo præmium, non mendacii, sed sanctioris zeli & fidei erga populum Israeliticum. Sed plus negotii illi facessit exemplum Christi Servatoris. Allatis itaque & rejectis aliorum sententiis, probat observationem Vossii, quod verbum προσεποιεῖτο signi-

ſignificet *præ ſe ferre, ſignificare & ſignis declarare illud, quod revera in mente habemus*, & ita Lucam divinum ſcriptorem hac voce uti, ut adeo conſtet, Servatorem nulla fictione aut ſimulatione uſum eſſe, ſed quemadmodum illi revera conſtitutum fuerit, ultra ire, ita & comitibus ſuis ſignis convenientibus hoc declaraſſe. Sed nec quod de Paulo objicitur, ſibi obſtare putat. Namque aut Pauli verba hoc ſolum ſibi velle, quod neſciverit, hoc eſt, quod ſecum non expenderit, & cogitaverit, hunc eſſe ſummum Pontificem, aut etiam eum ignorare potuiſſe, quod, qui injuſtam contra eum ſententiam tulerat, ſummus fuerit Pontifex.

Hiſce ita expeditis in cauſas inquirit, cur nunquam mentiri liceat. Aſſerit itaque mentiri per ſe crimen eſſe, cum nec Deus mentiri poſſit. Pugnare enim hoc cum ſumma Numinis perfectione, adeoque per ſe crimen involvere. Præterea inter omnes conſtare ait, in virtutum moralium choro veracitatem quoque locum invenire: cui cum mendacium e diametro opponatur, hoc quoque in vitiorum claſſem non poſſe non referri. Sed eſſe quoque ſatis manifeſte aliquid in mendacio ait, quod legi naturæ omnium cordibus inſcriptæ adverſetur. Namque & omnes homines hoc valde ſibi contumelioſum exiſtimare, ſi mendacii arguantur, & ipſos Ethnicos mendacium ut grande crimen eſſe execratos, & Tyrannos quoque ſinceritatem admiratos eſſe & plurimi feciſſe. *Cap. V.*

Sed quidnam illud ſit, in quo maxime mendacium legi naturæ repugnet, non ſatis expeditum eſſe. Nonnullos ad naturam ſermonis hic ſe recipere innuit, qui cum a Numine mortalibus ideo ſit conceſſus, ut homines cogitata ſua cum aliis rite communicent, omnino illos peccare, qui eodem ad fallendos alios abutantur. Sed in hac ratione Auctor inter alia & hoc deſiderat, quod inde non conſtet, quare Deus ipſe mentiri nequeat. Eodem modo cenſet de alio argumento, quo nonnulli, quod legi naturæ repugnet mendacium, probare ſatagunt. Nimirum aſſerunt illi, homines dum in ſocietatem coaluerunt, inter ſe conveniſſe, quod per ſermonem cogitata ſua ſibi invicem manifeſtare vellent: hoc ergo ſi non faciant, peccare illos contra naturæ legem, quæ fidem datam ſervandam docet. Auctori noſtro hoc ideo non placet, quod ſermo non pacto aut conventioni hominum, ſed inſtitutioni divinæ originem debeat. Sequi inde quoque *Cap. VI.*

putat,quod mendacii crimine se non polluant, quos inter pactum non intercessit. Deum quoque cum mortalibus nullum iniisse pactum: neque mentiri tamen posse ad eos verba faciendo. Ipse itaque Auctor hac de re ita censet, obligationem ad dicendam veritatem provenire quidem ex pacto, sed particulari, quod toties ineatur & renovetur, quoties unus cum altero cogitata sua per signa communicat. Quoties enim aliquis cum altero loquitur, eum se statim obligare ad manifestandum id quod cogitat, simulque ab altero, ut sibi fidem adhibeat, exigere. Quo pacto hinc dubia, quæ cetera argumenta premere videbantur, dilui queant, id quidem est, quod Auctor ostendit: qui etiam hic disputat, an in bello justo & legitimo hostem mendacio decipere liceat? Non licere,contra Grotium & Pufendorfsium ostendit,& ad exemplum Elisæi Vatis II Reg. VI respondet, docetque illum nihil, quod a veritate abhorruerit,dixisse.

Cap. VII. VIII. Ad species mendacii edisserendas dum descendit, officiosa, ut vocari solent, mendacia non minus inter crimina refert, quam jocosa, & quæ perniciosa audiunt. Romanæ Ecclesiæ Theologos autem hactenus quidem secum consentire, quod plerique Augustini ductum secuti mendacia omnia rejicere videantur, sed tamen ne commodis, quæ mendacium comitantur, privarentur, æquivocationes & restrictiones mentales eos excogitasse, quæ damnum, si quod explosa mendacia afferant, abunde resarciant.

Cap. IX. Quid utraque vox sibi velit, Auctor explicat. Et hinc de restrictionibus mentalibus ex instituto exponens, duo genera restrictionum esse monet. Unum earum est, quæ pure mentales sunt, quando illud,quod in mente retinemus, nec per sermonis seriem, nec per certam περίςασιν, aut alia ratione indicatur: alterum earum, quando aliquid in mente quidem retinemus, sed ita ut istud ex aliis signis illi aut innotescat, aut innotescere possit, ad quem sermonem dirigimus. Quin reservationes posterioris ordinis licitæ sint, & ex mendaciorum classe eximendæ, Auctori extra dubium positum videtur, cum Deus ipse ejusmodi reservationibus usus sit. Huc refert divinas comminationes, quippe quæ tacitam hancce conditionem secum vehant, nisi homines vitam moresque emendaverint.

Cap. X. Reservationes itaque prioris generis mendaciis annumerat, & contra eas hisce rationibus pugnat. Supponit,inter virtutes veracitati

tati quoque concedendum esse locum: hanc autem virtutem non in eo consistere, ut nostræ cogitationes cum re conveniant, sed ut verba conveniant cum cogitatis: loqui autem non eum, qui verba nihil significantia proferat, sed qui verbis mentem suam cogitationesque manifestet. Hinc concludit, cum, si quis reservatione mentali utatur, alter neutiquam mentem ejus percipiat, eum omnino peccare contra veracitatem. Namque quod ad alterum dicit, quia mentem ejus non significat, falsum est; ergo mentitur. Addit, si in mente aliquid reservans, non mentiretur, nemo mendacii aut perjurii posset convinci: quin perperam ageret, qui alterum mendacii arguere sustineret. Falsum quoque esset, quod Apostolus Paulus dicit, jusjurandum finem afferre litibus; societas humana collabasceret & a ruina prope abesset; quin de divinis assertis nemo posset esse certus, cum tum nihil obstaret, quo minus & Deus tali sermonis genere fuerit usus.

Inter argumenta, quæ pro reservationibus militare videntur, quæque Auctor diluit, eminet, quod Servator professus fuerit se nescire diem extremi judicii, scilicet (quemadmodum reservationum patroni explicant) ut discipulis & apostolis eum revelaret. Sed respondet Noster, Servatorem nihil in mente reservasse, sed de humana natura sermonem fecisse, secundum quam omnino diem extremum ignoraverit. *Cap. XI.*

Non tantum reservationes mentales rejicit Noster, sed & æquivocationes. Sed nec istud temere facit, quin potius varia itidem æquivocorum esse genera monet. Primo namque contingere potest, ut sermone ambiguo præter opinionem, idque plane non advertentes utamur. Deinde, licet videamus effatum aliquod diversos admittere sensus, nihilo secius eodem uti nulli dubitamus, eo quod nobis persuadeamus, eum, ad quem sermo dirigitur, non alio id accepturum sensu, quam quo nos illud proferimus. Porro contingere potest, ut effatum aliquod diversos admittat sensus, sed ita, ut unus sit proprius & nativus, & quem loquens tantum in mente habet, alter improprius & a mente loquentis alienus: nihilo secius tamen fieri potest, ut alter, quo cum nobis res est, posteriorem arripiat, ita quidem ut loquens prævideat, hoc ita futurum. Primum & secundum æquivocorum genus quin vitio careat, ut Auctor censet, extra dubium posi- *Cap. XII.*

tum est. De ultimo prolixe disputat. Docet tamen & istud criminis expers esse, modo loquens speciali obligatione non teneatur praecavere, ne alter improprium & minus genuinum sensum arripiat.

Cap. XIII. Est autem & quartum genus aequivocorum, quando scilicet effatum aliquod non tantum plures sensus recipit, sed is quoque sensus, qui in mente loquentis est, minime patet, ita quidem ut loquens hoc sermonis genere fallere alterum, eumque inducere in errorem annitatur. Et haec quidem sunt aequivoca, quae Auctor damnat, mendaciisque annumerat, & ab Ethnicis quoque rejecta fuisse (tantum abest, ut primitivae Ecclesiae Doctores illa adhibuerint) probat.

Cap. XIV. XV. Prolixe per aliquot capita contra ea disputat, & inter alia hoc quoque urget, si horum licentia admittatur, neminem de sensu Scripturae Sacrae certum esse posse; id quod exemplis demonstrat. Confirmat quoque haec inde, quod aequivocorum usus sinceritati & candori plane adversetur; cujus tamen virtutis quanta sit dignitas, vel inde patere putat, quod licet cultoribus suis molesta videatur, celebretur tamen ab omnibus, & ad conservandam societatem non utilis modo, sed plane necessaria sit.

Cap. XVI. Finem tandem huic dissertationi imponit, ad dubia quaedam respondendo. Praesertim vero de verbis Christi, *Lazarus amicus noster dormit*, & *destruite templum hocce &c.* docet, ea quidem ambigua esse, sed pertinere ista ad tertium genus aequivocorum, quod non semper vitium secum habere docuerat. Sed haec sufficiant, ut ex unguibus agnosci leo possit.

ACTA LABORATORII CHYMICI IN ACADEMIA Julia edita a JOH. ANDR. STISSERO, Medic. Doct. & Prof. Tribus Speciminibus comprehensa.

Helmstadii apud Wolffg. Hammium, 1690, 1693, 1698. in 4. Alph. 1.

NOn immerito miramur, cur haud pauci Medicorum tam anxie hodie in novos inquirant processus, sibique componant medicamenta haud vulgaris no[min]ae, sed proprio Marte industriaque summa elaborata; cum tamen in officinis certe non de defectu, sed potius de abun-

abundantia, atque immoderata eorundem copia conqueri necesse habeamus. At enim vero cum palam sit, morbos inveteratos, uti sunt calculus, podagra, epilepsia &c. eludere plerumque medicamentorum vulgarium efficaciam; profecto eorum labor, quo meliora conficere satagunt, non est damnandus, sed potius summis extollendus præconiis. *Stisserus*, Professor Helmstadiensis celeberrimus, cujus præmaturum obitum in Actis hisce A.1700 p.290 indicavimus, in tribus Speciminibus, diverso tempore editis, quæ secutura haud dubie fuissent plura, si vitam Deus doctissimo Viro prorogasset, talia exhibuit medicamenta, quibus affectuum, pertinacissimorum licet, totalem tamen promittit curationem, quæque nunc brevissimis, una cum reliquis maxime notatu dignis, percurrere lubet. Tinctura *Sp. I. C. 2.*
ipsius vitæ Solaris primo loco nominanda venit, quam elicit aromatum essentiis ex sulphure antimonii fixissimo ac probe digesto, eamque laudat in morbis chronicis non minus, quam ubi virium restauratione est opus. Sal armoniacum fixatum spiritui vini nuptum præ- *C. 4.*
bere menstruum haud contemnendum, docet vitriolo Veneris ac Martis, myrrha, camphora &c. e quibus illo mediante nitida constituit medicamenta; qua occasione docte omnino differit de salis volatilis usu, mirificeque extollit suum volatile ambratum; refertur insuper, Practicum quendam in Belgio miranda præstitisse, in gravi auditu & surditate, mixtura quadam, ex oleo lumbricorum & spiritu salis armoniaci parata. Non acida, potius salia volatilia opii existere cor- *C. 5.*
rectores, judiciose cum aliis animadvertit. E vitriolo Cyprino pa- *Sp. II. C. 1.*
rat crystallos sequentem in modum: illius solutioni affundit spiri- *Sp. III. C. 8.*
tum salis armoniaci; postmodum ex tinctura hacce præcipitat liquore quodam nec acido corrosivo, nec alcalico lixivioso crystallos, quarum virtutem pene stupendam testatur in epilepsia, vertigine, capitis doloribus chronicis, ictero, mensium obstructionibus, gonorrhœa, fluore mulierum albo &c. seseque immortales debere gratias pro dono hocce Deo omnipotenti, modeste confitetur. Non sine *Sp. II. C. 2.*
fundamento pharmacopolæ nonnulli reprehenduntur, qui antimonium diaphoreticum paraturi, adjiciunt carbones vivos, vel tartarum crudum pulverisatum: tali quippe modo antimonium vim emetico-catharticam acquirit, locoque diaphoreseos alvum vomitumque movet. Lacerta insignis magnitudinis ex improviso incidens in aucupis *C. 4.*

cujusdam aurem, ipsi miserrimam peperit vitam per sex annorum spatium, quo elapso viva adhuc est elicita, sicque miseria diuturna liberatus ægrotans.
C. 7. Decoctum nicotianæ cum cerevisia paratum, ad abigendam scabiem capiti applicatum, vomitum atque secessus excitavit: idem annotat de radice bryon. recent. raspat. hydropicorum
Sp. III. C. 1. pedibus ac scroto applicata. Pilularum Martis laxativarũ magnæ consequentiæ injicit mentionem, quarum tamen descriptionem silentio
C. 4. præterit. Calces mineralium & metallorum cum liquoribus causticis paratas edulcorari omnium commodissime salibus volatilibus uri-
C. 9. nosis, sufficienter ostendit. Denique de pilulis suis theriacalibus magnifice omnino sentit, insignemque morborum catalogum recenset, in quibus earundem usum proficuum observavit. Verum sicuti omnes pene Chymici secreta, ut appellitant, sua minus aperte describere solent, ita Autor noster eandem legens viam, volatile suum ambratum, crystallos contra epilepsiam, pilul. Martis laxat. theriacal. &c. satis tecte indigitat, ita ut ipsius scripta sagacem attentumque postulent lectorem.

DISPENSATORIUM BRANDENBURGICUM, SEU Norma, juxta quam in provinciis Marchionatus Brandenburgici medicamenta officinis familiaria dispensanda ac præparanda sunt, conscriptum & vulgatum a Collegio Medico.

Berolini apud Joh. Völkerum, 1698. in fol. Alph. 2. pl. 21.

QUamquam tot accurata satis ac decantata Dispensatoria, Augustanum puta, Noribergense, Amstelodamense, Bruxellense, Londinense & plura ejus commatis Medicorum jam versentur manibus; complures tamen extitere rationes, cur præsens hoc nostrum luci publicæ exponeretur. Cum enim Serenissimus Elector Brandenburgicus mox sub regiminis sui auspiciis, Collegium Medicum a Serenissimo Antecessore gloriosissimæ memoriæ institutum confirmaret, ulterius sanxit, ut Pharmacopolæ sceptro suo subjecti medicamenta officinis suis usitata, ex præscripto Augustanæ Pharmacopœæ ac aliorum Authorum probatorum componerent, donec Collegium Medicum peculiare Dispensatoriũ ediderit. Accedit & hoc, quod ex propria Pharmacopœorum confessione, vix duo dentur pharmacopolia, in quibus eadem

dem medicamentorum componendorum, tam qua modum dispensationis quam præparationis, vigeat & servetur ratio, quolibet sibi præ cæteris sapiente & genio suo ac ingenio indulgente. Ut igitur Serenissimi voluntati satisfieret, Medicorumque famæ ac ægrotorum saluti consuleretur, Dispensatorium hoc, collatis eorum, qui Collegio intersunt, operis, construendum fuerat. Præmissis itaque Constitutionibus, quibus Electoratus & Marchionatus Brandenburgici & illuc spectantium provinciarum Medici, Pharmacopolæ, Chirurgi & obstetrices obstringuntur, medicamenta ad seriem elementorũ literariorum disponuntur, mutatis hinc inde specierum ea ingredientium numero, ordine atque dosibus. Nullitatis nota titulis quibusdam præfixa animadvertitur, quæ minus necessaria, præsertim pretiosa & rarioris administrationis, a magis necessariis, minus pretiosis & frequentioris usus ad subveniendum pauperum indigentiæ, compendiosioris apparatus ergo, in commodum tum ægrotorum tum officinarum exiguarum, distinguat. Opus demum Taxa seu pretium omnium medicamentorum a Serenissimo Electore statutum claudit.

JO. HENRICI BOECLERI DE REBUS SECULI post Christum natum XVI Liber Memorialis cum Commentario: recognitus, auctus, ab innumeris, quibus scatebat, mendis repurgatus, indicibusque necessariis instructus, opera JO. BURCHARDI MAJI.

Kiloni apud S. S. Riechelium, 1697. 8. Alph. 2. pl. 11.

JO. Henrici Bœcleri, Polyhistoris celeberrimi, Historia decimi sexti seculi, quam tum Libello Memoriali summa rerum quoque anno gestarum capita indicante, tum uberiore justoque Commentario complexus est, jam A. 1685 in lucem publicam, dubium quo curante, fuit producta. Cum vero utilisimi libelli exemplaria in officinis librariis superarent nulla, & ea tamen prostare interesset studiosæ Historiarum juventutis, optimo consilio Vir Clarissimus, *Jo. Burchardus Majus*, Eloquentiæ & Historiarum in Illustri Academia Kiloniensi Professor Publicus, non solum, ut denuo typis exprimeretur opus illud, curavit, sed & ipse emaculando illi, quod mendosa admodum prima editio fuisset, manum admovit, & Historiam ipsam supplementis luculentis sic locupletavit, ut novum plane opus, certe consummatum nunc & elimatum merito sit censendum, magnoque omnibus, qui his literis ducuntur, usui futurum.

JOH.

JOH. JAC. SCHUDT TRIFOLIUM HEBÆO-Philologicum.

Francofurti ad Mœnum, apud Frid. Knochium, 1695. 8. Alph. 1. plag. 16.

UT & Auditoribus suis, & aliis addiscendæ Hebrææ linguæ cupidis, consuleret Clarissimus Auctor, in Francofurtensi ad Mœnum Gymnasio Hebraicarum literarum Professor, Trifolium hoc publici juris fecit. Materiam universo operi priora quatuor Geneseos capita præbuere, quod qui illa in succum velut & sanguinem convertisset, facile & privata industria in lectione sacri codicis progredi, & exactiorem sanctæ linguæ cognitionem comparare posse videretur. Itaque primo loco textum ipsum Hebraicum cum nova versione Latina, notisque tum brevibus tum uberioribus; vocabularium dein voces omnes in quatuor illis capitibus obvias ordine suo complexum; luculentum denique vocum illarum lexicon verbale ac reale magnoque studio adornatum, diligentissimus Auctor exhibere voluit.

UNIVERSALIS GEOGRAPHIÆ ELEMENTA EXposita & demonstrata a viris Nobilibus in Collegio Neapolitano Societatis Jesu, Præside NIC. PARTHENIO GIANNETTASIO E. S.

Neapoli, ex officina Jac. Raillard, 1692. in 12. Alph. 1.

NUper admodum, & casu quidem, in libellum hunc incidimus, ad usum Scholæ Collegii Neapolitani Societatis Jesu in lucem datum, sed qui omnibus Geographiæ studiosis omnino meretur commendari. Itaque cum celeberrimi hujus Auctoris opera alia, & elegantissima inprimis illius Poemata, in his Eruditorum Actis studiose recensuerimus, temperare nobis non possumus, quin Geographicum hoc scriptum, etsi tot jam annis ab editione ejus lapsis, Benevolo Lectori saltem indicemus. Nam Parthenio quidem ipsi illud deberi, etsi nescimus qui alii in frontispicio Viri Nobiles innuantur, vel inde manifestum est, quod Eminentissimo ac Reverendissimo Principi ac Cardinali, Jacobo Cantelmo, Neapolitano Archiepiscopo dedicare illud non dubitavit. Absolvitur vero opus octo capitibus, quorum I Elementa Geographica, II Quæstiones selectas, III Europam, IV speciatim Italiam, V Asiam, VI Indiam veterem, VII Africam, & VIII Americam repræsentant.

ACTORUM ERUDITORUM, *quæ Lipsiæ publicantur,* SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. VIII.

ORCADES, SEU RERUM ORCADENSIUM HISTORIA Libri tres, quorum primus, præter Insularum situm numerumque, Comitum, Procerum, incolarumque origines, familias, gesta & vicissitudines, a primis Monarchiæ Norvegicæ incunabilis ad annum M CCXXII continua fere serie exhibet: Secundus primos Orcadum Episcopos eorumque successores, &, qui postea vixerunt, Comites sub Regibus Norvegiæ fiduciarios, tum etiam, quæ de rebus Orcadensibus & Habudensibus exinde ad annum M. CD. LXIX annotata, complectitur. Utroque firmiter asseritur Regum Norvegiæ Jus Dominii in illas Insulas. Tertius indefessa Potentissimorum Regum Daniæ Norvegiæque studia in jure suo pacifice repetendo continet, variis documentis ex Archivis Regiis asserta. Auctore THORMODO TORFÆO, Historiographo rerum Norvegicarum Regio.

Hauniæ, literis Justini Hög, Univers. Typogr. 1697. in Fol. Constant 2 Alphab. 9 plag.

NE fidem nostram, occasione accuratissimi illius Orcadum Periegetæ Anglici, in Actis Mens. April. 1701 publico datam, longius desiderari patiamur, libet nobis in præsenti egregium illud Danicæ sedulitatis monumentum tum temporis indicatum Eruditorum oculis paulo propius subjicere, quorum judicio relinquemus, uter horum Scriptorum, sub diverso cœlo sceptroque viventium, rem magis cordi habuerit, uter Principis sui jura solidioribus argumentis defensum iverit. Sane qui præsens opus contexuit Vir Præclarissimus, optima quæque de se sperare nos

 jubet,

jubet, siquidem a multis jam ante annis Historiæ rerum Norvagicarum in ordinem digerendæ Regis jussu admotus, cuncta archivorum secreta, unde penitior annalium veritas haurienda, aliarumque bibliothecarum rariora, sibi prona atque aperta habuit. Dum vero primariæ telæ absolvendæ dies noctesque invigilat, in vetustum quendam rerum Orcadicarum Scriptorem anonymum, quem natione Islandum fuisse, dicendi genus arguit, fortuito incidit, cumque aliunde quoque de necessariis adminiculis sibi prospexisset, tripertitam istam Historiam inde continnavit. In primo quidem libro, præmissa Buchanani de situ Orcadum & Hialtlandiæ subjacentiumque insularum descriptione, nominisque etymologia expensa, antiquis pariter ac hodiernis insularum nominibus diligenter inter se collatis, de primis earum incolis, ex quo tempore illic habitare cœperint, multa ingeniose disceptat, atque ex Islando suo prælongum de Regulis seu Comitibus Orcadum, eorumque rebus gestis orditur discursum, plurimaque alia insuper ab aliis Scriptoribus Norvagicis atque Islandicis mutuatur, quo integriorem historiam exhibeat. Verum, cum res istæ sub ultimo fere Septentrione gestæ nostras vix tangant, multæ quoque dubiam fidem mereantur, vix quispiam a nobis morose exegerit, ut illis excerpendis immoremur, quæ nosse non nisi maxime otiosos juvabit. Id modo e tanto apparatu observare licet, Orcadenses Regulos fiduciario nexu a Regibus Norvagiæ pependisse, turbatis autem in Norvagia rebus ab obsequio pristino defecisse, regiosque insuper reditus strenue expilasse. In libro secundo nobilissimus Auctor de Orcadensium Episcopis tractat; ubi quidem prætermissis Machuto, Servano, Nennio, qui multis retro seculis Evangelicam lucem insulis hisce importasse notantur, ab ultima gentis conversione, quæ Olafi Trygwini Norvagiæ Regis auxilio circa annum Christi millesimum accidit, seriem suam auspicatur, primumque Episcopum, qui ibi fixam sedem tenuerit, Wilhelmum cum Islando suo statuit. Neque illorum dissensu, quibus e contra Rodolfus a Thoma Juniore Archi Ep. Eboracensi in Orcadensium Episcopum illa ætate consecratus dicitur, suæ sententiæ quicquam roboris decedere putat, quin potius affirmet, illorum Episcoporum, qui Eboraci ordinati fuerint, neminem in Orcadibus habitasse, sed nudo tantummodo titulo ad conservandam autoritatem sedis Eboracensis eminuisse, reliquos autem

tem

tem, qui eos præcesserant, sine certa sede aut reditibus peragrando regiones, in quas admittebantur, Apostolicum munus exercuisse, atque ex incolarum vel munificentia vel misericordia vixisse. Cæterum jus inaugurandi Episcopos Orcadenses Hamburgensi Ecclesiæ competiisse, constantique usu fuisse servatum, autoritate Adami Bremensis evincit. Inde compendiosius, quam antea, præcipua, quæ in insulis hisce usque ad A. 1468 evenere, recenset, ex quibus facile colligere est, Insulas hasce sub clientela Regum Norvagiæ stetisse, quorum imperia Sinclarii aliique Orcadensium Reguli comiter non modo, sed etiam obsequiose venerati fuerint, præstito iisdem in investituræ solemnibus fidelitatis juramento. Accidit autem, ut memorato anno Christianus Daniæ Rex filiam suam Margaretam Jacobo III Scotiæ Regi in matrimonium collocaret, illique dotis causa annuas illas pensiones Manniæ & Hæbudarum insularum nomine a Scotis præstandas remitteret, prætereaque sexaginta aureorum Rhenensium millia sponderet: quam summam ut conficeret, aureorum decem millia, antequam sponsa e Daniæ regno egrederetur, se numeraturum promisit, ratione residui Orcades cum omni jurisdictione, omnibusque proventibus hypothecæ titulo Scoto tenendas concessit, donec vel a se vel a suis heredibus æqua sorte eædem redimerentur. Re ita utrinque approbata, Rex, cui ob bellum Suecicum graves impensæ erant faciendæ, cum legatis Scoticis sponsam petituris denuo transegit, ut loco decem aureorum millium, de quibus in pactis dotalibus conventum, duo tantum millia acciperent, intuitu vero reliquorum octo millium insulam Hialtlandiam pignoris jure, haud secus atque Orcades, retinendam Scotorum Regi traderet. Cum igitur hunc negotii gesti tenorem e commentariis publicis ac Scriptoribus fide dignis Auctor deducat, falsi insimul arguit Georgium Buchananum, qui veterem illam controversiam de Orcadibus & Scetlandicis insulis, magnis utriusque gentis cladibus exercitam, Dano prædictis nuptiis omni jure in easdem se abdicante, consopitam fuisse venditaverat. Negat enim ullam unquam litem de insulis hisce intercesisse, sed potius Hæbudarum res cum Orcadensibus præpostere ab ipso confundi contendit. Quare enim Fridericus I A. 1524 Norvagis suis jurisjurandi religione ad Orcades & Hetlandiam, a patre suo Scotis oppignoratas, regno iterum asserendas sese obstrinxisset? Aut qua de causa adversarii Danis, juri suo pertinaciter insi-

Uu 2 sten-

ſtentibus, renunciationis tabulas, ſi quæ extarent, huc usque celaſſent?

Libro tertio tandem id agit, ut Actorum publicorum fide evincat, Auguſtiſſimos Daniæ Reges, jam a Chriſtiano III, circa jus ſuum amice repetendum valde ſollicitos ſe exhibuiſſe; quamvis tum cauſæ æquitate confiſi, tum arctiſſimæ affinitatis memores, ab aſperioribus conſiliis ſibi temperaverint. Imo noſtro adhuc ævo, in tractatibus pacis Bredanæ A. 1667, inter alia a Danis Mediatoribus Orcadum mentionem fuiſſe injectam, Anglis vero, ſe hanc rem in mandatis non habere, & ſalutare pacis negotium hac ex parte retardatum iri querentibus, placuiſſe, uti controverſia iſta pacis amore quieſceret, commodiorique occaſioni decidenda reſervaretur, prætenſio autem Regis Daniæ integra atque infracta perſiſteret.

DISSERTATION SUR S. MARIE MAGDELEINE.

i. e.

DISSERTATIO DE S. MARIA MAGDALENA, IN qua probatur, Mariam Magdalenam, Mariam ſororem Marthæ, & Peccatricem magnam, tres perſonas diverſas eſſe.

Auctore ANQUETINO.

Rothomagi & Pariſiis apud Jo. Aniſſon, 1699, in 12. Alph. I.

DE Maria Magdalena, ſit ne eadem cum magna iſta peccatrice, quæ Chriſti pedes lacrymis lavit, magna & inter noſtros & inter exteros diſceptatio fuit. Eam noſtra ætate renovarunt doctiſſimi quidam in Galliis viri, memores eorum, quæ diu ante ipſos Jo. Faber, Clichtovæus, aliique Galli hac de re diſputaverant. Inter hos Mariam Magdalenam, Marthæ ſororem, & magnam peccatricem eandem eſſe, propugnarunt Natalis Alexander in ſelectis Hiſtor. Eccleſ. Diſſertationibus, Bernardus Lamius in Harmonia Evangelica, & peculiari diſſertatione P. Maledictus in Analyſi Evangeliſtarum, P. Pezronius in Hiſtoria Evangelica, & J. B. Du Hamel in Theolog. Cleric. Contrariam vero ſententiam non minori induſtria adſtruxere Joannes Launojus, Sebaſt. Nanus Tillemontius, & Diſſertationis hujus Auctor eruditisſimus *Anquetinus*, Parochus Lugdunenſis. Hic in præfatione commemorat, eam, quam defendit, ſententiam a plerisque Patribus recipi, a Sorbona quoque, a qua olim damnata fuerit, nunc mitius tractari, & juxta illam Liturgicos libros Eccleſiarum Pariſienſis, Aurelianenſis, Viennenſis, ac Ordinis Cluniacenſis, mutatis etiam feriis, nuper repurgatos eſſe; ſibi vero conſtitutum eſſe,

Nata-

Natalem Alexandrum, nec non Maledictum, Lamium & Pezronium, duos vero posteriores, qui controversiæ statum immutaverint, sigillatim hoc libello oppugnare. Eum in duas distribuit partes, & in priori quidem demonstrat, Mariam Magdalenam cum Marthæ sorore eandem non esse, quinque præsertim argumentis. Nam *primo* ex Jo. XI. 1. ostendit, Martham ejusque sororem Bethanienses fuisse, non, ut Lamius putat, ex Galilæa Bethaniam migrasse; Magdalenam vero ex Galilæa oriundam, ex Matth. XXVII, 55. 56. Marc. XV, 40. 41. Luc. XXIII, 49. 55 56. evictum it, Lamium vero hæc loca ita explicantem, ac si Magdalena solum cum Galilæis mulieribus conversata sit, nec non N. Alexandrum & Maledictum, suspicantes illam Bethania cum JEsu in Galilæam abiisse & rediisse, refutat. Ubi in transitu monet, Magdalenæ nomen omnino a Magdala oppido ortum, quod Lamius sine causa pro ficto habeat; non vero, ut idem existimet, a crinium crispatione. *Secundo* loco observat, Martham ejusque sororem Bethaniæ fuisse, cum Magdalena Jesum secuta ex Galilæa venerit, & Pezronium Bethaniam aliam in Galilæa meridionali inepte finxisse. Admonet *tertio*, alteram harum in sacris literis semper sororem Marthæ, aut Lazari, alteram Magdalenam sine ulla variatione appellari: *quarto*, Marthæ sororem ab Evangelistis, ut quietam & theoreticæ vitæ addictam describi, nec in historia perpessionis Christi mentionem ejus, aut Marthæ, Lazarive fieri, quia Synedrii magni jurisdictionem agnoverint æque ac timuerint; Magdalenam vero vitæ practicæ studiosam videri, & perpessioni Christi, ut Galilæam, Synedrio non obnoxiam, interfuisse. Denique *quinto* annotat, Lucam c. X, 38 de Marthæ sorore, ut ignota, loqui, cum jam c. VIII Magdalenæ mentionem fecisset. His expositis, explicatisque Christi verbis, quando Mariam Marthæ sororem unctione sua mortem Servatoris prævenisse, non prophetice, ut Lamius aliique opinantur, (ac si eadem fuerit Magdalena, quæ Christum resurgentem ungere voluit, nec potuit) sed de præsenti dixerat, ad arcem causæ se confert, nempe ad varias Christi unctiones, quas occasionem liti huic dedisse non præter rem opinatur. Bis igitur Christum, dum viveret, a muliere unctum docet: primam unctionem integro ante perpessionem anno a magna peccatrice factam, & a Luca c. VII descriptam; alteram paulo ante perpessionem a Maria Marthæ sorore

administratam, & a Matthæo, Marco atque Johanne delineatam. Errare Baronium & socios, qui tres inde unctiones exsculpant; nec non Grotium & asseclas, qui unam ex duabus conflent. Post hæc Lucæ unctionem ab ea, quam reliqui Evangelistæ describunt, & tempore & circumstantiis differre ait: illam Naimi, hanc Bethaniæ; illam apud Simonem Pharisæum, Christi hostem, hanc apud Simonem leprosum, Servatoris amicum, factam. Inde facilis ipsi transitus ad *partem II*, in qua nec Magdalenam, nec Marthæ sororem, magnam illam peccatricem fuisse, probatum it, sex præsertim rationibus; quarum *prima est*, hanc Naimensem fuisse: *secunda*, eandem peccatricem, h. e. prostibulum, stylo Hebræo dici, quod contra Lamium, titulum hunc de levibus quibusdam peccatis, præsertim nimia crinium cura exponentem, evincit, indeque arguit, illam idololatricam mulierem fuisse, cum Judæi meretrices indigenas ex divino præcepto non toleraverint: *tertia*, Mariam Magdalenam obsessam fuisse, non, ut Lamius interpretatur, vitiis solis, sed dæmonibus, quod tamen cum meretricis statu non conveniat: *quarta*, Magdalenam semper in Christi comitatu fuisse, quam, si meretricium quæstum fecisset, Christus neutiquam tolerasset: *quinta*, peccatricem illam, nec Mariam, nec Magdalenam uspiam nominari: *sexta*, Lucæ ordinem historicum idem declarare. Tandem duo nova systemata vitæ Mariæ Magdalenæ ex ingenio Lamii atque Pezronii nata refellit. In Appendice Lamium, qui Lucam Evangelistam ἀχρονησίας postulat, confutat, ut & P. Maledicti quasdam ratiunculas, ac postremo pro sua sententia auctoritates Constitutionum Apostolicarum, Irenæi, Origenis, Macarii, Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii, Tertulliani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Lyrani, Fabri Stapulensis, Salmeronis, Estii, Louveti, Launoji, & Tillemontii citat.

HISTOIRE DES CONCILES GENERAUX.

Id est

HISTORIA CONCILIORUM UNIVERSALIUM AB Apostolicis usque ad Tridentinum, cum Dissertationibus mores Ecclesiæ & Regni Gallici concernentibus.

Parisiis, apud Maur. Villerium, 1699. in 8.

Constat Alph. 1. plag. 2.

Anti-

Antiqua est & irreconciliabilis Ecclesiam Gallicanam inter & Pontificem Romanum controversia, de immunitatibus prioris & auctoritate posterioris, quæ maximam partem ex Theologorum Gallorum mente sequentibus articulis continetur: Pontificem non principem & dominum, sed primatem solum Ecclesiæ esse; falli posse & sæpe falsum; Concilio universali subesse; contra Canones nihil decernere, nec Reges throno dejicere, aut subjectos nexu jurisjurandi solvere posse; Ecclesiam Gallicam liberam ab ejus exactionibus, evocationibus & dispositionibus esse, Episcopos Gallos extra Galliam non posse judicari, nec quemquam a Pontifice ex ipsorum jurisdictione posse eximi; matrimoniales causas a Rege & Episcopis dijudicandas esse, & quæ sunt hujus generis alia. Qualis præsertim Ludovici XII, Francisci I & Caroli IX ætate agitata est, nunquam vero frequentius & majori diligentia, quam imperante Ludovico XIV. Ejus enim sub auspiciis scriptores plurimi in publicum prodierunt, qui non tam libris invidioso titulo munitis, quam, velut aliud agendo, historicis præsertim scriptis Pontificem aggrederentur. Inter quos Auctori nostro locus est, cui in hoc libro non æque Conciliorum universalium Historiam describere, ac jura Gallorum contra Romam defendere, animus fuit; adeo data opera occasiones quasvis super ea controversia disputandi aucupatur. Partitus est librum hunc suum in duos Tomos. Et *Tomo I* quidem initio tria ab Apostolis celebrata Concilia recenset, primum nempe de electione Matthiæ ad Apostolatum, alterum de constitutione Diaconorum, tertium denique de Semi-Judaismo abrogando. Pergit ad Concilia sub persecutionibus Christianorum habita, recensetque tria Carthaginensia contra baptismum hæreticorum: p. 18. Romanum contra Novatianos (quorum errorem in eo præcipue positum affirmat, quod Ecclesiæ denegaverint potestatem peccata enormia remittendi, eorumque remissionem a solo Deo exspectandam putaverint:) duo Antiochena contra Paulum Samosatenum seculo III habita; & quæ seculo IV celebrata sunt, p. 20. Sinuessanum contra Papam Marcellinum, (quod ut fictum repudiat:) Illiberitanum de disciplina lapsorum (quod A. C. 305 habitum ac Novatianismi a Baronio præter meritum insimulatum docet:) Ancyranum de pœnitentia lapsorum & Chorepiscopis (quorum antiquitatem p. 26. in Orientali & Occidentali Ecclesia probat, eosque ignaviæ

Epi-

Episcoporum originem debere, & seculo X in Oriente abolitos, testatur:) Neocæsareense de disciplina ecclesiastica, & Arelatense contra Donatistas, quod a Concilio plenario, ab Augustino commemorato, diversum esse ait. Hinc ad Concilia generalia in Oriente sub Christianis Imperatoribus habita progreditur, eaque enumerat sequenti ordine: Nicænum I, ob celebrationem Paschatis, Arianos & Melesianum schisma: Constantinopolitanum I, ob repurgationem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & contra Macedonianos: Ephesinum contra Nestorianismum, quem ex crassa Nestorii ignorantia ortum putat: Chalcedonense contra Eutychianos, quorum technas prolixe describit: Constantinopolitanum II contra Acephalos & Origenistas, quos in orthodoxos & heterodoxos dividit, & ad priores refert Dionysium Alexandrinum, Basilium & Gregorium Nazianzenum, ad posteriores vero Didymum Alexandrinum & Rufinum; Et quia in hoc Concilio tria capitula, nempe Theodori Mopsuesteni, Ibæ & Theodoreti scripta damnata sunt, quæ Concilium Chalcedonense approbaverat, hunc in modum hæc Concilia conciliat, ut in Chalcedonensi non scripta, sed auctores solum, postquam palinodiam cecinerant, & Nestorium damnaverant, probatos dicat; Vigilium Papam, qui tria ista capitula nunc probavit, nunc damnavit, ita excusat, ut ex ignorantia Græcæ linguæ, qua scripta erant, illum errasse fateatur, & de ejus erectione ad dignitatem Pontificiam non optime sentiat. Addit Trullanum seu Constantinopolitanum III contra Monotheletas, ubi contra Baronium probat, Acta hujus Synodi non esse corrupta, sed Honorium Papam revera in eadem, ut Monotheletam, damnatum esse: Nicænum II pro imaginum cultu, cum quo Francofurtanum & Parisiense contra imagines habita ita componit, ut Nicænos Patres dicat quæstionem juris tractasse, & quod imagines adorare liceat, decrevisse; Francofurtanos vero in quæstione facti versatos, constituisse, imaginum cultum ob præsentem Ecclesiæ Francicæ statum, quæ ex idololatria non ita pridem emerserat, esse intermittendum, cum e contrario in Ecclesia Græca, ob nuper data ab Iconoclastis scandala, adoratio ista jure meritoque urgeretur: Constantinopolitanum IV, in quo Photius exauctoratus fuit. Sequuntur Concilia universalia Occidentis, quæ sequenti ordine recenset: Concilium Lateranense I, quod investituras Episcopo-

p. 183. sqq.

p. 154. sqq.

ſcoporum a Principe per baculum & annulum factas damnavit; ubi
Auctor conſuetudinem Epiſcoporum Gallorum, Regi jusjurandum
præſtantium, contra Papæ decretum defendit: Lateranenſe II contra p. 189.
ſchiſma Anacleti II & Petrobruſianos: Lateranenſe III de electione
Pontificis, & contra Valdenſes ac Albigenſes, quibus horrendos erro-
res tribuit: Lateranenſe IV, in quo decretum eſt, Pontificem poſſe p. 196.
Principes dignitate exuere, ipſorumque clientes nexu jurisjurandi ſol-
vere; ad quod decretum obſervat, non de Regibus, ſed de minorum gen-
tium Principibus illud eſſe intelligendum: Lugdunenſe I, quod Fri- p. 221.
dericum II Imp. non de jure, ut Auctor cenſet, ſed de facto, exaucto-
ravit: Lugdunenſe II, contra Græcorum ſchiſma: Viennenſe contra
Templarios, quorum condemnationem nec probat, nec improbat, ſed
Dei judicio relinquit: Conſtantienſe denique, contra ſchiſma Avenio- p. 259.
nenſe, Viclefum & Huſſitas congregatum; ubi annotat, Hierony-
mum Pragenſem non injuſte flammis traditum fuiſſe, cum ſalvus p. 267.
conductus ipſi non contra juſtitiam, ſed vim datus fuerit.

Tomo II ad Baſileenſe Concilium ſe confert, cujus ſex ſcopos re-
cenſet, nempe Hæreticorum exſtirpationem, unionem Græcorum, fidei p. 4.
Chriſtianæ explicationem uberiorem, abolitionem bellorum inter Chri-
ſtianos, reformationem Eccleſiæ in capite & membris, ac veteris di-
ſciplinæ reſtaurationem. Hinc ſigillatim, quid in ſingulis ſeſſionibus
geſtum ſit, quas machinas Eugenius Papa ad evertendum Concilium
uſurpaverit, a p. 4 ad 132 uſque refert, obſervatque, ex hujus Conci-
lii decreto, Papam ſolum caput miniſteriale Eccleſiæ eſſe; Auguſtinum
Romanum hæreticum, qui docuerat, Chriſtum quotidie in membris p. 28.
ſuis peccare, ſeſſione XXII damnatum eſſe; Concilium hoc, invito
licet Cajetano & Bellarmino, legitimum eſſe, & in Gallia, excepta Eu- p. 78.
genii exauctoratione, plenarie receptum. His explicatis, ſe confert
ad Hiſtoriam *Pragmaticæ Sanctionis*, atque initio oſtendit, Epiſcopos
in priſca Eccleſia a Clero & Populo ſemper electos eſſe, deinde Metro-
politanos jus eligendi ad ſe rapuiſſe, quod Juſtinianus ex parte Clero
ac Populo reſtituerit. Hinc in Gallia, ante Francorum Regnum, ſi-
milem electionem obſervatam oſtendit, additque Reges Merovingi-
cos, & priores ex Carolingicis, jus Epiſcopos conſtituendi ſibi vindicaſ-
ſe, conniventibus primum, poſt contradicentibus Epiſcopis, quod
Ludovicus Pius Clero & Populo reſtituerit, addito tamen Regis no-

mine Visitatore quodam, qui electionem moderaretur, post quem Capetingici Reges electionis maximam vim ad se retraxerint. Recenset porro Carolum VII Regem Galliæ canonem Concilii Basileensis de electione Episcoporum a Clero Ecclesiæ istius, cujus Episcopus eligendus erat, facienda recepisse, & in Bituricensi Synodo, edita Pragmatica Sanctione confirmasse; quam Pius II Papa impugnaverit, a Dauveto refutatus, Ludovicus XI Rex abrogaverit, contradicente Parlamento Parisiensi & Academia; Carolus VIII restituerit, Ludovicus XII contra Julium II Papam & Lateranense Concilium fortiter defenderit. Posthæc commemorat, quo pacto Franciscus I, Leonis X artibus permotus, Sanctione ista repudiata, *Concordatum* introduxerit, in quo Episcoporum electio Regi reservata sit, sed maxima cum Ecclesiæ Gallicanæ, Parlamenti & Academiæ Parisiensis contradictione, qua factum sit, ut Pragmatica Sanctio vigorem aliqualem retinuerit, invito etiam Rege, quam Carolus IX contra Romanas artes feliciter propugnaverit. Quibus traditis Auctor concludit, Concilia Constantiense & Basileense, quibus infrenis Papæ potestas in ordinem redacta est, ab Ecclesia Gallicana pro legitimis & universalibus haberi. Auctor his enarratis, ad doctrinam de conjugio se confert, & primo probatum it, cœlibatum Clericorum non esse juris Divini. Tribus prioribus seculis prohibitum quidem Clericis fuisse, ne post assumtum ordinem uxores ducerent, sed concessum nihilominus Clericis, æque majoribus ac minoribus, ut quas haberent uxores, retinerent; quod exemplis Nicolai Diaconi, Novati & Tertulliani Presbyterorum, Spiridionis Episcopi, & testimoniis Dionysii Corinthii, Athanasii & Paphnucii probat, atque ad argumenta contraria respondet. Hinc declarat, Siricium Papam sub finem seculi IV verum cœlibatus Clericorum auctorem fuisse, cui Concilium Illiberitanum præiverit. Tandem evincit, causas matrimoniales non a solis judicibus ecclesiasticis, sed secularibus etiam sive Regiis examinandas esse ac dirimendas, cum matrimonium & contractus civilis sit, & sacramentum, imo ad posterioris naturam prioris validitas requiratur. Præter hæc, videas passim interspersas
p. 83. seqq. digressiones amplas accurateque elaboratas. Sic Tomo I prolixe disputat, num Ecclesiæ liceat mortuos damnare, atque affirmantem sententiam erasione ex Diptychis, & Augustini auctoritate; negantem Gelasii Papæ & Dionysii Alexandrini testimoniis probat: ipse ob Con-

cilium

cilium universale quintum, quod Theodorum Mopsuestenum mortuum damnavit, priori accedit. Alio loco de imaginibus ample disceptat. p. 129. seq. Prioribus tribus seculis nullas in templis Christianorum fuisse, ex silentio veterum, & quod Pagani nihil objecerint, probat; quarto demum seculo, ob cessantem idololatriæ metum, imagines in templis usurpatas, earum vero adorationem septimo demum seculo cœpisse affirmat; imagines S. Trinitatem repræsentantes, universæ Traditioni contrarias & periculosas esse; picturas prius quam statuas in Ecclesia visas, (& Tostati judicio non inepte, quia minus ab illis idololatriæ periculum sit) cultum imaginum rem indifferentem esse, quæ impune abrogari possit, defendens. Porro fuse graviterque contendit, p. 204. seqq. Papam Regibus, quantum ad temporalia, superiorem non esse, nec jus illos exauctorandi possidere; Gregorium VII vero, qui Henricum IV Imperatorem oppugnavit, male egisse ait, ejusque rationes egregie refutat, & bullam Gregorii M. Monachis S. Medardi datam, suppositam esse, cum Marca & Launoio ostendit. Hæreticos pœnis etiam capitalibus p. 269. seq. recte affici posse, alibi evincere conatur. Tomo II vero originem ac p. 110. seqq progressum controversiæ de immaculata Mariæ conceptione præ cæteris describit.

ACTA SANCTORUM JUNII, COLLECTA, DIGESTA, Commentariis & Observationibus illustrata, a GODOFREDO HENSCHENIO, DANIELE PAPEBROCHIO, FRANCISCO BAERTIO & CONRADO JANNINGO, e Societate JEsu Presbyteris Theologis. Tomus Secundus.

Antverpiæ, apud viduam & hæredes Henrici Thieullier. 1698, fol.
Constant Alphab. 14.

ACta Sanctorum ad Junium usque hactenus deduxere solertissimi Collectores, primoque mensis istius tomo A. 1695 vulgato & a nobis in proxima Supplementorum sectione p. 289 seqq. recensito secundum, qui nunc delineandus venit, pro indefessa sua industria addiderunt, in quo a die Junii septimo ad decimum usque quintum progressus factus est. Ne autem spissum nimis cuipiam volumen appareret, bipertitum istud sistere, partique adeo priori dies quinque, & posteriori residuos quatuor destinare Autoribus placuit, servata ta-

men ſerie paginarum haud interrupta, ad quam ſubjuncti quoque Indices, Alphabeticus nempe Sanctorum & Chronologicus, Hiſtoricus item Onomaſticus, Topographicus & Moralis Lectorem remittunt.

Quemadmodum vero non parvus denuo Sanctorum heic occurrit numerus, ad centurias quippe tres cum dimidia fere aſſurgens: ita tribus iidem claſſibus haud incongrue adſcribi poterunt, pro triplici nempe ſtatu, Eccleſiaſtico, Monaſtico, & Seculari, e quibus præcipuos commemorabimus.

In Eccleſiaſtico primum jure locum tribuimus Eliſæo Prophetæ, de cujus cultu & reliquiis a p. 784 ad 786 agitur. E Chriſti diſcipulis adeſt S. Barnabas, cujus Acta a p. 421 ad 460 protenduntur; eaque occaſione ſimul mentio fit S. Joannis, cognomento Marci, conſobrini Barnabæ & prædicationis ſocii, a quo condita ſunt Acta Barnabæ, quæ ex manuſcripto Vaticano Græce cum Latina Guilielmi Cardinalis Sirleti interpretatione exhibentur. Ex Hieroſolymitanis Epiſcopis refertur ſeptimus, S. Joannes, p. 4, e Patriarchis Conſtantinopolitanis Paulus, ab Arianis crudeliter interfectus, p. 13 ad 24, & Methodius, cujus vita græce ab Autore coævo ſcripta & a Leone Allatio in Latinum ſermonem translata, p. 961 ſeqq. repetitur. Omnium vero prolixisſimi ſunt Autores noſtri in adornanda Baſilii, Cæſareenſis Epiſcopi, hiſtoria, cumque vitam ejus nemo antiquorum ſcripſerit, (eam enim, quæ Amphilochio, Iconienſi Epiſcopo, tribuatur, apocrypham eſſe perhibent,) eandem prolixe ſatis ex ipſiusmet & coævorum ac familiarium ſcriptis concinnavit Franciſcus Baërtius, quæ ingens ſpatium a p. 807 ad 957 complet. Ex iis, quos ſummum Pontificatum tenuiſſe conſtat, Leonem III huc afferunt, ejusque Acta ſtudioſe collecta a p. 572 ad 590 recenſent. Tacemus Cardinales duos, Bonaventuram S. Cæciliæ, de quo p. 392 ad 394, & Joannem Dominici, Cardinalem S. Sixti, de quo p. 394 ad 418 ipſis ſermo eſt. Bardonis, Archi-Epiſcopi Moguntini, vita ex manuſcripto Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis a p. 301 ad 319, & Bogumili, ex Archi-Epiſcopo Gnesnenſi Eremita facti, vita recentior autore Stephano Damalevicio Romæ A. 1661 edita p. 314 ſeqq. luſtranda conceditur. Ex Galliæ Epiſcopis celebris eſt Medardus, Epiſcopus Noviomenſis & Tornacenſis,

ſis, cujus memoriam octavo die Junii recoli notum eſt, unde ad eum delati de hoc ipſo a p. 72 ad 105 fuſe Noſtri commentantur.

Ad ſtatum Monaſticum referendus eſt Onuphrius Anachoreta, cujus Acta habentur a p. 530, licet ea magno indigere dicantur examine. Vitam vero ejus Græcam, ex manuſcripto Bibliothecæ Ducalis in Bavaria, Latine vertit Conradus Janningus. De Columba, Presbytero Abbate in Jona, Scotiæ inſula, p. 180 ad 236, de Baitheneo, ejus ſucceſſore p. 236, ſq. de Gerardo, fratre S. Bernardi, monacho Claravallenſi, p. 699 ſqq. legenda plura exhibentur. S. Antonii de Padua, ut notum valde nomen & magna eſt celebritas, ita ſtudioſe heic a p. 703 ad 780 collectum cernas, quicquid ad vitam ejus resque geſtas pertinet. Nec minori diligentia Joannis a S. Facundo hiſtoria a p. 616 ad 663 repræſentatur. Præterimus ex fœminino ſexu allegatas Aleydem de Scharembeka, ſanctimonialem Ordinis Ciſtercienſis, tolerata patienter lepra mirabilem, cujus mentio occurrit p. 476 ſqq. & Roſſelinam, virginem Carthuſianam, quæ p. 489 ad 503 deſcribitur.

E ſtatu Seculari ſimul & e ſexu muliebri præ cæteris nominamus Margaritam, Scotorum Reginam, cujus majores æque ac poſteri ex coævis ſcriptoribus illuſtrantur, vitaque ejus ad filiam Mathildem, Angliæ Reginam, a Confeſſario Theodorico ſcripta apponitur a p. 320 ad 340. Celebres etiam ſunt Modeſtus & Creſcentia cum alumno ſuo Vito, puero, cujus corpus Roma in Franciam, indeque Corbejam, reliquiæ vero ex Italia in Bohemiam translatæ dicuntur, multamque miracula enumerantibus ſcribendi, Noſtris vero a p. 1013 ad 1042 diſſerendi materiam ſubminiſtrant. Godeſcalci, Principis Sclavorum, ex perſecutore facti Chriſtianorum inter ſuos Patroni, memoria p. 40 ſ. refricatur; ut virgines ſeptem, quæ in Perſide a perfido directore Presbytero proditæ & occiſæ perhibentur, Sebaſtianam item Thaumaturgam, S. Floram aliasque ejusmodi ſilentio involvamus.

Tomus integer *Eleonoræ*, Romanorum Imperatrici ſemper Auguſtæ inſcriptus eſt, inque dedicatione eadem confertur cum Margarita Scotorum, quam modo diximus, Regina. Hanc dum Sanctisſimæ Trinitati regiis ſumtibus templum extruxiſſe Collectores referunt, ſplendidisſimæ ſimul pyramidis meminerunt, quam Auguſtisſimus Imperator Leopoldus ejusdem Sacroſanctæ Triados hono-

ri erigendam curavit, post diram luem A. 1679 ab urbe Vienna Austriæque provinciis clementer aversam, cujus ectypon æri incisum hic apponitur. Nec deesse sibi sentient, qui in talibus hærere cupiunt, imagines affabre sculptas alias, Sanctorum imprimis Sanctarumque faciem habitumque referentes, utpote Dianæ Bononiensis, p. 364, Henrici Baucenensis, p. 370, Joannis Dominici, p. 395, Guidonis Cortonensis, p. 602, Joannis a S. Facundo, p. 623, S. Antonii de Padua, p. 715, Benedicti Aretini, p. 716, Basilii, Nazianzeni & Chrysostomi, p. 936. Crus S. Barnabæ carne nondum putrida vestitum, p. 457, incorrupti S. Rosselinæ oculi p. 500, linguaque Antonii Patavini vitam velut adhuc spirans p. 743, in stuporem rapient eos, qui in reliquiis Sanctorum exosculandis promtiores sunt.

Sed magis delectatum iri nobis persuademus Eruditos tractatu præliminari, quem Nicolaus Rayæus strenuus in hoc opere ornando juvandoque Socius, cujus nomen imposterum frequentius occurret, composuit *de Acoluthia Officii Canonici in Ecclesia Orientali Græcorum observari soliti.* Cum enim in ritum solennis commemorationis trium Doctorum, Basilii, Nazianzeni & Chrysostomi, a Joanne Euchaitarum Antistite consignatum incidisset, historiamque festi ipsorum, in gratiam Baërtii vitam Basilii describentis, ex Græco in Latinum sermonem transfudisset, (quæ ipsa quoque translatio p. 934 s. in hoc tomo legitur,) de toto Ordine Officii Canonici apud Græcos usitati agere suscepit. Acoluthiam autem dici hoc Officium affirmat ideo, quod singulæ illius partes inter se quam optime cohæreant, & aliæ alias consequantur. Posteaquam ergo de terminis quibusdam eo pertinentibus prolixe egit, quidque notent Troparium, Sticherum & Stichus, Idiomelum, Contacium, Canon, vocesque aliæ, uberius indigitavit, justam ex Typico, Menæis, cæterisque Ritualibus Græcis impressis commentationem instituit de minoribus majoribusque Vesperis, de Officio matutino, de laudibus, de horis minoribus, mediis horis & Apodipno, ac ubique exempli in locum ea, quæ in festo trium Doctorum jam modo nominatorum recitari cantarique olim sueverint, allegat.

JUS

JUS PUBLICUM CÆSAREUM, SIVE SACRÆ CÆsareæ Majestatis Jus supremum, ex monumentis legum, Constitutionum Imperii, Capitulationum Cæsarearum & Historiarum publicis ac fide dignis, generaliter & per species assertum atque declaratum, a JOH. WOLFG. TEXTORE, JCto ac liberæ Imp. Reipubl. Francof. ad Mœnum Syndico Primario.

Francofurti ad Mœnum, sumtibus Joh. Davidis Zunneri, 1697, in 4. Constat 3 alph. 17 plag.

JUs Publicum Statuum Imperii, a Celeberrimo Autore publicatum, in Actis nostris suo tempore, mense scilicet Augusto anni 1701, relatum est; sed Jus Cæsareum, aliquot annis illo antiquius, nostram, cum in lucem prodiret, nescimus quo casu, evasit curam; hinc Supplementis, postliminii velut aliquo jure, illud inserere non morabimur. De difficultate tractationis in præfatione disseritur, ac quomodo scopulos heic evitare liceat, docetur. Nimirum ex laudati præloquii sententia, secure in hoc pelago navigabis, si non ideas cerebrinas, sed legum ac constitutionum Imperii ductum sequaris. Hoc autem medium ut dextre servemus, opus est, tum jura antiqua nosse & præ oculis habere, tum recentiora, ne vel, quod legibus Imperii aliter cautum, erronee æstimemus ex jure prisco; vel quod non mutatum, temere negemus adhuc obtinere: utroque enim modo aut contra leges publicas, aut contra Majestatem peccatur. In illos autem errores non possunt non incidere, qui exemplo *Stamleri* simplicem Monarchiam, vel personati *Titi Germani*, puram Aristocratiam adstruunt; optime autem evadunt, qui Rempublicam ex utraque mixtam defendunt. Difficilem itaque ac utilem materiam in hoc tractatu, quindecim titulis constante, distinctius expositurus Autor Noster perindustrius, in titulo primo Jus Publicum in genere expendit, ejusque neglectum, varias significationes, indolem, objecta; a Politica, Ratione Status, Jure Gentium & Naturæ differentiam; media denique ac principia adducit. Atque istam præliminarem Juris Publici philosophiam titulo secundo & tertio amplius continuat. In illo enim contexta qualiquali, de origine Imperii Romano-Germanici ejusque progressu, historia, status præsentis mixturam, in operis præfamine jam laudatam, asserere & explanare nititur; in hoc vero

vero Reipublicæ noſtræ partes, fines & circulos, tam in genere quam in ſpecie, juxta ſolennes Juris publici Scriptorum quæſtiones, conſiderat. Titulus quartus argumentum principale conſpiciendum exhibet. Explanato vocis Imperii ſenſu, tam materiali quam formali, explicatisque Imperatoris, Principis, Cæſaris & Auguſti nominibus, Imperatorem Romanum Noſter cenſet eſſe ***perſonam habilem ad capesſenda Imperii Regimenta, ex illuſtri familia Germanica ortam, ab Electoribus ſecundum leges Imperii fundamentales electam, ut Reip. Romano-Germanicæ tanquam caput & adminiſtrator legitime præſit***, eamque definitionem requiſitorum Cæſareorum explicatione illuſtrat, inter alia, Cæſarem non poſſe ſimul eſſe Pontificem, arbitratus. Hinc ſuccedit titulus quintus, ſplendido Regis Romani argumento conſpicuus. Eſt autem Rex Romanus, ex ſententia Noſtri, ***ſucceſſor futurus Imperii Romano-Germanici, Imperatore vivo per electionem rite deſignatus;*** cui definitioni variis obſervationibus, tam nomen quam rem ipſam ſpectantibus, lux deinceps affunditur, quas prolixe referre opus fortaſſe non eſt, cum ſecundum conſueta materiæ hujus capita, illæ decurrant. Imperatori autem & Regi Romano communis eſt Electio, titulo ſexto explicata. In hoc argumento primum occupat locum quæſtio de origine Electorum, in eam determinata ſententiam, Septemviratum, poſt longa electionis diſſidia, & diutinum interregnum, Friderici II mortem ſecutum, invaluiſſe, reliquis Proceribus tam patriæ afflictæ ſenſu, quam Pontificis reverentia, in rei illius conſenſum permotis. Inde ſubit ſpecialis Electorum recenſio, variaque ad jus ſuffragii Electoralis pertinentia diſcutiuntur.

His expoſitis, actus electionis ſequitur, cujus præliminaria, convocationem puta Moguntini, convocatorum comparitionem, ſalvum conductum proficiſcentibus Electoribus concedendum, Sacrorum celebrationem ſimiliaque; deinde ipſam electionem, ex Electorum votis compoſitam, ac electi acceptatione corroboratam, copioſe ſatis Noſter exponit. Cum vero Imperium Cæſari non aliter deferatur, quam ſub conditione acceptandæ Capitulationis, hinc titulo ſeptimo ſua enata eſt materia. Ille enim celeberrimæ hujus pactionis legisve fundamentalis originem, naturam, perſonarum paciſcentium conditionem & poteſtatem, materiam, pactionis effectum, nec non capitulationis perpetuæ deliberationem diligenti commentatione perſequitur. Electio-

ctionem velut consummat coronatio, tituli octavi argumentum. Est illa, intuitu Imperii nostri, *actus publicus, quo Rex Romanus vel Cæsar electus coronam Imperii capiti impositam solenni ritu accipit, & sub vestitu ac insignibus Imperialibus publico conspectui sistitur*; quam definitionem consuetæ hujus materiæ partes deinde fusius illustrant, quas pluribus referre non attinet. In titulo nono de Juribus Cæsareis, quæ Reservata dici solent, generatim Noster acturus, nonnulla de Regalibus præmittit; inde Reservata definit, quod sint *Jura publica Imperatori vel Regi Romano qua tali competentia, neque Ordinibus communicata, neque a concursu vel consensu eorum universali in exercitio dependentia*, eaque a Regalibus, ut speciem a genere, differre arbitratur, ac in absoluta & respectiva distinguit. Quo autem eo rectius constet, quænam Regalia, sub Reservatorum nomine, Cæsari tribui queant, Noster in titulo decimo juxta seriem Constitutionis Friderici I, quæ II F. 56 exstat, viginti quatuor Regalia, nempe (retinemus verba Nostri) armandias, vias publicas, flumina navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, monetam, mulctarum pœnarumque compendia, bona vacantia, nec non quæ ut indignis per leges auferuntur, item bona contrahentium incestas nuptias, amplius condemnatorum & proscriptorum, secundum quod in novis constitutionibus cavetur, angarias, parangarias, plaustrorum & navium præstationes, collectam extraordinariam ad felicem expeditionem Regalis Numinis, potestatem constituendi Magistratus, argentarias, palatia in civitatibus, piscationum, salinarum reditus, bona committentium crimen læsæ Majestatis, thesaurum in loco Cæsaris vel religioso inventum, adducit & explicat. Inde progreditur ad titulum undecimum, qui de Cæsareis Reservatis circa ecclesiastica satagit. In hunc censum igitur a Nostro referuntur suprema sacrorum cura ac defensio, aliquo modo jus indicendi Concilii generalis, jus Advocatiæ seu Patronatus Ecclesiæ Romanæ, jus constituendi vel confirmandi Præsides Ecclesiasticos sive religionis Antistites, suprema jurisdictio Ecclesiastica, ut & de bonis & beneficiis Ecclesiasticis dispositio, ac in specie jus primariarum precum, prolixa expositione discussa, adjectaque Concordatorum Nationis Germanicæ formula condecorata. Longe prolixior de Reservatis secularibus in titulo duodecimo Nostro enata est tractatio, quam adumbrasse suffici-

ficiet. Primo igitur huc pertinere ille existimat, supremum Imperii dominium, non de toto terrarum orbe, sed Republica Romana, quatenus modernis finibus continetur, intelligendum: unde fluit alterum Reservatum, potestas conferendi feuda Regalia; qua occasione actus investituræ pluribus perpenditur. Tertium constituit jurisdictio inter Vasallos de feudis Imperii, per text. *I f. 18. & II f. 34. pr.* qui locus ut alia, ita inprimis necessitatem Conjudicii aut Consessus Principum, des Fürsten-Rechts/ in utramque partem disputatam, exhibet. Quartum Reservatum est Jurisdictio suprema & universalis, diversis observationibus illustrata. Quinto loco venit jus edicti universalis per Imperium proponendi. Sextum Noster esse voluit supremæ dignitatis apicem, quo Imperator non tantum in Germania summus est, sed & apud exteros honoris prærogativa gaudet. Septimum est jus concedendi omnis generis dignitates. Octavum jus privilegiorum concedendorum, in quam classem privilegium civitatis, academiæ, vectigalium, salvi conductus universalis, stapulæ, propositio Cæsarea & conclusorum comitialium ratihabitio, jura auctoritativa arrogationis, legitimationis, dispensationis & similia, jus confirmandi pacta, statuta vel id genus negotia alia, referuntur. Postea Noster ex professo disquirit, an & in quantum Regalia in Constitutione Friderici I relata, ac supra tit. 10 illustrata, Reservatis Cæsareis annumerari queant; in quem locum varia Juris publici capita de Postis, Collectis, Judiciis Imperii similiaque, ex recensione laudatorum Regalium superius facta facile intelligenda, confluunt. His expositis, inter Reservata amplius jus exigendi homagia & juramenta fidelitatis, Imperatoris exceptionem a fœderibus Statuum, Commissionem cum clausula appellationis exclusiva, privilegiorum de non appellando & evocando concessionem, veniam ætatis, dationem literarum moratoriarum, privilegium exemtionis a Cameræ jurisdictione, Insignium concessionem, Repressaliarum permissionem, Comitiorum indictionem refert, ac generalibus quibusdam observationibus Reservata concernentibus, ac in specie decreti Cæsarei, in causa Mecklenburgica A. 1697 dati, relatione, totam tractationem claudit. Titulus decimus tertius modos, quibus imperium in Cæsare finiatur, nempe renunciationem, depositionem & mortem recenset, eosque usitata commentatione illustrat, ex qua hoc uni-

unicum memorare liceat, quod exauctorationem Henrici IV & Adolphi illegitimam, Wenceslaum autem fere solum legitime depositum, arbitretur. Titulum decimum quartum juribus Augustæ Imperatricis & Reginæ Romanæ Noster explevit. Uti autem illæ Imperii Germanici vel ejus administrationis haut sunt capaces, licet Agnes, Henrici IV mater, insueto exemplo per aliquot annos Imperium administraverit: ita suis tamen iisque sat splendidis juribus haut destituuntur, quorsum, ex doctrina Nostri, pertinent earum summa inter fœminas existimatio, coronatio, sanctitas, adeo ut crimen læsæ Majestatis in eas posit committi, forum quod coram Cæsare sortiuntur, privilegia ipsis & Imperatori communia, præcipue quoad fiscum, testamenta, donationes ac primarias preces. Decimum quintum & ultimum titulum occupant Vicarii, quorum originem, varietatem, constitutionem, potestatem similiaque, secundum consueta capita, prolixe satis expendit Noster; quod indicasse satis erit, cum res notoria prolixam relationem excludere videatur, aut saltem sine ea ejus series a peritis jam intelligatur.

HISTOIRE DES CHANOINES.

i. e.

HISTORIA CANONICORUM, VEL INDAGATIONES Historico-Criticæ de Ordine Canonico.

Parisiis, apud Carolum Osmont, 1699, in 12. plag. 19.

AUctorem hujus libelli accepimus *Raimundum Chaponellum,* Canonicum Regularem S. Augustini, & Priorem S. Eligii, virum sui Ordinis, ut inter Pontificios fieri solet, mire studiosum. Hic enim invenias, qui non solum studia omnia laboresque Ordini, cui se addixerunt, mancipio dent, sed si occasio ferat, sanguinem ipsum. In *Præfatione* conqueritur, nullam exstare probam Canonicorum Historiam, cum plerique hujus argumenti scriptores ad particularia solum respexerint; alii ex ingenio sibi hypotheses confinxerint, conquisitisque auctorum testimoniis ornaverint; multi etiam peculiares quasdam, ad unam provinciam, urbem vel familiam spectantes mutationes, toti Ordini improvide adscripserint: se otii paululum nactum, accuratius hanc telam retexendi munus non illubenter suscepisse ait, per-

veſtigatis eopte conſilio Conciliis, Patribus, Hiſtoricis & Diplomatibus, exuiſſe omnia, ſi quæ habuerit præjudicia, atque rem odio procul, procul amore, aggreſſum eſſe, indeque hoc compendium Hiſtoricum prodiiſſe. Monet præterea, ſe non contemtim habere Monachos, dum eos a Canonicis ſemper fuiſſe diverſos ſollicite adeo probavit, nec abjecte tractare Canonicos Seculares, dum eos Regularibus inferiores eſſe oſtendit, & Ordinem Regularem ſolum vere Apoſtolicum eſſe declaravit. Partitus eſt negotium ſuum in *duos libros*, quorum *primus* de origine & progreſſu Ordinis Canonici, *ſecundus* de ejus juribus & privilegiis tractat. Et *cap.* quidem I a paupertate Jeſu & Apoſtolorum inchoans defendit, omnes propemodum primitivæ Eccleſiæ Presbyteros poſſeſſionibus cunctis renunciaſſe, adeoque revera Canonicos fuiſſe, etſi nomine caruerint: eoſdem ante ſeculum III vota caſtitatis, paupertatis & obedientiæ obſervaſſe, Monachis inde occaſionem votorum ſuorum petentibus: Cathedrales Eccleſias & Collegia ſub Gallieno Imp. orta, cum antea Epiſcopus omnium Eccleſiarum ſuæ diœceſeos Paſtor eſſet: hæc Collegia ſeculo IV in Oriente Canonicorum nomen obtinuiſſe, quo Baſilius M. primum uſus ſit: Clericos Athanaſii, Euſebii Vercellenſis, & Ambroſii, nec non Aquilegienſes, Romanos & Carthaginenſes, abdicata omni bonorum poſſeſſione, Canonico more vixiſſe: id quod *cap. II* auctoritatibus eorum, qui poſt ſeculum IV vixerunt, contra Thomaſſinum fuſius probat. Hinc *cap. III* contendit, Auguſtinum collapſum hoc veterum Clericorum inſtitutum reſtauraſſe, conſtituto Clericorum Hipponenſium Collegio; ubi Nublæum & Launojum refutat, quibus Clerici iſti Monachi fuiſſe videntur, eo quod ipſorum conventus a Poſſidio monaſterium vocetur: Noſter monaſterium Clericorum ſive intra Eccleſiam, non Monachorum ſive extra urbem fuiſſe, reſpondet; & *cap. IV* oſtendit, pleroſque Occidentis Epiſcopos Auguſtini exemplum usque ad finem ſeculi V ſecutos, Juliani Pomerii præſertim teſtimonio Thomaſſinum hoc etiam negantem refellens. *Cap. V* Canonicos, hoc eſt, Clericos præſtito voto in communione viventes ſeculo VI extitiſſe defendit, & in Occidente primum A. 529 in Concilio Vazenſi II nomen Canonicorum illis datum, eodemque ſeculo pleraque Canonicorum Regularium ſub Abbatibus monaſteria in Italia, Gallia & Belgio fundata eſſe, docet. Poſthæc oſten-

oſtendit *cap. VI*, Collegia Canonicorum Cathedralia & monaſtica ſeculo VII extitiſſe, cum Thomaſſino, qui ea cum ſeminariis confundit, non perfunctorie depugnans : obſervat quoque, eodem ſeculo multos Canonicorum, deſertis canonibus, ad proprietatem bonorum rediiſſe, quos Iſidorus Acephalos, alii Clericos ſine addito appellent, eamque ob cauſam in multos Clericorum conventus, illis ejectis, Monachos receptos eſſe. Pergit *cap. VII* explicare, quo pacto ſeculo VIII hæc corruptio accreverit, multis Conciliis caſtigata : quod inſtitutum Canonicorum hoc ſeculo & ſequenti ſemper Ordo Canonicus, Monachorum vero Ordo Regularis vocetur, contra Natalem Alexandrum; quod a Carolo M. Canonicorum Regularium nomen non ſit exortum, quodque Grodegangi regula Ordinis Canonici origo non ſit, contra Thomaſſinum, quam itidem regulam magnæ imperfectionis arguit, demonſtrans. Seculo IX Carolum M. & Ludovicum Pium Imp. ſedulo allaboraſſe, ut Canonicam diſciplinam reſtituerent, *cap. VIII* probatum it, maxime ex Concilio Aquisgranenſi, cujus tamen lenitatem, quod Canonicis uſumfructum bonorum quorundam, abdicata proprietate, conceſſerit, ad Grodegangi imitationem, magnopere reprehendit, ac Thomaſſinum, qui omnia Canonicorum monaſteria ſub Abbate, Præpoſito, aut Priore conſtituta antea Monachorum S. Columbani, Cæſarii, Aureliani, aut Benedicti ſedes fuiſſe, propugnat, copioſe refutat, eodemque ſeculo Monachos Canonicos dictos eſſe obſervat eos, qui vices Canonicorum in Cathedralibus Eccleſiis gererent. Dehinc *cap. IX* aſſerit, Canonicam diſciplinam ſeculo X propemodum interiiſſe, plerisque a communione diſcedentibus, ac ſeparatim fructus præbendæ ſuæ uſurpantibus, eaque ætate Canonicorum Secularium nomen iisdem regulæ deſertoribus datum pronunciat. Porro *cap. X* oſtendit, plerosque Canonicos ſeculo XI hanc corruptionem diſciplinæ averſatos, nomen Regularium diſtinctionis gratia aſſumſiſſe : Gregorium VII Pontificem multum contradixiſſe : Petrum Damianum quoque & Yvonem Carnutenſem graviſſimis invectivis aliquos in priſtinum ſtatum reduxiſſe. Conatur quoque *cap. XI* evincere, ſeculo XII crebras Collegiorum Canonicorum mutationes factas, Regularibus & Secularibus paſſim ſibi invicem ſuccedentibus ; eodem ſeculo Canonicos Regulares publicam votorum profeſſionem & regulam S. Auguſtini ſuſcepiſſe ; denique Abbatiam

S. Genovefæ Parisiensem, cujus alumnus est, præ omnibus Canonicorum Regularium in Gallia conventibus, etiam præ Abbatia S. Victoris eminere affirmat. Eodem fere modo seculis XIII & sequentibus rem se habuisse, frustraque passim ab Episcopis tentatam Regularium restitutionem, *cap. XII & XIII* enarrat. Inde librum II orsus, *cap. I* defendit, anacephalæosi facta, Ordinem Canonicorum Regularium ab ipsis Apostolis usque ad nos propagatum esse & conservatum. *Cap. II* monet, depravationes Ordinum & reformationes non constituere novos Ordines, adeoque nec Canonicorum diversa fata, nec Grodegangi & Ludovici Pii reformationes, (qui Canonicos remissiores dederint,) ipsorum summam vetustatem sublatam dare. Præterea *cap. III* propugnat, susceptionem regulæ S. Augustini, & appellationis Canonicorum Regularium, non fecisse novum Ordinem ab antiquis Canonicis diversum, & *cap. IV* eosdem ideo non degenerasse in Monachos, quod solennem votorum professionem receperint, cum non votum, sed genus vitæ Monachum faciat, cum Monachi diu sine solennibus votis vixerint, multæque virgines piæ extra monasteria viventes, ac Ordines sacræ militiæ votis publicis se adstrinxerint. Hinc *cap. V* respondet ad objectiones, quod conventus Canonicorum Regularium monasteria dicuntur; quod in multis disciplinam Monachorum imitentur. Negat Præmonstratenses veros Canonicos esse, etsi isto titulo utantur, observatque, curata officia Canonicis de jure propria quadruplici modo ad Monachos pervenisse: si novi incolæ prope monasterium consederint; si Laici, qui curata officia fundarunt, vendiderint ea Monachis, vel donaverint; denique si Monachi, ejectis Canonicis, eorum conventus occupaverint. Enarratis breviter *cap. VI* Canonicorum privilegiis, Canonistarum regulam, quod omnia beneficia natura sua sint secularia, refellit, & contrarium adstruit; speciatim vero *cap. VII* probat, curata aliaque beneficia & in prima Ecclesia a Canonicis Regularibus esse administrata, & hodienum illis deberi, *cap. VIII*. Nec ad eam rem illos, quod in Monachis requiritur, dispensatione Pontificis indigere, idque ad secularia etiam beneficia esse extendendum; ubi cum Canonistis, secularia beneficia solis secularibus tribuenda esse docentibus, mascule decertat. Tandem ad controversiam de peculio Canonicorum se confert, factaque *cap. IX* præparatione, *cap. X* demonstrat, omnia Ecclesiæ bona semper in libera

Epi

Episcoporum dispensatione fuisse, qui œconomos constituerint; octavo seculo primum pauca quædam bona conventibus Canonicorum data, undecimo autem & undecimo seculis præbendas & bonorum divisiones exortas, & Episcopos conventibus eas reliquisse. Hinc *cap. XI* concludit: si Canonicus Regularis obeat in beneficio seculari, aut regulari, quod nulli conventui sui Ordinis sit annexum, bona ab eo relicta deberi Ecclesiæ matrici, vel conventui, a quo istud beneficium alias dependet; vel si a nullo dependeat, ipsi beneficio vacuo: & *cap. XII*, si idem obeat in beneficio a conventu Canonicorum Regularium dependente, bona relicta deberi conventui. Postremo auctorem tractatus de peculio Clericorum, qui in posteriori casu bona Canonici pauperibus parochiæ eroganda esse defendit, *cap. XIII* fuse acriterque refutat, ac pro sui Ordinis antiquo jure omni contentione depugnat.

SCOPRIMENTO DEL MONDO VMANO, DI LUcio Agatone Prisco, opera dell' Abbate D. ANGELO SERAVALLI, Canonico Regolare del Salvatore &c.

i. e.

ORBIS HUMANUS RETECTUS A LUCIO AGAthone Prisco, & ad exemplum ac similitudinem magni hujus terrarum Orbis delineatus, opera Abbatis ANGELI SERAVALLI.

Senis per Bonettum in typographia publica, 1696, 4.
Constat 5 alph. 18 plag.

Quod Poëtis est propositum, ut non minus delectent ac prosint: idem hoc opere secutus est Autor doctissimus, qui gravissima sapientiæ præcepta dulci fabularum cortice ingeniose convestit. Cupiens enim hominem sui ipsius imbuere notitia, qua summa sapientiæ continetur; ut & satietati lectorum occurreret, quam facile gignit præcipiendi gravitas, & offensam odiumque vitaret, quod affert censuræ acerbitas; nova nec ab aliis trita via incessit, & ad instar Epopoeias seu poëmatis heroici, disciplinam omnem sic est complexus, ut fictionis jucunditate doctrinæ tædium

um levaret, & satyrici salis aspersione ingrata vulgo monita condiret. Quare nec dubitavit opus prosa contextum, sed cujus inventio esset poëtica, interstinguere versibus Italicis, Latinisque inscriptionibus passim exornare, ut vel hoc nomine Satura dici possit. Notitiam vero hominis sub orbis seu mundi figura & imagine exhibet, quem orbis terrestris mundique majoris similitudine sic describit, ut, quæ humano tribuuntur orbi, ad orbis, quem incolimus, ideam & exemplum sint efficta, atque adeo in microcosmo macrocosmus eluceat.

Lib. I. Repertorem humani orbis heroëmque totius fabulæ facit *Lucium Agathonem Priscum*, quem exemplo Columbi atque Americi Vesputii, novi orbis inquirendi desiderio incensum, in Brasiliæ sylvis somnum cepisse fingit, eique per quietem apparuisse Dantem parentem Musæ Etruscæ, qui e longinquo illi ostenderit orbem humanum, ejusque investigandi cupiditate illum inflammarit. Hoc ergo autore, Lucius Agatho ad orbem humanum quærendum se accingens, in anthropophagos Brasilianos incidere sibi est visus (somnium enim est Agathonis, quod toto opere narratur,) qui in carnis humanæ macello, hominis in tabula alligati corpus in quatuor partes dissecabant. Cum vero puellam nudam venustissima forma in macellum adducerent, globus igneus e navi in litus forte appulsa emissus disjecit barbaros; Agatho solus cum puella relictus eam deperire cœpit, & cum ea iter ingredi statuit, quo orbem humanum reperiret. Hæc puella Agathonis animam refert, ut intelligatur, secernendam esse a corpore animam, ut hominis natura pateat, & ab amore hominis erga animam sui ipsius pendere notitiam, orbisque adeo humani inventionem. Ingressus ergo Agatho cum puella sua navem, unde globus projectus fuerat, multa imaginaria spatia maris trajicit, & promontorium hypochondriacum variasque insulas somniorum, cancri, Utopiæ, soliloquii, Atlantidum, hyperbolicas, Dædaleas prætervectus, gravibusque tempestatibus jactatus, quibus embryonis in utero fata adumbrantur, tandem ab omnibus desertus ad turrim sub polo Arctico sitam defertur, eamque hortante Diva sua (sic puellam suam vocabat) conscendens, in orbem humanum se penetrasse sentit.

Lib. II. In quo peregrinaturus, pedem primum in Italia se ponere miratur, & in antro quodam Campaniæ sepulchrum Virtutis Romanæ invenit. In antro vero Sibyllæ Cumanæ inspicit

Glo-

Globum humani orbis, & ex hieroglyphica cujusque regionis & provinciæ significatione intelligit, se vere per humanum orbem iter facere, ejusque pedes per Italiam figurari. Pergens per Galliam, velut crura ejusdem, in fastigio montium Pyrænæorum duas urbes positas observat, alteram Titaniam, quæ est patria titulorum, quibus vel homines vel libri turgent, alteram Romanziam, unde fabulæ heroicæ amantium prodierunt, in qua Heliodoro & Boccatio erectæ erant statuæ. Hinc per Hispaniam vestigiis ejus hærente Fastu progressus ad fretum accedit Herculeum, atque Abilam Calpenque ascendit, montes e regione in utroque maris litore sibi oppositos, & in altero barathrum Timoris deprehendit, in altero sedem Generationis reperit. E monte vero generationis in desertum Victoriæ translatus templum vidit Desolationis, atque inde transiens in Africam, qua venter hominis significatur, cum Gymnosophistis philosophatur, & Centauro domito inequitans Æthiopiam petit. Occurrens Sibyllæ Erythrææ in mola aquaria, ruinas & conversiones populorum contemplatur. Hinc in regionem Pygmæorum pervenit, phœnicemque persecutus cœmiterium Virtutis reperit; a simiis vero derisus, quod virtutem & libertatem mortalibus restituere conaretur, alteram Regi Galliæ, alteram Reipublicæ Venetæ destinans, sermonem cum iis de cultu Deorum miscet: mox ab Acephalis captus, ad montes Lunæ defertur, speluncamque Cometarum, quos Gigantes Theomachi seu Athei procudunt, sub lacu Lunæ sitam ingreditur. Denique vento ad mensam Solis defertur, qua vis nutriendi in homine indicatur. Relicta Africa, e Ptolemaide in Asiam solvit pectori respondentem, nave vectus literaria quæ Pedantopolin tendebat. Samum in mari Egæo delatus, antrum Sibyllæ Samiæ perscrutatur, hortumque Ingeniorum perlustrat. Pedantopoli ex ludo styli discedit victor, mox pro stulto inde pulsus ad Antipodes se conferre statuit. Verum per deserta Tartariæ prope mare nigrum iter faciens, arcem Bracmanum conspicit, penes quos Antipodum sapientia conservatur, & Chymicos vanæque subtilitatis populos itineris comites nactus, sylvam Destinatorum ingreditur, & denique Stampaliæ urbis (typographiæ) situ & forma descripta, mercatum Consiliorum illic celebratum memorat. Porro in monte Thessaliæ Olympo (quo suprema corporis humani regio designatur) positus, ruinam orbis humani perspicit, remedia-

Lib. III.

Lib. IV.

Lib. V.

Lib. VI.

que illi inſtaurando a ſapientibus excogitata refert, exemplari orbis inſtaurandi propoſito. Quem locum ſic concludit: *mundum tot quamvis conſultationibus inſtitutis, tanta opera impenſa, eundem eſſe, qui fuerit, nec in melius mutatum, niſi externis quibusdam inſtitutis & moribus; inveterata mala non eſſe ſublata, quæ pro indole regnantium nunc augeantur, nunc minuantur, æque ac Luna quot menſibus in Cœlo.* Commune vero Deorum templum, quod Pantheon vocatur, inviſurus, per urbes Fortunæ, Modaliam (qua vita ad conſuetudinem indies mutabilem, moresque receptos magis quam rationem compoſita notatur) & Crapuloniam tranſit, cui contiguum fuit Pantheon Cynicorum cuſtodiæ creditum. Pergens ad civitatem
Lib. VII. Antiquariam in eum finem fundatam, ut ab ea vitæ petant exempla mortales, Marcum Craſſum munere Quæſtoris ob injurias a Cynicis illatas ſeſe abdicantem, de auri argentique profuſione, præſentisque inopiæ cauſis differentem audit. In itinere animadvertit civitatem Solis, quam aurei homines incolunt, & ex altera parte urbem Avarchidam patriam avarorum. Denique in ſpeluncam Seculorum ſe demittit, omnibusque ordine ſeculis conſideratis, & cum præſenti comparatis, in hujus nimia curioſitate laborantis locum ſeculum ignorantiæ ſubſtituit. At a cornicibus Seculorum cuſtodibus, quod
Lib. VIII. profanus in ſacraria temporum irrupiſſet, & ſeculum ignorantiæ reducere conatus eſſet, invaſus, ab alia cornice liberatur, quam ei Regina Pulchritudinis Leocilla ſubmittit, in regiam ſuam eum invitans. Quo a cornice deductus civitatis obſervat mores & diſciplinam Antiquariæ prorſus contrariam, & in Reginæ gratiam ſe inſinuat, quam e faucibus Leonis, h. e. temporis voracitate eripuit. E Bellonia (ſic vocat regiam Pulchritudinis, quæ figura eſt hominis florenti ætate) in lucum armorum, e cujus arboribus inſignia Nobilitatis gentilitia pendebant, cum Regina ſua proficiſcitur, & artificum bella cum Nobilitate dirimit. Pace inter utrumque ordinem perfecta, in
Lib. X. officinam deſcendit Artium, & dum tam bonas quam malas in ſuis quamque cellis inſpicit, ab Otio in lupanar deductus, vix illæſus evaſit. Hiſce luſtratis, (quibus virilis ætatis ſtudia deſignantur) Bel-
Lib. X. loniam cum Leocilla reverſus, Reginæ ſuæ natales, vitam, fortunamque partim ex ejus Nympha, partim ex ipſa ediſcit, & ſingulari illius

gra-

gratia florens, per palatium Pulchritudinis hortosque circumducitur, atque ad omnes ejus thesauros deliciasque admittitur. Quibus dum avidius perfruitur, & a Fortuna se delusum, & a Tempore decem annos vitæ sibi ereptos sensit. Hactenus secundum exteriores partes & occupationes hominem descripsit Autor: nunc interiores ejus partes & facultates, initio a memoria ducto, eodem fabulæ tenore persequitur. Agatho ergo Tempus in viscera terræ se abscondens insecutus, in cryptam Memoriæ rerum gestarum pervadit, ac tribunali mortuorum subjectus fuga supplicium evadit. Ex rupe vero Lib. XI. in barathrum Memoriæ rerum præteritarum se dans præcipitem, socio Pico Mirandulano, varia ex illo mari piscatur, animadverso vero navigio Veritatis, in illud relicto Pico se conjicit, & decem annos perditos recuperat: quibus in utres conditis, supra rupem e barathro evehitur, volandoque plures rupes scopulosque animadvertit, quibus inscripti erant annales omnium seculorum, quæ in spelunca viderat. Aliis quoque rupibus puteisque superatis, in chartophylacium memoriæ Historicæ admittitur, & cum plerosque Historicos videret historias suas emendare calamo, Davilam & Guicciardinum videt otiosos, qui nihil admisissent erroris, quod emendationem requireret. A Gigante vero, Historici Chartophylacii custode, adversus Lib XII. perquisitionem Judicum inferorum in specum subterraneam est abditus, quæ semitis parum tritis ad Virtutis beatæque vitæ sedem perduceret. In hac procedenti occurrunt primum septem Vitia capitalia, quæ oppugnat & vincit, omnium acerrimo certamine cum Invidia suscepto, quam Humilitatis ope prosternit. Denique a Diva sua tribus hastis instructus, Memoria, Intellectu & Voluntate, equo Constantiæ insidens cum morte ipsa congreditur, eamque, reliquis armis incassum adhibitis, Voluntatis adjumento configit. Hinc in palatium Virtutis a Laude, Honore & Gloria introducitur, & a Virtute præmium accipit beatæ vitæ, hac lege, ut reliquis hostibus superatis se ipse vincere discat. At vero hærens in imagine Leocillæ, quam vis Phantasiæ in pariete effinxerat, nec sine delectatione prioris cum ea consuetudinis suæ recordatus, excidit beata vita, & corpore tanti mali causa abjecto, in nihilum se redigi sibi est visus. In regionem ergo aëream, sublunarem & denique cœlestem sublatus, comitiis interest Cometarum, quibus incendium mundi decernitur,

Lunæ civitatem ſtellarumque indolem conſiderat, ac poſtremo ſpecum Æternitatis ingreſſus intuetur officinam generationis rerum omnium; incidens vero in geminum Agathonem, ex decreto Æternitatis in fulmen converſus cœlo dejicitur, & in nihilum terreſtre ex nihilo cœleſti converſus novos fictitiosque mundos contemplatur, hederam vero loquentem audiens intelligit, illius animam per plura corpora migraſſe, variasque ſuſtinuiſſe perſonas. Quam opinionem velut ab illuſorio mendacique Spiritu profectam rejicit, & a bono Genio ſuo rurſus corpore induitur. Hoc modo ad ſui ipſius cognitionem veramque ex ea virtutem adductus, ut illam ex Æternitatis juſſis in alienam utilitatem impenderet, quod vocis & linguæ beneficio ut plurimum fieri conſuevit, ad palatium Humanitatis, quæ regia totius orbis humani dicitur, Agatho ſe confert, ejusque cum exteriorem faciem, tum interiorem formam, variaque domicilia, adjectosque hortos & campos diligenter conſiderat. Ac a dextris quidem palatium obſervat Eloquentiæ cum hortis Tuſculanis Ciceronis, a ſiniſtris ſylvas Sophiſmatum ſpinoſas, quibus Hircocervum venando perſequuntur. Nec procul inde diſtabat theatrum Magicum a Strozza Cigogna exſtructum, materia Thomæ Garzonio ſurrepta. E longinquo vero apparuit doctæ Ignorantiæ domicilium. Singula luſtraturus Agatho, duce Petro Victorio hortos Epithetorum, Metaphorarum, Proverbiorum atque Acuminum perambulans, gulam Eloquentiæ præciſam videt, ejusque facinoris autores ſtyli conciſi argutique ſectatores eſſe comperit. Porro per ſylvas Sophiſmatum, fraudum & mendaciorum, in quibus deceptrix Fortuna habitabat, in fundum pervenit doctæ Ignorantiæ, cui Sobrietas prudens & Paupertas contenta erant a conſiliis, atque in ejus palatio linguam auream puellæ Aurelianenſis vidit conſecrari, quam Apollo, pro linguæ Florentinæ puritate adverſus communem Italicam pronuncians, Academiæ Florentinæ, quam della Cruſca vocant, dono dedit. Demum in Academiam Naſorum h. e. Satyricorum, Paupertate & Miſeria comitantibus, recipitur, ſpe-

Lib. XIV. cimenque edit ſuæ in poëſi Satyrica facultatis. E naſorum Academia in porticum Ocularem translatus, Musculo Fallopio monſtrante, videt orbes planetarum, & per duas feneſtras divinitatis, orbem puritatis & innocentiæ contemplatur: at cum ad beatam viſionem oculum attolleret, ſcala decidit. Deinde ipſum orbem Ocularem ingres-

gressus, pupillam maxime, sedem amoris & Cupidinis miratur, amorisque Philosophiam discit. Ictus vero Cupidinis fugiens ex orbe oculari in porticum redit, ejusdemque Musculi Fallopii comitate varios perspicit mundos politicorum, literatorum, stultorum, Democriti corpuscularem, Pythagoræ, Aristarchi Samii, Ptolomæi, Galilæi, Copernici, Tychonis, experimentalem Verulamii, & denique Symbolicum, Sympatheticum, Chymicum & Magicum inter se conjunctos, unoque velo tectos, quibus accedit Cabalisticus. Hinc Basio vel Osculo interprete, Cœlisauræ (animæ sentientis) naturam formamque cognoscit, ejusque dissidium a marito Rege Cephalio (in quo vis intelligentiæ in cerebro repræsentatur) intelligens in Aulam se confert, cujus corruptum Ministrorum malitia statum Regisque ingenium explorat. Cœlisauram vero Reginam bibliothecæ inclusam liberare statuens, in illam immortalitatis sedem se penetrat, sanguineis vero vestigiis proditus capitur, & e tribus suppliciis propositis eligit illud, quo exuta humanitate in serpentem mutatur. In qua forma Eurillam, quæ & Beatrix dicitur, e manibus latronum eripit, & ab alio serpente occisam in vitam revocat. In tres porro status ministros Regis Cephalii omnis pravitatis autores involat, iisque interemtis formam humanam recuperat, & a Rege in occisorum locum eligitur. Dum vero secum decernit Cœlisauram auferre Cephalio & Cardacio Regi (cordi) collocare, fugam cum Cœlisaura arripiens, naufragio in mari albo facto, Cœlisaura ab Eurilla in cœlum tollitur, Agatho vero destinatum iter persequens, de Cardacii aula & statu edocetur, ejusque regiam habitu Senecæ indutus ingreditur, in id allaborans, ut Cardacio Cephalioque inter se conciliatis, pacem orbi humano restituat, ex qua pacis & concordiæ spem in majori orbe pendere judicat. Persuadet ergo Cardacio, ut se legatum tractandæ paci ad Cephalium mittat. In cujus aula rursus pravos Ministros dominari videt, quorum in Regem perfidia & conjuratione detecta, ipse triumphans in primo Administri loco collocatur, Regemque ad inducias cum Cardacio ineundas adducit. Quo facto clam ex aula discedit, in qua se alterum geminumque Agathonem perstitisse comperit, qui illic urgeat negotium pacis, quod ipse apud Cardacium perficiat. In reditu ad Cardacium, Cœlisaura curru Amoris ex cœlo descendens, Agathoni a latronibus Lupanariæ cir-

Lib. XV.

Lib. XVI.

cumvento succurrit, & cum eo iter ad Cardacii aulam peragit. Ibi ab utriusque partis advocatis disceptatur, utrum Cœlisaura cum Cardacio, an cum Cephalio commorari debeat? (hoc est, num sedes animæ sit in cerebro, an in corde?) Causa ex partium compromisso Athenas subterraneas (quæ ventrem hominis referunt) remittitur, exploratisque Philosophorum de anima sententiis, atque experientia in ovis gallinarum in consilium adhibita, ab Areopagitis ita definitur, ut Cardacio despondeatur Cœlisaura (anima sentiens) Cephalio Eurilla (anima intelligens & contemplatrix) Agathoni in præmium pacis magno studio procuratæ Psyche a Lucio Apulejo educata (anima rationalis vitæque gubernatrix) & denique L. Apulejo advocato in hac causa Cephalii loco Psyches Leocilla (anima vegetans) pulchritudinis mater. Secundum hanc sententiam, qua pax undiquaque stabilitur, celebrantur magna pompa & lætitia nuptiæ. Agatho vero cum Psyche sua solus relictus eam agnoscit illam ipsam esse Divam suam, quam inter Anthropophagos nudam in macello carnis repererat, cujusque auxilio iter hoc per orbem humanum confecerat. Eam vero esse Psychen ac corpore vestitam, cum functionibus animalibus & generationi vacat: nudam, cum in cerebro rerum intelligentiæ attendit. Cum hac ergo iterum conjunctus & in tabula constrictus, fragore ex Cœlisauræ parientis clamoribus nato, ex utero ejicitur, & qua parte orbem humanum ingressus erat, ex eo jam cognito & peragrato rursus exit, cum tabula evectus in aera, & in mare prolapsus. Neque hic finis errorum Agathonis, quem in litore Brasiliæ dormientem somniantemque piratæ abripiunt, & tabulæ alligatum e puppi navis in mare projiciunt. A fluctibus ergo jactatus, & in avium insulam ejectus ex lassitudine rursus in somnum incidit, & a bono seculi genio per quietem monetur, ut, quæ de orbe humano cognoverat, literis mandet, seculique improbitatem stylo ulciscatur. Expergefactus Satyrum unicum incolam hujus insulæ forte fortuna conspicit, in cujus familiaritatem se insinuat, vitæque ejus cursu percepto in speluncam ab eodem recipitur: ubi Satyrus non solum Agathonem in proposito describendi orbis humani confirmat, eique operam auxiliumque suum pollicetur, sed & eidem lampadem suam tradit moriturus, munusque quod sustinebat, ut esset ab actis judi-

Lib. XVII.

Introductio Operis.

cii criminalis in Parnasso, hoc est, scelera mortalium consignaret notaretque, illi demandat.

Hæc est series fabulæ & summa operis, quod & novitate singulare, & exemplis frugiferum, & casuum varietate mirandum, aperta divinæ providentiæ testimonia & salutaria vitæ morumque documenta continet, quibus felicitas vitæ parari potest. Non licuit vero in illas spatii, quo circumscribimur, angustias cogere, quæcunque vel scitu digna, vel lectu jucunda, in opere vario multiplicique occurrunt, quod non minus late, quam ipsa hominis natura, patet. Multo minus huc transferre licuit orationis ornamenta, in quibus decus & gratia hujusmodi scriptorum maxime est posita. In his frequentissimæ sunt descriptiones regionum, marium, insularum, urbium, regnorum, templorum, palatiorum, quibus hominis partes, vires, mores, affectus, studia & occupationes venuste appositeque repræsentantur. Præterea passim inseruntur disputationes & loci ex media Philosophia seu naturæ seu morum petiti, quibus & augeri eruditio & vita emendari poterit. Inprimis multa & præclara extant civilis prudentiæ præcepta & monita, malæque artes Tyrannorum & Pseudopoliticorum egregie in lucem protrahuntur. Multum quoque illustratur historia civilis & literaria, cum in hoc orbis humani theatrum celebriores quique seu literis seu armis viri e veteri recentique memoria producantur, & ad res hac præsertim ætate gestas passim respiciatur. Quæ singula si vel indicis in modum attingere & demonstrare vellemus, & nimis excresceret hic labor, & minori hic gratia, quam in opere ipso, legerentur. Unum illud præterire non possumus, summos rei Christianæ Principes, qui hodie rerum potiuntur, aperte in hoc opere laudari, eorumque virtutibus & meritis inscriptiones esse consecratas. De cætero vivorum, quorum difficilis censura est, præter unum alterumve, qui laudatur, nulla nominatim fit mentio, nisi quod nonnullos sub fictis personis nominibusque describi, non injuria suspiceris. Neque obscurum est, quos *Cynicorum* nomine designet Autor, in quorum manibus non solum custodiam Panthei, sed opes & regimen totius orbis esse queritur, quibusque exitum Templariis non dissimilem ominatur. At sub *Florii Cornificii* nomine, quem naucleram fecit navis literariæ, cujusque famam adversus eos tuetur, qui nullis Lib. 6 & 7.

eum

eum literis imbutum criminantur, Autor ipse indicat *Antonium* latere *Magliabecchium*, qui exemplar, quo usi sumus, Operis benigne ad nos transmisit, & suis in literas literatosque meritis & officiis id dudum est assecutus, ut orbis eruditi delicium habeatur. Ejus consilio & hortatu Autor peculiari ad eundem præfatione, operis sui œconomiam fabularumque allegoriam, enarratis breviter singulorum librorum argumentis, apertius explicat, nec numerum librorum ratione & mysterio carere profitetur.

THOMÆ CEVÆ S. J. OPUSCULA MATHEMATICA.

Mediolani, typis Josephi Pandulfi Malatestæ, 1699, in 8.

Plag. 4.

COmplectuntur hæc Opuscula Illustris itidem *Magliabecchi* studio non ita pridem ad nos delata, varias demonstrationes Mathematicas, quarum prima rationem Æquilibrii; secunda Sectionem Geometrico-Harmonicam & Arithmeticam; tertia Sectionem anguli rectilinei in quotvis partes tum organice, tum per quasdam lineas curvas, cycloides scilicet anomalas, ostendit. His Autor subjungit quædam ex Mathematica Exercitatione V. V. (Vincentii Viviani) cui titulus, prout ab eo p. 35 hujus opusculi citatur, *Formazione di tutti cieli;* nec non ex Idea Universali Matheseos *Ozanami* p. 3, problemata. Tandem *de parabola considerata instar Ellipsis Maximæ, atque instar Hyperbolæ habentis transversam diametrum infinitam*, item *de Lineis Phantasticis*, & *Flexilineis* agit. Singula, qua possumus, brevitate enarrabimus. Primum quod attinet, demonstrationem æquilibrii, hæc præmittit demonstrationibus axiomata. 1. Gravia æqualia a distantiis æqualibus æquiponderare. 2. Ea vero quæ ex aliquo puncto suspensa æquiponderant, perinde se habere, ac si utraque simul ex ipsomet suspensionis puncto penderent. 3. In quacunque libra esse aliquod punctum, ex quo suspensa duo gravia inæqualia æquiponderant. 4. Denique gravia quotcunque, quæ ex aliquo puncto suspensa invicem æquiponderant, si in eadem positione suspendantur ex aliquo puncto diverso, amittere æquilibrium; ideoque unicum esse illud punctum, ex quo suspensa in æquilibrio consistant, quomodocunque circa idem punctum inclinetur planum in quo intelligantur existere. His ita, tanquam fide dignis, præmonitis, jam infert, gra-

gravia in quacunque proportione multiplici suspensa ex distantiis reciproce proportionalibus æquiponderare, quod quidem in ipsa diductione Propos. I Theor. I de ratione dupla (utpote prima multiplicium) & tripla, demonstrat, quadruplam vero, quintuplam & seqq. pari ratiocinio quo priores erui posse docet. Est autem illud ratiocinium tale: sint, inquit, duæ rectæ *ba* & *bc* æquales, ductæ ex eodem puncto *b*, & bifariam divisæ in *o* & *g*, ducanturque rectæ *ao* & *cg*, quæ se mutuo secent in *e*; eruntque æquales (ex elementis) *ao*, *gc*, & *eo*, *eg*. Intelligantur deinde in punctis *a*, *b*, *c*, suspensa tria pondera æqualia *a*, *b c*. Quoniam igitur in libra *b c*, æquales sunt distantiæ *bo*, *oc*, & æqualia pondera *b* & *c*; erit *o* punctum æquilibrii (per ax. 1) ex quo nimirum illa duo gravia suspensa æquiponderabunt, perinde ac si utraque simul penderent suspensa (ax. 2) ex eodem puncto *o*. Consideretur jam libra *oa* in cujus extremo *o* sunt duo pondera *bc*; in alio vero extremo est pondus *a*. Erit igitur in eadem libra *oa* aliquod punctum, ex quo (ax. 3) suspensa prædicta gravia inæqualia *bc* & *a* æquiponderent. Similiter in libra *gc* erit aliquod punctum, ex quo duo pondera *ba* æquilibrata ex *g*, instar unius, stent in æquilibrio cum pondere *c* suspenso ex *c*. Cum itaque tam in libra *oa*, quam in libra *gc* existat aliquod punctum, ex quo suspensa eadem tria pondera *a*, *b*, *c*, in eadem positione manentia, stent in æquilibrio, & hoc punctum unicum sit; (ax. 4) necessario in *e*, mutua librarum sectione, consistet. Adeoque duo simul pondera *bc* posita in *o*, & pondus *a* positum in *a*, si ex puncto *e* libræ *oa* suspendantur, stabunt in æquilibrio. Dico nunc, pergit, *ae* ad *eo* habere rationem reciproce, quam habent duo pondera *bc* ad pondus *a*, nempe duplam. Ducatur ex *o* recta *ox* parallela rectæ *cg*: quoniam *ae* ad *eo*, hoc est ad *eg*, ita se habet ut *ao*, hoc est *cg* ad *ox*, hoc est *bc* ad *bo*; est autem *bc* dupla ipsius *bo*: erit etiam *ae* dupla ipsius *eo*. Pondera igitur in ratione dupla suspensa ex distantiis reciproce proportionalibus æquiponderant. Q. E. D. TAB. VI. Fig. 1.

In eruendo jam æquilibrio pro ratione tripla idem fieri jubet, nisi quod lineæ *bc* & *ba* æquales, ita sint dividendæ in punctis *o* & *g*, ut tam *co* ad *ob*, quam *ag*, ad *gb* habeat rationem duplam. In Prop. II, Theor. II pondera in quacunque ratione in numeris exhibita ex distantiis reciproce proportionalibus æquiponderare demonstrat,

ſtrat, verbi gratia ſi ratio ponderum ſit 3 ad 4, & *bc*, *ba*, utcunque ducantur: ſintque in *b*, *c*, *a* tria pondera, ita ut ſumma duorum *bc* ad pondus reliquum *a* ſit ut 3 ad 4, adhibita inſuper cautela, ut tam pondus *c* ad *b* quam pondus *a* ad idem *b* habeant rationem multiplicem: quod præſtare poſſumus, ſi pondus in *b*, ita ſit ad reliqua pondera, ut unitas ad numeros. His poſitis dividere jubet, *bc* in *o*, ita ut reciproce ſit *bo* ad *oc* ut pondus *c* ad *b*, h. e. ut 2 ad 1, ſimilique modo dividere *ba* in *g*, ut *bg* ad *a* ſit ut 4 ad 1, & tandem jungere *ao*, *cg*, &c. ut ſupra. In Propos. III, Theor. III gravia etiam incommenſurabilia ex diſtantiis reciproce proportionalibus ſtare in æquilibrio dicit, provocans ad prop. 7. Archimedis de æquipond. cum qua ſuam convenire eſſert. His autem ſuis demonſtrationibus occaſionem dediſſe artificium conſtructionis ſtaticæ Johannis Cevæ, fratris ſui. Se enim animadvertiſſe, ex mutua librarum ſectione naſci æquilibrium pro ratione dupla, quoties pondera *b*, *a*, *c*, forent æqualia. Ex ratione vero eorundem ponderum reciproce dupla expertum ſe quid ſequeretur, nactum eſſe æquilibrium pro ratione tripla (ceu ſupra jam indigitavimus) & ſic deinceps pro quacunque ratione in numeris expreſſa. Dein conatum ſe ſcribit, etiam ſine præſidio ejus conſtructionis ſtaticæ, addito axiomate (hoc ſcilicet quod ſi duo pondera *a*, *d* ex puncto *c* æquiponderent, & ex eodem puncto *c* ſuſpendatur quodcunque aliud pondus, hoc pondus additum nihil conferre, neque detrahere æquilibrio, perinde ac ſi non eſſet,) idem aliter demonſtrare. Quod quemadmodum præſtiterit, longiori diductione, quam quæ hic exſcribi poſſit, oſtendit.

TAB. VI. Fig. 2. In ſequenti articulo Sectionem Geometrico-Harmonicam & Arithmeticam ſic deducit, ut delineet □um *am*, in cujus latere *ax* producto ſumat *ar* æqualem diametro *am*; & *ro* æqualem lateri *ax*; dicit ita eſſe *oa* ad *ax*, ut *ax* ſive *or* ad *rx* quæ ſit proportio Geometrica; ideoque ita eſſe *or* ad *rx* ut *oa* ad *ax*, quæ ſit Harmonica: & præterea *oa*, *ox*, *rx*, differre eodem exceſſu *ax* quæ ſit Proportio Arithmetica: Lineam itaque *ao* geometrico-harmonico-arithmetice ſectam vocat. Perficiantur enim, inquit, □a *rz*, *oy* quoniam *ra* poſita eſt æqualis diametro *an*, erit □um ex *ar* nempe □um *rz* æquale □o ex *am* hoc eſt duplici □o *xt*. Ideoque □um *xt* cum ſit dimidium □i *rz*, æquale erit gnomoni *xmtn*, h. e. rectan-

ctangulo sub *ao* & *xr*. Erit itaque ut *oa* ad *ax* sive *or* ita *or* ad *rx*, ideoque ut *or* ad *rx* ita *oa* ad *ax*. Patet insuper *oa*, *ox*, *rx* æquali excessu differre. Q. E. D. Iisdem stantibus dicit, in Lemmate subsequente, *or* esse differentiam lateris *ao* & diametri *ae*; datam etiam rectam quamcumque *ao* geometrico-harmonice dividi posse, si super *ao* constituatur □um *oy*, differentia vero diametri *ae* & lateris *ao* transferatur in *or* & in *ax*. Immo si *ay* verbi gratia sit divisa geometrico-harmonice in *t*, *z*, transferaturque *tz* in *th*, & *ab* dicit etiam segmentum *at* geometrico-harmonice secari in *b*, *h*. idem & in circulo seq. Prop. 4 Theor. III ostendit. Hujusmodi vero lineæ (geometrico-harmonico-arithmetice secta) usum se fatetur ad solutionem cujusdam problematis propositi, hujus tenoris: Ellipsin describere talem, ut ex ejusdem centro ad intervallum semiaxis majoris descripto circulo, intra ipsum circulum alter describatur, qui priorem interius, ellipsin vero exterius tangat, sitque eidem Ellipsi æqualis. Prop. 2. Prop. 3.

Progredimur ad sectionem anguli rectilinei in quotvis partes æquales, quam Autor duplici modo, organico uno, altero per lineas curvas absolvit: illum, describendo instrumentum, hujus usum & formam, nec non fundamentum, per præmissum lemma primum; in quam rem porro edidisse se perhibet libellum cum demonstrationibus A. 1695 dedicatum Excell. D. D. Didaco Phelippez de Guzmann Marchioni de Leganes, Mediolani Gubernatori, in cujus gratiam instrumentum hoc excogitaverat, cujus quoque contenta mense ejusdem anni Junio, pag. 290 & seqq. una cum figuris in Actis exhibuimus, quo etiam B. L. ablegamus. Restat ergo alter per lineas cycloides anomalas (a motu simul progressivo & circulari lineæ rectæ sed minime æquabili sic dictas; qui motus quomodo fiat, in ipsa definitione & adjecto schemate docet pag. 31) modus, quem ex lemmate 2, 3, 4, & [illegible] una cum demonstrationibus sic deducit: Dato, inquit, in lemmate 2 angulo *a*, ejusque cruribus indefinitis *af*, *ag*, sumatur in crure *af* quodvis intervallum *ac*; retentaque eadem circini apertura, ducatur ex *c* secunda linea *cm*; ex *m* tertia *me*; ex *e* quarta *en*; ex *n* quinta *nd*; ex *d* sexta *do*; ex *o* septima *ob*. Dico angulum *dng* quem efficit linea quinta *nd*, ducta ex *n*, quintuplum esse anguli primi *a*; angulum vero *odf*, quem

efficit linea sexta *do* ducta ex *d*; sextuplum esse ejusdem anguli *a*, quodque si angulus datus fuerit capax aliarum plurium linearum, anguli semper crescant arithmetice, sintque multiplices anguli primi *a* juxta numerum linearum. Subnectit huic lemmati suam demonstrationem, quam vero, quia brevitati studemus, hic præterire licebit. Illud vero notandum, lineas *nd*, *do*, *ob* quæ in suo ductu tendunt versus *a*, vocari apud Autorem retrogradas; lineas vero *ac*, *cm*, *me*, *en*, quæ in suo ductu tendunt versus *f*, *g*, directas. Jam quæ in sequentibus tradit, omnia summatim ipse exhibet in linea, quæ est numero tertia, pro qua in uno casu est etiam peculiaris constructio. vid. pag. 29. Scilicet

TAB. VI. Fig. 3.

1. Si arcus anguli primi fuerit minor tertia parte quadrantis, linea tertia erit directa, efficietque cum crure ex quo ducitur, angulum acutum ad partes externas triplum anguli primi.

2. Si vero fuerit tertia pars quadrantis, linea tertia evadet perpendicularis, efficietque angulum rectum triplum anguli primi.

3. Si major fuerit tertia parte quadrantis, minor vero tertia parte semiperipheriæ, linea tertia evadet retrograda, efficietque angulum obtusum triplum anguli primi.

4. Si fuerit æqualis tertiæ parti semiperipheriæ, h. est gr. 60. linea tertia cadet in centrum, seu verticem primi anguli, efficietque angulum omnium obtusissimum, hoc est summam duorum rectorum triplam anguli primi.

5. Si major fuerit tertia parte semiperipheriæ, minor autem quadrante, linea tertia evadet ulterior & cadet in latus anguli productum: efficietque angulum acutum, una cum duobus rectis, triplum anguli primi.

6. Si fuerit æqualis quadranti, tunc linea secunda congruet primæ perpendiculari inferius productæ, eritque angulus rectus, quem efficit, una cum duobus rectis; hoc est summa trium rectorum, tripla anguli primi.

7. Si denique fuerit major quadrante, minor tamen tertia parte totius circumferentiæ, linea tertia efficiet angulum obtusum, una cum duobus rectis triplum anguli primi. Hic vero casus cum sit peculiaris, ceu supra innuimus, lineæ tertiæ, peculiariter etiam demonstrat.

8. de-

8. denique si angulus primus fuerit tertia pars totius circumferentiæ, linea tertia cadet in centrum, efficietque duos rectos, una cum duobus rectis, hoc est summam quatuor rectorum triplam anguli primi. Quæcunque vero de hac linea tertia dixit, eadem etiam ceteris lineis convenire docet: & in Cor. II Lemm. V ex his praxin haberi posse dicit peculiarem, mensurandi angulos rectilineos absque beneficio quadrantis, adhibitis tantummodo lineis rectis.

His vero prælibatis, in iis quæ reliqua sunt genesin seu descriptionem cycloidum anomalarum, nec non harum proprietates primas fusius declarat, quibus tandem in fine sequentia subnectit: Praxes pro sectione cujuscunque anguli in partes quotvis æquales obviæ sunt; nec præstat in hunc finem hujusmodi curvas operosas (quales scilicet ipse h. l. delineavit) describere, cum id longe expeditius confici possit per quadratricem Dinostrati, & spiralem Archimedæam. Juvat tamen easdem exposuisse ad contemplandum. Nam si quis ita felix sit, ut vertices in quacunque curva geometrice determinare possit, habebimus certam methodum dividendi angulum quemcunque rectum in quotvis partes æquales. Verum ista, uti cæteras proprietates harum curvarum magis abstrusas, altiori geometriæ relinquimus.

Supersunt excerpta ex Exercitatione Mathematica V. V. & quidem ex pag. 10 sequens problema *Tomire un solido, la cui intera superficie curva rotonda sia eguale al dato quadrato a b c d.* cujus quidem constructionem iste exposuit, sed, ceu Noster monet, absque demonstratione: quam vero ad eundem miserit juxta methodum Cavallerii, & quæ sit hujusmodi: Intelligatur solido sic ad tornum elaborato inscripta sphæra, cujus diameter *ml*; quæ utramque superficiem cylindricam tanget duobus circulis maximis sibi mutuo perpendicularibus, quorum diametri *ml*, *xz*. Eorum quippe circumferentiæ se mutuo decussantes in utroque vertice *i*, erunt tam in superficie cylindrica, quam in sphærica, ut est manifestum. Itaque si hujusmodi solidum plano secetur parallelo ipsi quadrato *fa*, erit sectio solidi □um, sectio autem inscriptæ sphæræ erit circulus eidem □o inscriptus. Atque hoc perpetuo eveniet, ubicunque fiat hujusmodi sectio. Quamobrem erunt omnes perimetri □□rum; hoc est TAB. VI. Fig. 4.

TAB. VI. Fig. 5. eſt utraque ſuperficies ſolidi cylindrica, ad omnes peripherias circulorũ inſcriptorum, h. e. ad ſuperficiem ſphæræ, ut perimeter cujuscunque quadrati *bd* ad peripheriam circuli inſcripti *grut* hoc eſt ut ipſum □um *bd*, ad ipſum circulum inſcriptum *grut*. Et convertendo permutandoque, ut circulus inſcriptus *grut* ad ſuperficiem ſphæricam, ita □um *bd* ad ſuperficiem ſolidi cylindricam. Sed circulus *grut* æqualis eſt ſuperficiei ſphæricæ, utpote quadruplus circuli maximi, cujus diameter *ml*; ergo etiam quadratum *bd* æquale erit ſuperficiei cylindricæ ſolidi ad tornum exacti. Q. E. D.

Problema quod Clariſſimus Autor ex Idea Univ. Math. Dn. Ozanam pag. 3 adducit, ſequens eſt: datis quatuor punctis *d, b, e, f*, in linea recta *df*, invenire punctum *o*, ex quo ductis quatuor rectis *od, ob, oe, of*, ad quatuor puncta data, tres anguli *dob, boe, eof* ſint æquales. Quod cum ſolvi poſſe elegantiſſime ſcribat Ozanam per interſectionem duarum circuli circumferentiarum, noſter ita perfecit: duabus rectis *fe, fb*, inveniatur tertia proportionalis harmonica *fa* (ex Papp. p. II, l. 3) erunt itaque etiam *ab, ae, af*, tres proportionales harmonicæ, eo quod *af* ſecta ſit harmonice in *be*. dividatur media harmonica *ae* bifariam in *c*; & centro *c*, intervallo *ca*, deſcribatur circulus *aoe*; erit igitur circumferentia *aoe* (ex Greg. a S. Vinc. Walliſio, atque aliis) locus, in quo, aſſumto ubilibet puncto *o*, ductisque lineis *of, oe, ob*, ad tria ex datis punctis *feb*, æquales erunt duo anguli *boe, eof*. Similiter ſi duabus rectis *db, de* inveniatur tertia harmonica *dh*, erunt etiam tres harmonicæ *dh, bh, eh*; diviſaque bifariam media harmonica *bh*, in *g*; centro *g*, intervallo *gh* ſi deſcribatur circulus *boh*, erit circumferentia *boh* locus, in quo aſſumto ubilibet puncto *o*, ductisque rectis *od, ob, oe* ad tria ex datis punctis *d, b, e* erunt duo anguli *dob, boe*, æquales. Si igitur punctum aſſumtum in utraque circumferentia, fuerit ipſummet punctum interſectionis *o*, erit *o* punctum quæſitum, ex quo nimirum ductis ad quatuor puncta data totidem lineis *od, ob, oe, of*, erunt tres anguli *dob, boe, eof*, æquales. Q. E. D. Ex his Corollarium deducit, quod diviſa linea quacunque in tres partes inæquales aſſignari poſſit punctum, in quo ſi collocetur oculus, partes illæ appareant æquales. In appendicis Prop. I, II & III nonnulla iterum de diviſionibus & proportionibus harmonicis & geometrico-harmonicis habet. In articulo ſequenti ad alia progreditur,

TAB. VI. Fig. 6.

tur, & proponit sibi demonstrare, transferri in parabolam utriusque Sectionis proprietates, adeo ut parabola intelligi possit instar cujusdam ellipsis maximæ, cujus diameter sit infinita; atque instar cujusdam hyperbolæ, cujus diameter transversa sit pariter infinita. Quod quidem inductione facta, ex his quæ aliter demonstrantur in conicis, analogiis nonnullis facillime, ut putat, ostendit; in analogia quidem prima de ordinatim applicatis; secunda, de diametris; tertia, de occursu tangentium cum diametro; quarta, de latere recto; quinta, de loco foci; sexta, de his quæ spectant ad focum: & tandem in analogia cum hyperbola. Ubi vero in adjuncto Scholio bene monet, non e converso licere a parabola ad ellipsin atque hyperbolam argumentari: cumque porro geometria quantitates infinite parvas interdum assumat ad demonstrandum, neminem absurdum putare confidit, quod lineas infinitæ magnitudinis usurpaverit.

Pauca restant de lineis phantasticis & flexilineis. Illas Autor ita describit, indicans simul rationem denominationis: Feratur punctum a per lineam manentem ab. Quemadmodum vero contingit interdum his qui flumine feruntur, ut stare navigium, & vice versa moveri arbores & ripæ in partes contrarias videantur; idem quoque accidat, ut videlicet punctum a stare videatur. Itaque ex hallucinatione oculi motus puncti a refundetur in lineam manentem ab, eaque in directum ferri videbitur in partes contrarias, usque ad c, eritque ca æqualis ipsi ab. Rectam porro ca phantasticam voco, rectam, vero ab, veram. Porro addit, si in curvis punctum, a quo describuntur, stare videatur, ejusque motus refundi in aliquam lineam aut punctum manens, curvæ orientur positione diversæ, nec semper ejusdem generis.

Denique per flexilineum quid intelligat, supra vidimus, nimirum seriem inter duas concurrentes aut parallelas, certa lege ex uno in aliud punctum ductam; & quidem omnium simplicissimum esse illud linearum æqualium, in quo anguli arithmetice crescunt, ad sectionem anguli rectilinei organicam ex Autore supra commemoratam, facile quivis judicabit. Demonstrat autem in hoc ultimo articulo Autor, quod cognito sinu primi anguli, cæterorum quoque angulorum tum sinus recti, tum complementa facile possint innotescere. Alia deinde flexilinea considerand a sibi sumit, varias

pro-

proprietates, quas habeant, indicans, quas vero ob varietatem & prolixitatem ut prætermittamus, propositi nostri ratio jubet.

In fine Problema morale practicum, *Ultimam rerum lineam ducere* sequentem in modum solvit:

Sit ducenda tibi rerum ultima linea rite;
Scilicet ad summum Numen quæ recta feratur.
Esto Deus centrum: circum res cæteræ in orbem
Æquo intervallo distent, quas tramite recto
Prætereat vita & puncto vix tangat in uno.
Ex hoc contactu demum lux ultima agatur
Exacta ad normam vitæ, quæ jam tibi ducta est.
Dico, quod jussum fuerat, rite esse peractum.
Namque hæc in primis erit ultima linea rerum:
Præterea ad centrum, vi normæ immobilis ibit.
At Deus in centro positus fuit; ergo in eadem
Quæsitum invenies Numen. Q. E. Faciendum.

A COMMENTARY UPON THE THIRD BOOK OF Moses, called LEVITICUS.

i. e.

COMMENTARIUS IN TERTIUM MOSIS LIBRUM, qui LEVITICUS vocatur, Auctore maxime Reverendo in Christo Patre SIMONE, Episcopo Eliensi.

Londini apud Richardum Chiswell, 1698, in 4.
Alphab. 3. plag. 22.

QUid suis in Genesin pariter atque Exodum evulgatis Commentariis præstiterit Simon hic, summe Reverendus Episcopus Eliensis, de eo ista, quæ in Actis nostris A. 1696, p. 195, & A. 1697, p. 424 seqq. speciminis loco adduximus, Lectorem quadantenus informant. Præsentes vero, quibus Leviticum illustrare adgressus est, Adnotationes iis potissimum, qui ad interiores rituum Ebraicorum aditus penetrare discupiunt, usum pollicentur haud vulgarem, cum nihil temere omisisse videatur, quo causis multum subinde laborantibus medicam ipsemet manum caute adhiberet. Ut pro instituti nostri ratione, e viridario amœnissimo flores quosdam huc com-

comportemus, in primo statim capite, ad comma 9, Maimonidem ita deserit, ut existimet, Deum in victimarum sibi offerendarum constitutione, non tam quoad ipsas earundem substantias, cui asserto tamen certos suos limites ponit, quam peculiares quosdam istas immolandi ritus atque cerimonias, a Gentium seculique moribus abivisse. Similes enim, quas Dominus requirebat, victimas, ad Gentilium quoque aras nonnunquam adductas fuisse, per Homeri ista nos edocet, quibus Achilles pro Græcis suis apud Apollinem intercedens, Hecatomben sive Sacrificium centum bovibus constans, cui oves atque capras maculis carentes adjicit, eidem exhibet. Cum cervis vero qui Dianæ, equis qui Soli, lupis qui Marti, & canibus qui Hecatæ successu temporis immolari sueverunt, ita comparatum fuisse monet, ut quia ab iis humanus stomachus abhorret, Sacrificiorum, quæ convivia, ubi super communi quadam mensa offerentes cum Diis cibum capere videbantur, suppeditare debebant, rationem proprie non habuerint. Modos maxime, sub quibus hæ oblationes peragebantur, Israelitarum sacra a vanis gentium moribus facile discriminasse innuit, cum illi ad Deum non nisi verum atque unicum, certo in loco, per ritus quosdam pios & in lege præscriptos colendum, referre cuncta debuerint: quod de his, nisi ubi simiam Dei agit Diabolus, asseri haud queat. Ad c. VI comma 13, occasione ignis in altari Holocausti ab ipso Deo accensi, de Romanorum igne perpetuo, quem Vestales virgines custodiebant, & a cujus extinctione, ipsius destructionem urbis dependere existimabant; ut & de Græcorum igni inextinguibili, qui Delphis ardebat, similibusque Persarum consuetudinibus, Autor noster non pauca adnotat. Num vero Græcorum Ἑςία & Romanorum Vesta voces, a voce Ebræa Esch, vel Chaldaica Escha, quæ ignem denotant, derivandæ sint, illud in medio & Lectori dijudicandum relinquit. Circa Judæorum ignem hunc sacrum atque perpetuum, cujus duratio, ut communis habet opinio, ad captivitatem usque Babylonicam, nec ultra pertigit, illud interim observat, quod ad commodam ejusdem conservationem certo tempore, quod festi cujusdam speciem referebat, quodve, Josepho teste, τῶν ξυλοφορίων ἑορτὴ vocabatur, ligna a populo collecta solenni ritu templo fuerint illata. Ductu commatis 14 c. IX in ejusdem ortum diligentissime inquirens asserit, quod vel e Sancto Sanctorum, vel e Gloria ista

p. 84.

p. 135.

Dei, quæIsraelitis apparebat, ignis hic exierit, & non populo tantum Israelitico, sed prophanis quoque & Gentilium sacris alias addictis mentibus, quo Julianum refert, rei hujus memoria sacrum quendam terrorem incusserit. Dæmonem aeris principem simile quid tentasse, præeunte potissimum Huetio in Alnetanis quæstionibus, ex Pausania, Dionysio Halicarnassensi, Plinio, Solino atque aliis e-
p. 340. 394. vincit. Ad commata c. XVIII, 21 & c. XX, 2 bene adnotat Autor, quod unum idemque, utut loca sint parallela, eadem haud inferant, cum phraseologia prioris commatis, *de semine tuo ne permittito traducendum Molecho*, a posteriori, *non dabis ex semine tuo Molecho*, multum distincta sit. Illud utrobique fundamenti loco supponit, quod Molech, cujus cultus apud Ammonitas maxime fuit conspicuus, cum Baal sive Bel Gentilium (utrumque enim Dominum & Regem denotat) significatus intuitu prorsus conspiret, & nihil aliud, quam Cœli Rex, per Molechum innuatur. Potissimum vero distinctionis momentum, quod hæc duo loca multum a se invicem segreget, in eo positum esse hariolatur, quod priore Deus initiationem tantum liberorum, quam transitio per ignem innuebat, abominetur; posteriori vero ab ipso liberos Molecho sacrificandi actu, qui crudelitate præmissam eorundem initiationem infinitis modis vincebat, Israelitas deterrere instituat. Priori actui sive initiationi nullam prorsus pœnam ait adnecti, cum contra posterior, sive ipsa liberorum immolatio, non nisi parentum sanguine, qui omnem humani-
p. 342. tatem exuisse censebantur, expiari potuerit. Ipsum initiationis ritum a variis varie depingi indicat, dum parentum humeris, quasi duos inter ignes liberos suos ipsimet ita traduxerint, plurimi eosdem imponant; alii Sacerdotibus, quasi hi ipsi inter duos ignes initiandos collocare, vel per ipsam etiam flammam, viris atque fœminis choreas interea circa ignem instituentibus, agitare debuerint, hujus quicquid est officii adscribant. Non deesse insuper addit, qui existiment, quod infantes, ad Molechum deducendi, per ignem ipsimet lætabundi & ovantium ritu desaltaverint, Solisque adeo, cui se consecrabant, em-
p. 395. blema quoddam vivum repræsentaverint. Omnimodam vero liberorum traditionem ab hoc ritu longe distinctam fuisse, ad posterius comma adnotans, pluribus demonstrat, quod in summis rerum angustiis & malis quibusdam epidemicis, ut Deorum ira quadantenus mitigare-

tur,

tur, ad Paganorum altaria humanæ ejusmodi victimæ fuerint delatæ. Morem hunc, secundum Joh. Geusium de Victimis Humanis, a Syris ad Phœnices, qui sub nomine Baal sive Bel, imo ipsius Herculis, qui quasi Or-Col, h. e. res omnes illuminans dictus, Solem venerati sint, devolutum fuisse memorat; a quibus cum simile quid Carthaginenses edocerentur, ritus hic perversissimus non Australes tantum Africæ partes, sed & ipsam Americam atque Scythiam polo viciniorem demum invaserit. Præter modum sacrificandi, idoli hujus figuram, ductu Salkut, a Paulo Fagio ita depingi ait, ut septem conclavia (forte juxta septem Planetarum numerum) quorum ultimum immolationi infantum unice patuerit, eidem attribuat: Diodorum etiam Siculum L. XX Bibliothecæ suæ, Saturni, quem pro Molecho plurimi agnoscant, statuam his insuper verbis describere, ut manibus terram versus projectis oblatos sibi liberos avide arripere, correptosque in foveam, igni sub se repletam, protinus detrudere dicat. Magici quiddam huic liberos Molecho immolandi ritui subfuisse, & super futuris secretisque rebus Dæmones a parentibus ita consultos fuisse, exinde quosdam conjicere refert, quod hujusmodi superstitionum genera non tantum hoc in loco, sed in aliis non paucis, ad quæ provocat Autor, similem in modum arctissime combinentur, & per sequiora minimum tempora, ὑπὲρ μαντικῆς, sive ut divinationem viscera infantum inspiciendo parentes instituerent, humanæ ejusmodi hostiæ Diis immolatæ fuerint. Illud coronidis loco observari meretur, quod ad c. XXV comma 11, ubi de Jubilæo anno ex instituto agitur, a Josepho Scaligero, Jacobo Capello, Petro Cunæo, Hospiniano atque aliis, qui annum quadragesimum nonum pro eodem habent, Autor plurimum recedat, & cum Judæorum schola, ejusdemque Doctore summo Maimonide, in eam abeat sententiam, quod a textus litera, quæ quinquagesimum annum Jubilæo adjudicat, temere non sit recedendum, ipseque adeo annus Sabbathicus, qui in quadragesimum nonum incidit, & cui debitorum remissio, unde & Schemitta vocabatur, fuit propria, ab anno Jubilæo, qui servos libertati pristinæ & agros dominis & hæredibus suis legitimis restituebat, probe sit discriminandus.

p. 401.

p. 509.

A DETECTION OF THE COURT AND STATE OF England &c.

AULA ET STATUS ANGLIÆ DETECTUS, Qualis fuit sub postremis quatuor Regibus & Interregno. Auctore ROGERIO COKE, Armigero.

Londini apud Andr. Bell, 1697, in 8.
Constat Alph. 1. pl. 18.

TAmetsi & locupletissimus in hoc libro Historiæ thesaurus contineatur, eoque specimen ejus exhibere sit perquam difficile, & præterea tertium jam prodierit, ut novitatem exuisse prorsus videatur, tamen vel aliquam ejus, quam nullam in Actis nostris mentionem facere malumus. Quippe est Autor hic in summo apud Anglos quosdam pretio, quoniam usus privatis multorum commentariis diligenter rerum causas adnotavit, neque cuiquam parti se mancipavit. Circa ea vero præcipue occupatur, quæ sub Scoticæ stirpis Regibus Anglicis, Jacobo I, Carolo I (tempore item interregni) Carolo II & Jacobo II gesta sunt; ubi id imprimis, ut ex ipsa præfatione patet, propositum ei est, ut quæ Reges illos consecuta sint incommoda, quoties ex suo ingenio potius, quam secundum leges regimen instituerunt, luculenter demonstret. Præterea quæ fuerint collapsæ mercaturæ causæ, sedulo observat, & si quid extra Angliam gestum, quod suæ historiæ lucem aliquam accendat, id non prætermittit. Præmissis ergo iis, quibus lectores ad historiam horum Regum præparari quodammodo queant, Jacobi primum Historiam aggreditur, quem nunquam non adulatorum consilia secutum docet: quare ab his vicissim sacratissimi (most Sacred) vulgo cognomen nactus fuerit, nulli Regum antea tributum. Ejus ait factum exemplo, ut jurandi ac potandi licentia Angliam invaderet; præterea, ut subditis liberius dominaretur, eum a bellis externis sollicite nimis abstinuisse: unde domi sibi odium, foris contemptum pepererit. Inde Caroli I historiam prolixe satis describit, & quanquam eum legum Anglicarum parum observantem fuisse passim ostendat, bellum tamen intestinum a Parliamento prius fuisse, quam a Rege cœptum, contra Thomam May pluribus rationibus evincit, neque dissimulat, duriores quandoque a Parliamento propositas fuisse

p. 148. p. 280. ff.

ſe conditiones, quam a Rege potuerint per legum rationem admitti. Quin & in eo temperantiam & caſtitatem, quam immerito quidam deſiderent, hoc magis miratur, quo magis hæ virtutes ex aula Patris exularint. Adulatores tamen ad exemplum Jacobi lubenter admiſiſſe, neque unquam ejus exquiſiviſſe denuo conſilium fertur, qui ei minus grata ſuaſiſſet ſemel, & ſi qua in re erraſſet, adduci nullo modo potuiſſe, ut errorem fateretur. Acceſſu præterea fuiſſe perquam difficilem, Arminianisque & Conjugi ſuæ paulo nimis obnoxium, diſerte adſerit Auctor. Deinde quæ Cromwellius egerit, ſubjicit, & ne ei injuriam feciſſe deprehendatur, ſeorſim in fine ea attingit, quæ ab illo bene geſta perhibeantur. Qualia ſunt, quod piratarum licentiam frænaverit; quod paſſim in Anglia doctos atque æquisſimos conſtituerit juſtitiæ adminiſtratores; quod de commerciis cum Gallis tranſegerit, legibus admodum Angliæ proficuis; quod civitates maritimas, ſi quas Hiſpanis Gallorum ope eripuerit, neutiquam permiſerit Gallis, ſed Anglis ſervaverit; quodque leges Angliæ novo exemplo in linguam Anglicam transfundi curaverit. Carolum II Henrico IV Galliæ Regi ex matre avo, quam patri Carolo ſimiliorem refert, jocisque & voluptatibus lubentius indulſiſſe. Ceterum immenſas Anglorum pecunias dilapidaſſe, & a Gallis præterea fertur accepiſſe ſtipendia, eorumque tanto diligentius commoda promoviſſe, quanto magis Anglorum libertati fuerit inſidiatus. Neque tamen omittit Cokius, quæ bene a Carolo & ſapienter conſtituta credit, nimirum quod exemplo Eduardi III & Eliſabethæ, privilegia Anglis olim propria exteris quoque indulſerit; quod Mariæ nuptias cum Wilhelmo Principe Arauſionenſi, Potentisſimo hodie Rege, procuraverit, eamque non minus quam ſororem ejus Annam Anglicæ Eccleſiæ religione juſſerit erudiri. Denique ut Jacobus II, cum viam ſibi a Fratre factam cerneret, majora indies auſus fuerit, legesque Angliæ palam conculcaverit, & quis rerum harum fuerit exitus, non attingimus, quandoquidem iſta recenti omnium memoriæ inhærent. Neque Appendici diu immorari vacat, in qua Auctor, repetitis iis, quibus Angliæ occaſus maturari videatur, remedia proponit viginti tria, quæ ſi adhibeantur, privatorum commodis inſuper habitis, publicam Angliæ ſalutem promotum iri, nullus dubitat. In his quartum eſt, ut pauperum liberis mature proſpiciatur, & quo-

p. 335.
p. 336.
p. 404.
p. 605.
p. 607.
p. 608.
p. 299.

cunque in loco, quam velit, artem exercere cuique liberum sit.

p. 664. Qua occasione meminit cujusdam Roberti Cooke, vere Pythagorei: quippe nec carnes comedit, & præter aquam alio potu non utitur, pileo quoque, calceis, ceterisque vestibus non nisi lineis incedens, ne quid ab animali mutuatus videatur, adeo ut e lectis quoque exesse plumas velit. Is in Hibernia pueros puellasque bene multas lanæ tractandæ ac ducendæ magna cum utilitate adhibuerat, at cum odio religionis catholicæ eas terras linquens in Anglia idem prosequi institutum vellet, nuspiam admissus in Hiberniam remeare coactus est.

p. 665. Sextum ejus consilium est, ut triviales scholæ communi sumtu erigantur, in quibus juventus Anglice scribere discat, & addendo atque subtrahendo exerceatur gratis; id enim utrique sexui apprime utile futurum sperat. Præterea ut libri insigniores omnes, maxime Mathematici & Historici, in Anglicam linguam traducantur, & cum cura prælegantur in Academiis, auctor est, Aristotelis libris Analyticis, Topicis, Physicis, & Metaphysicis, qui non nisi lites pariant & altercationes, prorsus abrogatis.

GLI ANTICHI SEPOLCRI, OVERO MAUSOLEI Romani & Etruschi trovati in Roma &c.

h. e.

SEPULCRA ANTIQUA SEU MAUSOLEA ROMANA & Etrusca, Romæ aliisque celebribus in locis detecta, in quibus multæ eruditæ Antiquitates sepulcrales continentur; collecta, depicta, ærique incisa a PETRO SANCTI BARTOLI. Volumen I Regiæ Celsitudini LEOPOLDI Ducis Lotharingiæ & Barri &c. dedicatum.

Romæ ex typographia Antonii de Rossi, 1699, fol.
Constant Plag. 12. & Tab. 126.

QUam duobus ante annis publicæ luci donaverat uberrimam sepulcralium Antiquitatum congeriem, in Actis nostris mense Majo A. 1698 satis lustratam, eam non pœnitenda fœtura auctiorem in curiosi orbis gratiam iterum vulgare instituit Vir perindustrius, & superstitum a temporis injuria reliquiarum vindex atque assertor felicissimus. Uti vero nemo facile extiterit, qui præstantissimo arti-

artifici bene precari ejusque solertiæ meritas deferre laudes abnuat, ita nostrarum existimamus esse partium, singula, quibus novam hanc editionem locupletavit, distinctius enarrare. In Tab. I statim apparet pictor cum penicillo reliquoque apparatu, dexteram prehendens Varronis, pæne cujus caput leguntur verba: FAXIS VARRO, quæ Autor ita explicat, ac si ars pictoria Varronem rogaret, ut septingentorum virorum illustrium imagines scriptis suis de compacto insereret (ceu Plinius L. 35, c. 2 Hist. Nat. eum fecisse tradit) ipsa vero eidem hac in re mutuam operam sponderet. Succedunt (2) Sex Tituli sive Inscriptiones sepulcrorum in via Aurelia prope villam Corsisinam repertorum, Tab. V. (3) Operculum marmoreum urnæ ambiente epigrapha: D. M. SACR. CHARIDI. CALERIA. MACARIA. ET. NICEPHORVS. FILIÆ. Tab. XIV. (4) Introitus antiquus in Mausoleum Augusti, quod in Campo Martio visitur, Tab. LXXII. (5) Urna Agrippinæ uxoris Germanici, quæ quidem olim hic reposita fuit, postmodum inde ablata oleo, vino ac frumento mensurando diu inserviit, nunc autem manui Colossi ex ære fusæ in Capitolio basin præbet, Tab. LXXIV. (6) Sepulcrum Equitum singularium, quos Autor post Alexandrum Severum demum innotuisse supponit, in via Labicana extra Portam Majorem detectum, Tab. XCVII. (7) Quinque Inscriptiones huc pertinentes, Tab. XCVIII. (8) Monumentum Etruscum, in summo figuram muliebrem, in duabus culcitris reclinem, dextra pateram libatoriam porrigentem; in basi vero pugnam sex militum circa aram cum duabus victoriis vel præliis repræsentans, Tab. CIV. (9) Vas cinerarium tres figuras bacchantes thyrsis armatas gerens, Tab. CVII. (10) Patera ærea deaurata Herculem tribus aliis figuris stipatum exhibens, Tab. CIX. (11) Vasculum cinerarium ex ære flavo capite Fauni & Leonis conspicuum, Viterbi cum priore repertum, Tab. CX. (12) Camera sepulcralis subterranea in agro Senensi effossa, cum Inscriptionibus Etruscis aliisque vasis insignioribus, Tab. CXI. Agmen denique claudunt quatuor pavimenta Musiva elegantissima, Tab. CXXIII -- CXXVI, quibus licet non e sepulcris, sed e piscina publica & Naumachia Augusti erutis, certas ob rationes hic locum assignare voluit Autor. Inter illa vero & magnitudine (est enim quoad longitudinem palmorum 43, quoad latidudinem 32½) & artis nobilitate facile excellit, quod Tab. CXXIII. splendidam pompam nuptialem Neptuni

&

& Amphitrites, Diis Nymphisque marinis, quin & delphinis aliisque belluis exultantibus ac tripudia agentibus, depingere videtur, mense demum Majo anni 1698 Romæ in regione Piscinæ publicæ detectum, primumque, teste Auctore nostro, ejusmodi pavimentorum Romanorum, quod luci publicæ fuerit expositum, ac dignum adeo a nobis habitum, ut hic quoque curiosorum oculos demulceret.

TAB. VII.

MUSÆ SUBSECIVÆ, SEU POETICA STROMATA, Auctore JACOBO DU PORTO, Cantabrigiensi.

Londini, aqud Sam. Buckley, 1696, 8.

Constant Alph. 1. pl. 15.

NOn ignobile est apud Anglos Jacobi Du Porti nomen, quippe qui cum esset Græcæ linguæ in Academia Cantabrigiensi Professor publicus, provinciam, quam nactus fuerat, egregie ornavit. Homerum imprimis amavit; quare ejus sententias diligenter collegit, easque Cantabrigiæ sub titulo *Gnomologiæ Homeri* publicavit A. 1660. Quem librum non modo in eloquentiæ usum commendat Morhosius in Polyhistore L. 1, C. 21, p. 253, sed & ad exegesin maxime, quandoquidem duplicem adjecit Parallelismum, e locis Sacræ Scripturæ alterum, quibus Gnomæ Homericæ non absimiles, alterum e scriptoribus gentilibus. Præterea Græcos versus composuit longe elegantissimos, ut apparet ex ejus paraphrasi *Psalmorum*, *Jobi*, item *Ecclesiastæ* & *Canticorum*. Quam vero & in Latina Poesi excelluerit, carmina ejus elegans excellensque ubivis ingenium spirantia abunde comprobant, quæ jam olim particulatim edita, cum comparari ægre possent, uno volumine comprehendere, sicque junctim recudere ante hos quinque annos Bibliopola Londinensis voluit. In his maximum spatium *Sylvarum* seu Miscellaneorum *Libri tres* occupant, Jacobo quondam Duci Monumethæ, Academiæ Cantabrigiensis eo tempore Cancellario dicati. Hos excipiunt *Carmina Gratulatoria* præcipue ad Carolum I Regem Reginamque Henricam Mariam, nec non Rege Carolum II & Reginam Catharinam, varia occasione composita. Sequuntur *Epicedia* seu Carmina Funebria, Eduardo, Episcopo Carliolensi, cum junctim primum ederentur, inscripta. Post hæc comparent *Carmina Comitialia*, seu Epigrammata in Comitiis Academicis pro more Anglis recepto composita, & Jacobo Fleetwodo Collegii Regalis Cantabrigiæ Præposito dedicata. Porro *Epigrammata Sacra*, seu Carmina in anniversariis Ecclesiæ festis composita, & Antonio Cantii Comiti consecrata. Denique agmen claudunt *Epithalamia Sacra*, seu Canticum Salomonis metrica paraphrasi donatum.

* * * * * * * * *

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. IX.

MELANGES D' HISTOIRE ET DE LITTErature.

i. e.

MISCELLANEA HISTORICA ET LITTERARIA, collecta a Dn. de VIGNEUL-MARVILLE. Tomi II.

Tomus primus prodiit Rothomagi 1699, ſecundus ibidem 1700, uterque Roterodami apud Eliam Yvans, 1700, in 8. Alph. 2. pl. 5.

HAbent hoc proprium Miſcellaneorum Scriptores, ut rerum varietate non minus delectent Lectores, quam inſtruant. Nec ſpe ſua fruſtrabitur, qui hac eadem cauſa inductus hæc Miſcellanea Hiſtorica perluſtraverit. Multa præterea in iis ad rem literariam ſpectantia, nec alibi temere obvia deprehendet. Nec etiam ubivis de moribus, fatis & libris eruditorum commentandi, & arcana quædam de illis prodendi, ſeſe offert occaſio. Nos ſine anxio delectu, quæ nobis hinc inde ſe obtulerunt, commemorabimus, ut ſpeciminis loco ſint. Trajanum Boccalinum verum autorem eſſe Lapidis Lydii contendit *p. 10. 11*, eosque errare monet, qui Borgheſio & Cajetano Cardinalibus hunc fœtum tribuunt, ut illatas ſibi ab Hiſpanis injurias ulciſcerentur. Relationes ejus ex Parnaſſo ad imitationem Luciani ſcriptas eſſe, poſſeque autorem *Lucianum Ita-*

lia vocari. Fuisse plurimos, qui eum imitari conati sint, ex quibus proxime ad illum accesserit Ferrandus Palavicinus, cujus fata infeliciora exponit. Notatu dignam esse dicit p. 14 Bullam Urbani VIII Pontificis ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Hispalensis, in qua sacris interdicat illis, qui in templis ab usu tabaci sibi non temperent. Adeo namque herbæ hujus Nicotianæ usum in Hispania invaluisse, ut nec Sacerdotes ad altare accedentes ab eo abstinuerint. Non eruditos modo, sed uxores etiam eruditorum, vanitate quadam in transversum agi, & omnium contemptui se exponere, exemplis selectis probat *p. 22, 23*. Multos fato quodam aut casu ad certa studiorum genera adductos fuisse, observat *p. 26*. Sic Malebranchium studiis Theologicis sese consecrasse, sed cum forte libros quosdam perlustraret, incidisse in manus ejus Cartesii librum de Homine: hunc cum legere inciperet, mox ita placuisse, ut non tantum perlegeret ac velut devoraret, sed ut magno etiam animo in Cartesianam se daret Philosophiam. Guidonem Patinum a capite ad calcem usque Satyricum fuisse dicit *p. 28*, nec verbis modo, sed moribus etiam, & vestitu Satyricum egisse. Epistolas ejus genium ipsius accurate exprimere, dolendumque solum esse, quod impiæ quædam & atroces in innocentes injuriæ in illis occurrant. Posse eas ornari hac inscriptione: *Cavete canem*. De eodem Patino plura ibi habet. In nominibus propriis sæpius aberrare Historicos, monet *p. 30*. Nec Thuanum modo, more Romano nomina propria Gallorum efferendo, sed Paulum Ramusium quoque, Avilam, Bentivogliumque hic impegisse. Maximos quosque viros verborum admodum fuisse parcos, exemplis selectis comprobat *p. 38, 39*. Non typographos modo aut symbola, aut nomina sua, interdum versibus inclusa, libris a se impressis adjunxisse, sed eos etiam, qui corrigendi typographica errata munere functi erant, docet *p. 41*. Sic Commentariis Andreæ de Ysernia super Constitutionibus Siciliæ, Neapoli a Sexto Russingero A. 1472 impressis, subjunctos legi hosce versiculos:

Sixtus hoc impressit: sed bis tamen ante revisit
Egregius Doctor Petrus Oliverius.
At tu quisquis emis, Lector studiose, libellum,
Lætus emas: mendis nam caret istud opus.

Cujacium inter illustres αὐτοδιδάκτους refert *p. 42*. Prudentiam quo-

quoque ejus commendat, quod de controversiis Theologicis interrogatus, responderit: *Nihil hoc ad Edictum Pratoris.* Catalogum eorum, qui in senectute artes quasdam addidicerint, texit *p. 43.* Colbertum hos inter laudat, qui jam sexaginta annos natus, ad Latini sermonis culturam Jurisque se receperit studium. Tellerium quoque, Franciæ Cancellarium cum nepotibus suis disputando Logices in memoriam sibi revocasse præcepta dicit. Rothomagi virum quendam doctum, qui Gallus dicatur, degere refert *p. 48,* qui effata memorabilia Johannis Seldeni ex Anglico sermone in Gallicum translata, sub titulo *Seldenica*, edere secum constituerit. De bibliomania seu intempestivo libros colligendi studio disserit *p. 49,* refertque quosdam magno pretio libros Arabicos coemisse, ast per linguæ Arabicæ peritos tandem intellexisse, eos fuisse libros rationum a mercatoribus confectos, seque adeo pro thesauro accepisse carbones. Notatu dignum est, quod *p. 50* & seqq. narrat, peregrinatori cuidam, in fastigio Pici montis in insula Tenariffa constituto, Solem instar stellæ cujusdam majoris apparuisse. In Bongarsii epistolis Latini sermonis elegantiam laudandam esse, præterea nihil, *p. 54.* Hinc in eam adducitur opinionem, meliores literas suppressas, aut has mutilatas esse. Busbequii contra ad Rudolphum II Imperatorem, rebus utilibus ac scitu necessariis esse refertas. Perronium Cardinalem non tantum ingenio polluisse, sed doctrina quoque fuisse instructum, contra Menagium contendit *p. 63.* In Congregatione S. Mauri viros longe doctissimos hactenus vixisse, qui utilem Ecclesiæ in Græcis pariter ac Latinis autoribus edendis navarunt operam, neminem temere fugere potest. Hos autem Noster ordine enumerat, & cujusque opera, saltem præcipua, designat *p. 65 seqq.* De stilo lapidario, ab Emanuele Thesauro, uti putat, cumprimis resuscitato, mentem suam aperit *p. 79,* pronunciatque judicium inter acumina & argutias in magno versari periculo. Victorii Siri nævos tangit *p. 49.* In Gallica versione Concilii Tridentini a Gentiano Herveto adornata, ac primum Rhemis A. 1564, deinceps Parisiis A. 1584 impressa, asseri dicit *p. 89,* tres Cardinales confirmationi hujus Concilii se opposuisse. Hoc omissum esse in prima editione Latina hujus Concilii, ideoque Gallicam illam hodienum versionem, dictasque editiones, eruditis in pretio esse. Spondanum dicere, resciri hactenus non potuisse, quinam

isti Cardinales fuerint: mirumque Autori videtur, quod Paulus Sarpius, diligentissimus historiæ Concilii Tridentini scriptor, hoc silentio prætermiserit. Lepidum Philosophi sermonem ad exagitandos Cartesianos fingentis, machinis brutorum singulis adjunctos spiritus esse, qui eos moveant, refert *p. 110 seqq.* Nuncios Pontificis hodie dici, qui olim *Legati* appellati sunt, constat. Noster observat, circa initium seculi proxime elapsi hanc vocem usurpari cœpisse: at incertum esse, quam ob causam cum voce Legati sit permutata. De mercatoribus eruditis, quosdam recensens, verba facit *p. 101 seqq.* & de opificibus eruditis *p. 118 seqq.* Brerewoodii librum de Linguarum ac Religionum in hoc universo diversitate laudat *p. 120*, refertque Richardo Simoni constitutum fuisse, cum additionibus suis auctum nova editione luci denuo exponere: ast cum non satis ei cum bibliopola conveniret, seorsim Simonem additiones suas edidisse sub titulo: *Religions d'Orient par le S. Mony.* Tres notat *p. 126* autores, qui scribendi genus ab indole illorum plane alienum sectati sint: Balsacum, qui epistolis scribendis se dederit, nec tamen stili epistolici characterem unquam assecutus sit; Capellanum, (M. Chapelain) qui edendis versibus tempus suum perdiderit, & Marolium (L'Abbè Maroles) qui a versionibus conficiendis nec consiliis amicorum, nec inimicorum satyris ac censuris, deterreri potuerit. Michaelis Montani ingenium depingit *p. 134*, & in eam ingreditur sententiam, eam quam consecutus est famam & existimationem, temporum potius opportunitati, quam meritis ejus esse imputandam. Carolum du Fresne Dominum du Cange laudat *p. 136*, quod inter gravissima studia summam morum suavitatem humanitatemque retinuerit. De Isaaco Peirerio, autore systematis Præadamitici, verba facit *p. 143*, & inter alia nos condocet, fortuito quodam casu in has cogitationes eum incidisse, cum versus *12, 13, 14* quinti capitis Epistolæ ad Romanos legeret: præter stili elegantiam nihil esse in ejus libro, quod laudem promereatur, in quo nec judicium, nec eruditio solida conspiciatur: vanitatem autem & ambitionem desideriumque novam sectam condendi, in eo ubique se prodere. Exempli quorundam, qui jam in mortis limine constituti carmina tamen fuderunt, legere licet *p. 144.* Præstantissimos quosdam Galliæ scriptores domi negligi, exteris contra in pretio esse, Thuani, Cominæi, Cartesii, Huetii, exemplo comprobat, quorum scri-

ſcripta Gallis fere fœteant aut ignorentur, vicinis gentibus maximi fiant *p. 145*. De Grollierio a Thuano jam laudato quædam habet *p. 153*, & inter reliqua obſervat, cum inſtructiſſimam habuerit bibliothecam, ſingulis libris hæc inſcripta fuiſſe verba: *Johannis Grollierii & Amicorum*. De Cornelio celebri Gallorum poëta exponit *p. 158 ſeq.* habitumque corporis & mores ejus neutiquam reſpondiſſe famæ, docet. Teſtamentum Politicum Cardinalis Richelii ſuppoſititium ſcriptum eſſe, nec illuſtris hujus autoris genuinum fœtum, probat *p. 264*, nec in politicis ait quicquam Richelium literis conſignaſſe. Natalem Alexandrum commendat *p. 167*, & adverſarios ejus, qui ſcripta contra eum ediderunt, recenſet. De Rolando Mareſio quædam *p. 169* legi poſſunt. Ex epiſtolis ejus vix quinque aut ſex ad eos miſſas eſſe, quorum nomina præferunt, teſtimonio Emerici Bigotii comprobat. Hominum voluptati deditorum errorem haud eſſe infimum inter reliquos oſtendit *p. 170*, quod exiſtiment, nihil quod moleſtum aut difficile ſit, poſſe a quoquam ſine periculo ſanitatis aut vitæ ſuſcipi. De Emerico Bigotio agit *p. 174*. Paradoxon, in iis regionibus, in quibus phlegma regnat, præſtantiſſimos naſci poëtas, defendit *p. 177*, in exemplum Italiam ſiſtens, & ex Gallicis provinciis Normanniam, quæ optimos Gallorum poëtas protulerit. Plurimos doctiſſimos Viros, Perronium, Spondanum, Holſtenium, Cotelerium, Morinum, Eccleſiam Romanam Proteſtantibus debere, agnoſcit *p. 178*. Amicis ſolum libros conſecrandos dedicandosque eſſe, Pithœi, Nicolai Fabricii, & Jacobi Sirmondi autoritate fultus, aſſerit *p. 179*, ubi & de dedicationibus multa notatu digna collegit. Exempla illorum, qui in captivitate aut carceribus ad literarum ſtudia felici ſucceſſu animum adjecerunt, affert *p. 189*, ubi & opera quædam eruditorum in carceribus ab illis conſcriptorum recenſet. Multos ſeculo ſuperiori in Magiæ ſuſpicionem perperam adductos, docet *p. 188*, & exempla adjicit. De eruditis viris, qui in maxima paupertate vixerunt & mortui ſunt, verba facit *p. 190*, & prolixum illorum catalogum texit. Inter hos & Bentivoglium Cardinalem refert, cui ante obitum ædes ad ſolvenda nomina vendere neceſſe fuerit, quique ne tantum quidem pecuniæ reliquerit, ut honeſte pro conditionis ſuæ ratione efferri poſſet. De Breviario Romano Franciſci Quignonii & laudabili ſtudio illorum, qui eccleſiarum ſuarum Bre-

viaria emendent ac corrigant, nonnulla affert *p. 194*. Cum varia hodie ad aëris gravitatem & levitatem explorandam, similiaque inventa sint instrumenta, hoc superesse dicit, ut instrumentum excogitetur pro exploranda vita aut morte ægrotorum. Mentionem ejusmodi instrumenti Lambecium facere observat, in commentariis de Bibliotheca Vindobonensi: *Anonymi*, inquit Lambecius, *cujusdam auctoris collectio variarum rerum medicarum : caput ultimum sive p. 32 continet Petosiris Philosophi Ægyptii epistolam astrologicam ad Nechepson Regem Assyriorum cum adjuncta figura organi astrologici, per quod de vita & morte ægrotantium potest judicari.* Mabillonium notat *p. 216*, quod in Itinerario Italico ediderit fragmentum aliquod autoris anonymi, quod Bononiæ in Abbatia S. Salvatoris viderat, existimans nondum editum illud esse, cum non tantum a Launojo editum sit, sed integrum etiam scriptum illud sub titulo, *Humbertus de Romanis de arte prædicandi*, extet in ultima editione Bibliothecæ Patrum. Nævos quosdam Dictionarii Fureteriani indicat *p. 216, 217*, v. g. quod Marforium & Pasquinum unam eandemque rem esse existimaverit. De iis, qui multum temporis in scriptis suis aut conficiendis, aut expoliendis consumunt, *p. 218* verba facit, notatque quosdam circa initium scriptionis valde anxios esse, & solicitos, ast cum prima stadia emensi sunt, promte & laxatis veluti habenis eos procurrere : id quod Thuano contigisse dicit. Præjudicatas eruditorum opiniones, quibus quibusdam libris nimium pretium statuunt, aut justum etiam pretium detrahunt, perstringit *p. 221*, Claudiumque Belurgerium inter alios memorat Homeri amore adeo captum fuisse, ut nec in templo eum e manibus dimitteret. Viros quosdam eruditos, sed ex illegitimo thoro prognatos recenset *p. 222*. Fulvium Ursinum, Antonium Bosium, Pomponium Lætum, aliosque in his commemorari videas. Medicis hoc fere præcipuum esse dicit *p. 222*, ut quam lubentissime alia studiorum genera, interdum ab arte medica maxime aliena, consectentur; hinc ingentem medicorum catalogum, qui in aliis quoque eruditionis partibus excelluerunt, ibidem texit. Cur fœminæ potius quam viri magiæ & veneficiis deditæ sint, disquirit *p. 227*. Legi quoque merentur, quæ *p. 232* de Richardo Simone refert, in examine quod illi subeundum fuit, ut in Presbyterorum numerum susciperetur, tam mascule se geren-

te,

te, ut eruditione vinceret Theologum in ejus profectus inquisiturum. Ad literarum bonarumque artium progressum plurimum conducere dicit, si plurimi extent autores, qui in certo genere primi sint, & quos reliqui deinceps imitentur *p. 241*, ubi & eos enumerat, quos hocce honore dignos esse judicat. Quod Principem deceat censuras interdum contemnere, nec statim in illarum autores animadvertere, evincit *p. 247*. De moribus gentium nonnulla habet *p. 256, 257*, ubi de Germanis quidem pronunciat, eos ex omnibus Europæis quam constantissime suam indolem suumque retinere genium. Robur & fortitudinem majorum suorum eos hodienum referre, gravitatemque judicii cum labore incredibili in iis conjunctam esse, id quod cum primis in literarum studiis & artium bonarum cultura elucescat. Ingenua Galli confessio! De Confutio *p. 257* pronunciat, eum dignum non esse, cujus scripta in Europam advecta in linguam Latinam converterentur. Dici cum Perraltio de Confutio posse, eum unum ex antiquis illis esse, qui recentioribus nullum incutiunt ruborem. Launojum criticum cœlicolis terricolisque formidandum vocat *p. 26*: plures enim Sanctos sede sua eum dejecisse, quam decem Papæ eo evehunt. Tres hodie merito celebrari Galliæ scriptores autumat, qui singuli, quisque in suo scribendi genere, primi sint principesque, dignitatis quoque splendore & fortitudine insignes, & omnes tres etiam fortunæ inconstantiam experti. Hi sunt Rupifocaltius (Rochefoucault) Rabutinius (Busſy Rabutin) & Evremontius. Singulorum vitam & fata paucis exponit *p. 264 seqq.* De Plinio juniori nonnulla affert *p. 277*, recteque observat, *vanitatem* quandam (nec enim commodiori voce vitium hoc exprimere licet) ubique in ejus epistolis elucere. Difficile tamen esse addit, eam evitare, in eo scribendi genere, ubi quis nunquam non de seipso verba facit. Quæ de Marco Antonio de Dominis *p. 279 & seqq.* narrat, lectu digna sunt, sed accuratiorem forte promerentur inquisitionem. Laudat eum ab ingenii corporisque dotibus. Ast nimia ait in sequiorem sexum propensione famæ suæ adspersisse maculam; offendisse etiam Cardinales quosdam intempestivo in quandam illorum cognatam affectu, qui & spe ad altiora emergendi eum privaverit. Romam aliquando eum venisse, ut apud Paulum V Pontificem se ab objectis sibi criminibus purgaret, tumque in duos

duos quosdam Nobiles Anglos incidisse, quorum sermonibus invitatus, de veritate Religionis Romanæ minus præclare sentire inceperit. Atque hinc reliqua, quæ Virum hunc excepere, fata accersit. De Ephemeridibus eruditorum mentem suam exponit *p. 297 seqq.* & difficultates, quibus premantur, qui rite, & ita ut decet, hoc in negotio versari cupiunt, edisserit, subjuncto etiam de præcipuis suo judicio. Accusatum a quodam Photium dicit, quod libros, quorum excerpta Μυριοβίβλῳ suo inseruerit, statim igni tradiderit. Ast explodit hanc fabulam, & merito quidem *p. 210.* De Fagdito (l'Abbè Fagdit) memoratu digna narrat *p. 313*, ac inter alia refert, eum Valentinianos, Cerinthum, Tatianum, Hermogenem aliosque Gnosticos excusare & ab erroribus, qui vulgo iis imputantur, liberare ausum esse in commentariis suis contra Tillemontium, & alibi. Eundem etiam magno animo Theologiam Scholasticam repurgare & emendare ausum esse, editoque specimine demonstrare voluisse, antiquos ecclesiæ Doctores, quos Patres vocamus, magis orthodoxe de mysterio Trinitatis locutos esse, quam Scholasticos. Ast suppresso libro Auctorem in monasterium aliquod se recipere jussum esse, in quo literarum studiis se nuncium misisse professus sit. Tandem in Bruyerium celeberrimum autorem libri, *Caracteres de ce Siecle*, Noster insurgit, acremque in eum stringit censuram, & elogiis, quæ Menagius larga manu illi tribuit, nullam subesse rationem ostendit *p. 325 seqq.* Plura non addimus: omnia enim observatu digna si referre vellemus, integer fere huc transscribendus esset liber. Sed ex Tomo II adhuc quædam decerpenda sunt.

Diepæ licet crassus sit aër, doctissimos tamen ex ea prodiisse viros notat, ex quibus Pecquetum maxime commendat, Medicum longe celeberrimum *p. 5, 6.* Capellanum (Chapelain) editis aliquot odis, factaque spe operis majoris de virgine Aurelianensi, maximam famam existimationemque sui apud omnes excitasse; ast cum lucem opus illud adspexisset, maximum contemptum ab omnibus retulisse. Virum cætera doctum fuisse dicit, licet insignis poëtæ gloriam perdiderit. Labbeo locum inter viros eruditos secundi ordinis tribuit *p. 14.* Bocharto, Strabonem ob judicii ἀκρίβειαν laudanti, suffragatur *p. 21.* In Polybio contra, Famiano Strada, & Petro Maffæo, judicii defectum notat. Elogium quod Fratres Sanmarthani Abbati

S. Cyra-

S. Cyrani in Gallia Christiana statuerant, mandato Cleri Gallicani tollendum fuisse: nec tamen quenquam Clericorum emere voluisse exemplar libri, in quo istud elogium non compareret *p. 23*. Recentem quendam Scriptorem *p. 26* perstringit, asserentem, terminum ecclesiasticum *Gratia* nihil tandem aliud esse, præter *nescio quid*, (*un je ne sai quoi.*) Huetius *p. 27* nostro vapulat, quod in libro de optimo genere interpretandi, Irenæum versionis Latinæ suorum operum autorem habere videatur. Equidem & Fevardentium in eodem versatum fuisse errore, sed reclamare doctissimos criticorum. Nec enim, inquit, refutari merentur, qui Irenæum Latine scripsisse volunt. De fœminis eruditis varia collegit *p. 28 seqq.* ubi inter alia Menagii librum de *Mulieribus Philosophis* jejunum vocat, & qui statim ab autore jam sene compositus intelligatur. Præcipuos, qui vitam Johannis Calvini scripserunt, indicat *p. 35*. Elogium Calvini, quod a quibusdam Papyrio Massono tribuatur, & inter schedas illius jam defuncti inventum perhibeatur, autorem agnoscere Jacobum Gillotum, contra Bælium asserit atque contendit ibidem. Ex Hobbesii lectione neminem evasurum Politicum, pronunciat *p. 37*: Evremontii tamen judicio, summis Angliæ viris eum annumerandum esse. Sorbierium, qui Hobbesii Elementa in linguam Gallicam transtulit, comparatione inter Machiavellum & Hobbesium instituta, illi ingenium atrox & ferum, huic mansuetum atque humanum tribuisse. Burnetum in Historia Reformationis Ecclesiæ Anglicanæ in multis recte dissentire a Sandero, ast plurima documenta, quibus contra Romanenses pugnat, nondum indubitatæ fidei esse, & quibus contradici nequeat *p. 38*. De Regum Galliæ confessionariis, negotiis civilibus interdum inservientibus, lectu digna occurrunt *p. 40, 41*. Acute dicta (*les bons mots*) a Græcis transiisse ad Romanos, ab his ad alias gentes fuisse propagata. Apud Romanos Publium Syrum horum usum tempore Julii Cæsaris introduxisse *p. 55*. Anecdota seu historias arcanas in pretio esse, ait *p. 59*. Suetonium ideo magni fieri, quod domestica Imperatorum prodat. Procopius Autori ideo displicet, quod, cum antea laudasset Imperatorem Justinianum, deinceps convitiis proscindat. Varillasii autem Anecdota Florentina huncce titulum neutiquam promereri. In summorum etiam virorum vitis interdum inepti aliquid ac ridiculi occurrere, recte monet *p. 70*. Qua fide au-

tem asserat, Melanchthonem gravem, ut vocat, ac eruditum inter Lutheranos theologum, cunis assidentem, una manutenuisse librum, altera motitasse cunas, ut somnum infantulo suo conciliaret, videant alii. Simile quid de celebri Philosopho Gallorum *Esprit* refert. Ratramni librum de Eucharistia, opera Protestantium primum lucem adspexisse, multis persuasum esse dicit; ast eos simul refellit *p. 101.* Jo. Alphonsi Borelli opus de motu animalium commendat *p. 122.* Casparem Scioppium nimis rigidum atque austerum esse fatetur, nec tamen contemnendam ejus *Infamiam Famiani.* Optandum potius, ut in novis Autorum editionibus, ad calcem libri semper subjungerentur criticorum in eos editæ censuræ. Quod Bailletus in vita Cartesii de filia Cartesii Francina dicta narrat, a Cartesiano quodam pro fabula venditari docet, ex automate quodam a Cartesio confecto orta *p. 125.* Fortunium Licetum in opere de lucernis Antiquorum reconditis omnem velut profundere eruditionem, nec tamen ad caput causæ proficere, cum de arcano lampades perpetuas conficiendi nihil tradat. Specimen Phosphori ad hoc adhibuisse veteres, Autori verosimile videtur *p. 133.* In facie hominis quantumvis deformi tantam tamen perfectionem deprehendi, ut nihil in ea mutari possit, nisi mutata omnium partium proportione, pluribus evincit *p. 163.* Montauserium Ducem epistolas Angeli Politiani tanti fecisse *p. 70* refert, ut semper in promtu haberet earum exempla, quæ amicis daret. Defendit ibidem Politianum, & quod a nonnullis illi objectum, ac si semel tantum in vita sacras literas legisset, calumniam vocat, cum alicubi in epistolis profiteatur, sese quadragesimali tempore publice populo sacras literas explicasse. Quod de Canonico quodam Parisiensi circumfertur, eum jam mortuum, cum justa illi persolverentur, se damnatum esse-ter exclamasse, jam pridem eruditi inter commenta retulerunt. Horum sententiam selectis documentis ulterius probat *p. 174 seqq.* Quinam Parisiis *Bibliopolæ stationarii* fuerint, *p. 187* explicat. Willisii anatomen cerebri laudat *p. 191. seqq.* De fungis varia observat *p. 196*, & cum experimentis constet, eos una nocte nasci, optat ut aliquando modum, quo partes singulæ augeantur, diligentius quis observet. Relationum publicarum, quas *novellas* vocant, usum commendat *p. 297.* De ritu, circulo nomina illorum, ex quibus unum alteri præferre religioni nobis ducimus, inscribendi verba facit *p. 203.* Nævos atque lapsus

T



psius varios virorum eruditione alias illustrium collegit *p. 205 ad 221*, nec reticet ibi Gallorum errores Geographicos. Vitam & fata Agni Benigni Sanrey exhibet *p. 224 seq.* Exemplum singulare noctambuli occurrit *p. 237.* De Antonio Portugalliæ Rege differit *p. 250, 251*, & explodit sententiam cujusdam, pro argumento regiæ magnitudinis venditantis, quod secto post mortem corpore, omnia ejus viscera tabida ac corrupta inventa sint, præter cor. Quo pacto *sestertius* & *sestertium* differant, explicat *p. 253.* Exempla eruditorum, qui aqua submersi perierunt, exhibet *p. 267*, & Guidonis Patini acute quædam & eleganter dicta *p. 268.* De Statica Medicina Sanctorii, Medici Patavini differit *p. 290.* Antonii Godæi vitam paucis delineat *p. 295 296.* Epistolam Chrysostomi ad Cæsarium Monachum adversus Apollinaris hæresin, tempore secundi ipsius exilii scriptam, pro genuina cum accuratioribus criticis habet, ast Protestantibus contra transsubstantiationem eam favere, cum Harduino negat, *p. 298.* Francisci de la Mothe-Vayer, viri celeberrimi, mores indecoros minusque elegantes notat *p. 301.* Theophilum Raynaldum non ea fuisse eruditione, ut cum Sirmondo atque Petavio comparari possit, contra Guidonem Patinum contendit *p. 303*; quod autem a nonnullis creditum fuit, eum plane desperabundum obiisse, a Moneonysio refutatum abunde dicit. De Michaele Psello, ejusque dialogo de energia seu operatione Dæmonum, nonnulla collegit *p. 304, 305*: concludit vero tandem, librum istum nullius momenti esse, nec dignum qui legatur. In Luca Holstenio, Leone Allatio, Morino, atque Launojo odium Theologiæ Scholasticæ notat *p. 314.* Libri, cui titulus, *Optatus Gallus*, autorem esse Hersen confirmat, qui ab auctore vitæ Morini appelletur *homo cerebrosus, judicii pauci, vehementissimus concionator.* Richelium Cardinalem Ximenem Cardinalem in omnibus fere imitatum fuisse, docet *p. 315.* De Patribus, in quibus Cartesianismi vestigia deprehendantur, verba facit *p. 316.* Spinozam nonnulli tradunt, cum in Galliam venisset, metu, ne in carcerem conjiceretur, vitæ finem sibi accelerasse: hos refellit *p. 230.* Gaffarellum notat *p. 320*, quod per errorem turpissimum crediderit, in Trithemii Abbatis Steganographia agi de evocatione Spirituum. Alia quoque de eodem ibi affert. Quid *cœna recta*, quidve *sportula* sit, ex Romana antiquitate explicat *p. 326, 327.* Historias Conclavium Romanorum Pontificum, Hobbe-

fii, Grotii, Machiavelli, Taciti, aliorumque commentationibus politicis præfert *p. 329*. Jam ante Toinardum, Vechiettum negasse, quod Christus pridie quam pro nobis mortem oppeteret, solenne Paschalis cœnæ convivium celebraverit, & quod pertinaciter hanc sententiam defenderet, in carcerem conjectum fuisse, docet *p. 332*. Versus *Politicos* dictos cum Lambecio putat, qui in plateis cantari consueverint, observatque ex eodem, a Græcis recentioribus meretricem *Politicam* vocari *p. 334*. De autore Catechismi Tridentini disquirit *p. 336*. Solidam eruditionem etiam ab linguæ Latinæ & Græcæ ignaris acquiri posse, probare annititur *p. 355 seqq*. Ex Hugonis Grotii epistolis ad Gallos judicia quædam de viris eruditis colligit *p. 359*. Conradi Heresbachii Historia Anabaptistica de factione Monasteriensi ob obscuritatem illi displicet, *p. 361*. Cur Thuanus commentarios de rebus Mariæ Stuartæ, a Jacobo Rege per Casaubonum illi missos, secutus non sit, cum tamen Rex asseveraverit, summa fide ac diligentia eos scriptos esse, disquirit *p. 362, 363*. Casaubonum suis exercitationibus Baronio non adeo nocuisse, pronunciat *p. 364 seqq*. Erycum Puteanum commendat *p. 368, 369*. Johannem Rhodium Danum libros, quos pro suis venditaverit Tomasinus, elaborasse, ex Reinesio refert: ast utrumque reprehendit, Tomasinum, quod ex alterius labore gloriam quæsiverit; Rhodium, quod contra datam fidem, arcanum hocce prodiderit *p. 377*. Thevenotium, quem de arte natandi commentatum constat, refellit ex Alphonso Borello, asserente nihil nisi metum obstare, quo minus homines æque prompte ac alia animalia natent *p. 383*. Physiognomiam ut incertam atque fallacem rejicit *p. 388 seqq*. Varillasii vitam & fata describit *p. 394 seqq*. Sed quis tandem finis foret, si omnia ex tanto rerum memorabilium cumulo indicare vellemus! Hæc ergo sufficiant.

TENTAMINA PHYSICO-CHYMICA CIRCA AQUAS thermales Aquisgranenses, Auctore NICOLAO VALLERIO, Ostrogothia Sueco. Quibus adjecta ex Anglico ab eo versa R. B. Specimina Historiæ aquarum mineralium, & JO. FLOYERI Inquisitio in usum balneorum.

Lu-

Lugduni Batavorum apud Cornelium Boutesteyn, 1699, in 8. Plag. 20.

POst operosam celeberrimi Blondelii sedulitatem, quam ante eos XVI annos perscrutandæ thermarum Aquisgranensium naturæ impendit, sua quoque circa illas instituit tentamina clarissimus Auctor, idque, ceu ipse in Præfatione memorat, potissimum Domini Hiernes, Archiatri Regii nobilissimi, jussu. Ipsa scriptio instar epistolæ directa est ad D. D. Hotton, Med. & Botan. Lugdun. Bat. qui ipse restaurandæ sanitatis ergo has thermas accessisse, earumque effectus & usus acriter pervestigasse fertur. Quinimo primus fuit, qui præcalidis hisce & fumantibus aquis caput frigidis ac inveteratis affectibus laborans supponi, successu optimo jussit. Hujus exemplo ductus, suasuque celeberrimi Hiernes permotus Auctor, se Aquisgranum contulit, in naturam thermarum earumque vires modumque usurpandi penitius inquisiturus. Viam non satis tritam, & auctores quoad contenta non concordare advertit. Fateri quoque se coactum vidit, aquas ejusmodi minerales rarissime simplici metallo vel minerali, aut una re fossili imbutas reperiri, imo contenta in minutissima discerpta esse corpuscula, quæ omnem oculorum aciem effugiant; hinc judicium nullum fieri posse vel de natura, vel de quantitate contentorum, maxime cum mineralia similitudine inter se etiam sagacissimos fallant. Adiit ergo Viros ingenii præstantia & multiplici experientia commendatos, a quibus tamen solidæ informationis se recepisse nihil ait, singulis in diversam ab aliis sententiam abeuntibus. Hinc parum abfuit, quin illorum amplexus opinionem sit, qui libere profitentur, se hæc Dei arcana minime intelligere, nisi supra memorati excellentissimi Hiernes nova methodus, qua acidulas Medevienses probavit, spem fecisset fore, ut aliquo modo illi insistens tutius in veritatis scrutinio progrederetur. Hinc claustra aquarum (verba sunt Auctoris) irrupturus arte illis blandiendum censuit, ratus contenta illorum, quæ machinas artificiosissimas viresque fortissimorum Medicinæ Atlantum sæpius elusere, jam subdola potius captione vinci atque e latebris suis educi posse. Scilicet varias e diversis rebus conquisivit & confecit cupedias, quibus istas aquas saturare studuit, ut tanto facilius deglutita & absorpta redderent. Primo omnium autem aggressus est interiora aquæ *fontis potatorii* recludere, idque beneficio instil-

ſtillationis variarum ſolutionum, verbi gratia ſolutionis nitri, ſalis Ammoniaci, ſalis communis, vitrioli ♂, mercurii ſublimati, ſacchari Saturni, ſalis tartari, item ſpirituum nitri, ſalis communis, Ammoniaci, ſolutionis nucum gallarum, ☽, ☿ii, & ſirupi violarum. De his ſingulis ſuccincta relatione memorat, qualem aquis alterationem vel coloris mutationem induxerint, aut quid ſedimenti forte ad fundum depoſuerint, addita ſimul cum aliorum experimentis collatione & expoſitione, in quibus hæc cum ſuis vel convenire, vel ab illis diſcrepare videantur. Hinc obiter de aquarum thermalium ſulphure, ſpiritibus, acido, quibus illæ refertæ perhibentur, breviter diſquiritur, ſimulque opinionis iſtius falſitas oſtenditur. De cætero, cum clariſſimus Auctor aquam thermalem lagenæ vitreæ accurate obturatæ incluſam, & XXX dies conſervatam, Lugdunum transportaſſet, tum vero præter aquæ ſubſidentiam & quaſi diminutionem, nonnullos floccos concreſcere, & ſeſe poſt vitri agitationem conſpiciendos ſiſtere, mox vero calefacta aqua iterum in poros ejusdem reſorberi; & viſum omnem effugere obſervaſſet, animum induxit, cum iisdem liquoribus, ut antea, aquam commiſcere, experturus, num inter recens hauſtam & diu aſſervatam aquam aliquid diſcriminis intercedat. Proinde inſtillavit iterum ſolutionem ſalis communis, ammoniaci, nitri &c. & annotata, quæ cum ſingulis contigit, variatione, ad alia revertitur experimenta, ac primo evaporationis ſucceſſum enarrat. Scilicet in vaſis fictilibus aquam igni commiſit, ut in fugam conjectis fluidioribus ac humidioribus ejus corpuſculis, remanentia ſolidiora & craſſiora conſervaret. Hoc modo deprehendit, quod clariſſimi Blondelii aſſertum proxime ad veritatem accedat, & quod ℔j. aquæ evaporatæ relinquat ſalis grana circiter 25, e quo tamen denuo ſoluto filtratione ſegregari poſſint terræ inſipidæ albicantis, ſeu potius cinereæ, grana 5. Quæ vero ſalis iſtius natura ſit, Lugdunum reverſus Auctor ſolutione ipſius & inſtillatione ſuperius memoratorum liquorum expiſcari inſtituit, quæ ex ſingulorum additione mutatio obtigerit, ſtatim ſubjiciens. Servavit autem per aliquod temporis ſpatium iſtam ſalis ſolutionem in vitro leviter occluſo, experiundi gratia, num ne ab aëre alteraretur, hac vel illa in parte augeretur, vel an quicquam ipſi decederet; imo enumerata per dictos liquores experimenta cum illa denuo iteravit; ſed eandem in omnibus

bus convenientiam deprehendit. Cumque insuper adverteret, salem thermarum permutatione aëris varia varie mutari, indolem ejus ulterius exploraturus, a sordibus & spurcitie, quibus adhuc squalere visus est, eundem liberare tentavit. Itaque summo studio lavit, purificavit, lenteque iterum siccavit; faciem tamen, ceu intendebat, crystallinam ipsi inducere non potuit. Tandem ignis violentiæ illum tradidit, ubi salis communis aliquoties purificati instar exiguum strepitum edidit, leviterque dissiliit; diutius vero cum in igne detineretur, in fluorem redactus est. Cæterum balnea eorumque alveos ac structuram variam inspiciens noster Auctor, *Rosaceorum* parietibus saltem quendam accrevisse vidit, & quidem in parietibus diversis diversum, sapore haud tantum, sed & concretione ac duritie differentem; nitroso-Armoniacosum scilicet unum, alterum salso-muriaticum. Cum utriusque solutione confudit liquores superius nominatos, solutiones scilicet salis communis, armoniaci, nitri, aluminis, vitrioli ♂is, R. cocoi, ligni nephritici &c: & quam quælibet earum pepererit alterationem, subnectit. Hoc autem tanquam maxime notabile adjicit, quod sal muriaticum aëris pluviosi vel nebulosi injuriis obnoxium sit, a quo facile in deliquium incidat: iis vero fortiter resistat nitroso-Armoniacosus, ne minimam ferme ejus admittens humiditatem. Præterea horum salium uti aliis in qualitatibus ingens esse discrimen ait; ita etiam sub concretione in crystallos diversas admodum induere facies. Illum mox suas cubicas ostendere figuras, concavas a parte altera, ab altera pyramidales; hunc e contrario simpliciter coire, absque certarum figurarum efformatione, quas scilicet neutiquam describere quis possit. Et uti illius ponderi in evaporatione parum decedat, ita hujus pondus mirum quantum diminui: imo illum igni commissum instar salis culinaris crepitare & demum liquescere; hunc autem mox flammam quasi concipiendo deflagrare, detonare ac fundi. Quod reliquum est de sulphure, quo imprægnatæ sunt aquæ urbanæ, imprimis potatoriæ, hoc refertur, quod non tantum odore suo se maxime prodat, sed & optime conspiciatur in scaturigine *balneorum Cæsareorum*, ubi in putei collo & testudine in frustula duriuscula concreti flores sulphurei amœnissimi, instar florum sulphuris vulgarium, sublimentur ac congregentur. Ex hoc sulphure, quod oleis variis admixtum facillime liquescit, balsamum quoddam peculiari

liari modo conficit doctissimus Auctor, cujus virtutes insignes in doloribus sopiendis, urina movenda, partibusque debilibus confortandis deprædicat, seque sæpius expertum esse ait, quod illud balsami sulphuris vulgaris vires longo post se intervallo relinquat. Pergit autem ulterius, *Porcetanas*, quas dicunt, *thermas* pari exploratione consideraturus. Sunt hæ non minus ac urbanæ variis nobilitatæ virtutibus, ob quas vel stabiliendæ vel recuperandæ sanitatis gratia in usum vocantur. Et habent hoc præ cæteris, quoad usum externum, balnea ibidem erecta sibi peculiare, illa magnopere commendans, quod præter internum aquæ *fontis potatorii* usum, etiam vaporosa hic extructa & variis egregiis atque valetudini summe conferentibus exornata sint machinis, ad hos vapores in hanc vel illam corporis partem deducendos, eamque solam, reliquis intactis, iisdem fovendam. Eodem itaque modo, quo priorem urbanam, etiam hanc potui inservientem aquam probare tentavit Auctor, & liquoribus variis in contentorum cognitionem pervenire, successu singulis experimentis statim subjuncto. Sic solutionem verbi gratia nucum gallarum instillatam reliquisse ait hanc aquam thermalem, absque ulla sui vel turbatione, vel præcipitatione. Sic affusam solutionem Lunæ memorat mox lactescere & præcipitari, ad fundum ruente pulvere quodam albicante, toti autem mixturæ pellicula quadam atra supernatante &c. &c: Eadem vero repetita experimenta sunt cum aqua eadem Lugdunum in lagena transportata, sed nulla prorsus circa illam observari potuit differentia, obvenientibus ubique iisdem phænomenis. Itaque circa ipsum *fontem Porceti* evaporatæ sunt aquæ ejusdem remanentiæ, quæ copiam salis eandem suppeditarunt ac urbanæ. Sal ipse autem in crystallorum formam redigi non potuit instar salium lixiviosorum, (quorum naturam magis quam muriaticorum vel enixorum æmulari videtur) qui nunquam, uti enixi, in certas figuras & crystallos solent abire. Solutio ipsius salis confusa cum aliis liquoribus magis nunc, nunc minus peperit alterationis. Sic oleum tartari per deliquium, item spiritus salis Armoniaci, mutationem produxerunt nullam. Sic spiritus nitri optime & intime se commiscuit. Solutio sacchari Saturni instillata absque mora lactescere cœpit, & liquor totus inde opacus redditus, fundum tamen non petiit, sed supernatavit &c. &c: Tandem ultimo loco ad vi-

vicina & summopere decantata balnea se contulit Auctor noster, quæ admodum calida & clara, absque cujusvis peregrini, quod oculis obversaretur, admixtione; frigefactam autem illorum aquam levi investitam cuticula reperit. Hanc vero ut detraheret, curam omnem impendit, ob tenuitatem tamen ejus, præter nonnulla frustula, quæ exsiccata, omni destituta sapore, plane terrestria vel lapidea fuerunt, obtinere potuit nihil. Ipsa aqua, humido per ignem consumpto, reliquit materiam quandam salinam in aëre valde fluxilem, quæ nullo modo aut studio in crystallos, sed vix in irregularia saltem frustula cogi potuit. Frustula illa igni admota eodem fere modo sese gesserunt, ac reliqua cæteris ab aquis confecta salia, crepitando scilicet, dissiliendo & demum sui fusionem admittendo. Soluta vero de novo, ac cum variis aliis commixta liquoribus & solutionibus, diversa illis vel intulerunt phænomena, vel ipsa subierunt, ceu ex variis, quæ adducuntur, experimentis, patet abunde. Ex his tamen & omnibus hactenus descriptis certi quicquam de contentis harum thermarum concludere Auctor non præsumit, judicio illud potius doctiorum relicturus.

De Opusculis duobus Tentamini huic adjectis dicere supervacaneum plane foret. Nam prius illud *Roberti Boylei* jam A. 1685, mense Decembri, pag. 587; alterum *J. Floyeri* A. 1698, mense Novembri, pag. 524, in Actis hisce recensuimus.

EXTRAORDINARIUM ARTERIÆ AORTÆ ANEURYSMA, dissectionis ope, d. 19. April. A. 1700, prope cordis basin a Domino LAFAGE, Chirurgo, detectum, atque cum symptomatibus ex Actis Philosophicis Anglicanis, Mense Nov. & Dec. 1700, pag. 666. excerptum.

Quindecim abierunt anni, cum Johannes Patinus Gallus quidam, Domino Culpeper tunc temporis a servitio, ex lapsu insignem aliquamdiu in pectore persentisceret dolorem. Elapso mense, dum bombardam exploderet, hæc in manibus ejus disrupta adeo violenter ad dextrum ejus latus allidebatur, ut in hæmoptysin mox conjectus, sex menses sanguinem exspueret. Anno insequente pulsationem aliquam eodem in latere percipiebat, & tunc sanguinem denuo, non minus ac postea quolibet vere & autumno, ejiciebat. Sanguis e naribus pariter duabus per annum vicibus, & quidem per

integrum ſemper menſem, erumpebat. Quatuor abhinc annis tumor ſub papilla dextra elevari incipiebat, qui ſenſim atque ſenſim incrementum ſumens mirandam demum acquirebat magnitudinem, reſpirationemque tam difficilem reddebat, ut ægrotus inciſionem ejus expeteret; quam tamen cum nemo aggredi vellet, ipſe ſibi linimenta emollientia, quæ commoda videbantur, applicuit, a quibus cutis adeo attenuata, ut tumor tandem rumperetur. Mittebat tunc ad Dominum Laſage, ut auxilium ferret; ſed hic accedens, quia eodem tempore aneuryſma ſubito ruptum erat, reperiebat eum mortuum. Copia itaque cadaveris ſecandi, quam Dominus Laſage deſiderabat, facta, ante omnia cartilagines duarum coſtarum, cum portione ſterni, a continua tumoris pulſatione obſervabat attritas.

Arteriæ dilatatio in ipſius trunco prope cor exacte incipiebat, antequam in truncum aſcendentem & deſcendentem diſpeſceretur, & quamvis ibi non niſi exiguum ſit ſpatium, præter modum tamen adeo extendebatur, ut ſuccus integram thoracis in latere dextro cavitatem repleret, pulmonesque in tantum comprimeret, ut hi eo ipſo multum eſſent conſumpti. In ſuperficie externa ſuccus adhærebat mediaſtino, diaphragmati, pleuræ atque ſterno, cui duo foramina magna impreſſerat; adeo valebat impulſu. Interna vero ſucci facies laminis oſſeis diverſæ magnitudinis, tanquam totidem teſtis, obducta erat tota. Cor ipſum multum expanſum ordinariam magnitudinem duplo excedebat.

Inprimis autem calculi notari merentur inter cordis fibras deprehenſi, ſimiles iis, quales in ſcrophuloſorum corporum pulmonibus aliquando occurrunt.

Dominus Laſage omnes iſtas partes ex corpore exemtas ſecum aſſervat, cuilibet videre cupienti demonſtraturus.

Interim non ingratum erit Lectori cognoſcere, ſimilia Aneuryſmatis Aortæ exempla a *Ruyſchio Cent. Obſ. 37 & 38*, atque in *Miſc. Acad. Nat. Curioſ. Dec. I. A. I. Obſ. 18*, & *Dec. III. A. 5. Obſ. 179*, deſcribi ac depingi.

TAB. VIII. Explanatio Figuræ Aneuryſmatis.

Fig. 1. Fig. I.

A. Cor. B. Aorta prope Cor, ubi aneuryſma incipiebat. CG. Eadem dilatata aneuryſmatis ſuccum conſtituens. D. Aorta deſcendens. EE. Arteriæ duæ axillares. FF. Arteriæ duæ carotides. Fig.

TAB. I





Fig. 3.






Fig. 5.

Fig 2. TAB. VIII. Fig. 2.

A. Cor. bbb. Semilunares in succo valvulæ. C. Aorta descendens. D. Aortæ in succo orificium. EE. Arteriæ duæ axillares. F. Succi portio rupta. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Laminæ osseæ in superficie succi interna.

Fig. 3. Fig. 3.

a. a. a. a. Os sterni. B. Pars ejus superior. L. Pars ejus inferior. DD. Pars ejus dextra. EE. Pars ejus sinistra, in qua cartilagines costarum GG. deficiebant. HH. Locus ejusdem ossis ab aneurysmate attritus.

DE IRIDE, SIVE DE ARCU COELESTI, DISSERtatio Geometrica, qua methodo directa Iridis utriusque Diameter, data Ratione Refractionis, obtinetur: Cum solutione Inversi Problematis, sive Inventione Rationis istius ex data Arcus diametro. Per EDM. HALLEY Reg. Soc. Soc.

Transcripta ex Actis Societatis Regiæ Anglicanis, Mens. Novembr. & Dec. 1700, pag. 714 sqq.

PHysici omnes, quotquot Naturæ Historiam aggressi sunt, Iridem Meteoron coloribus suis præprimis spectabile necessario descripsere, causasque ejus deinde perpenderunt. Ac Mythologici veteres a miranda ejus specie *Thaumantis* quasi *Admirationis* filiam dixere, eique etiam in numerum Dearum adscitæ, munus Internunciæ inter Deos & Mortales tribuere; quæ fabula fortassis originem duxit ex *Gen.* Cap. 9. 13.

Iridis vero Phænomena attentius respicientibus semper constabat, Solis radios a Nube aquosa reflexos, sub certo quodam angulo in oculum incurrere; unde forma ejus arcuata: Colorum autem causa, ut etiam Magnitudinis anguli istius, quo constanter ab opposito Solis Iridem distare deprehendimus, tam Modernos quam Veteres diu multumque torsit: Nec quicquam profecere, usque dum præclarus ille *Cartesius*, in auxilium collatis Mathematicis Disciplinis, speculationes has physicas strictiori argumentandi methodo tractari posse ac debere, pluribus exemplis edocuit. Inter cætera, (facem tamen præferente Reverendissimo *Antonio de Dominis* Antistite *Spalatensi*) Iridis Theoriam exposuit: inventisque Re-

fractionum, quas patiuntur Radii Lucis dum corpora diaphana permeant, legibus; aperte demonſtravit, Primariam Iridem nihil aliud eſſe, quam Solis ſpecies a concava ſuperficie guttularum Sphæricarum innumerarum cadentis pluviæ reflexa; ea ſub conditione, ut qui paralleli inciderint radii, a reflexione ac duabus in ingreſſu & egreſſu guttulæ refractionibus, non diſſipentur, ſed in oculum etiam paralleli incurrant. Radios vero coloribus tingi a refractionibus iſtis, eo more quo a Priſmate Vitreo coloratos Lucis radios conſpicere eſt: Secundariam vero Iridem a radiis magis oblique incidentibus eodem modo produci, niſi quod hic duæ ſint reflexiones, antequam radii Solis ſecundo refracti, ad oculum parallelo ſitu tendentes, e globulis aqueis emergant. Magnitudinem autem Iridis utriusque pendere a gradu Refractionis, qui in diverſis liquoribus Solidiſve pellucidis diverſus reperitur. Poſito vero quod ratio ſinuum Incidentiæ ad ſinus angulorum refractorum fuerit in Aqua ut 250 ad 187, ſemidiametrum utriusque Arcus Cœleſtis obſervationibus congruam definivit; Primariæ ſcilicet 41°. 30′, Secundariæ vero 51°. 54′: quibus non tam Theoriam ſuam aliunde demonſtratam comprobavit, quam veritatem aſſumtæ rationis prædictæ: De his vide Cap. VIII Meteorum Carteſii, quo Lectorem ablegamus.

Methodo autem indirecta ac tentativa uſus in definiendis his angulis, viſus eſt *Carteſius* Problematis ſibi propoſiti facilitatem non rite perſpexiſſe. Cumque nemo hactenus, quod ſciam, poſt eum argumentum de Iride plenius tractaverit, atque etiam nonnulli a *Carteſio* ſtabilita parum intellexerint, admiſſis gravibus paralogiſmis in quibusdam libris poſt eum Iridis Phænomena ſpeciatim explicare profeſſis; Volui quæcunque in hac doctrina mihi deeſſe videbantur ſupplere, angulumque, quo diſtat Iris ab Oppoſito Solis puncto, ex data ratione Refractionis Geometrice definire, vel e contra ex data Iride liquoris vim refractivam determinare. Quæ vero de hac materia commentus ſit Celeberrimus *Nevvtonus*, in libro ſuo de Luce ac Coloribus, majori cum fructu percipiet Lector, ſi quando ſubtiliſſimas iſtas ſuas lucubrationes publico donare dignabitur.

Jam conſtat ex demonſtratis *Carteſii*, Iridem Primariam a talibus Solis radiis produci, ubi exceſſus duorum angulorum refractorum ſupra unicum Incidentiæ angulum omnium poſſibilium fuerit

rit *Maximus*. Secundariam vero Iridem formari ab iis radiis tantum, ubi excessus trium angulorum refractorum supra unum Incidentiæ angulum similiter sit omnium *Maximus*. Ac perge licet ad Tertiam, Quartamve vel quamvis aliam Iridem, quæ fiunt ubi radii post tres, quatuorve, vel plures reflexiones e guttulis emergunt. Hæ vero in cœlo vix unquam conspicuæ esse possunt, ob lumen Solis in singulis reflexionibus ac refractionibus magis magisque attenuatum; unde fit, ut Secundaria etiam Iris coloribus tanto debilioribus Primaria pingatur. In omnibus autem his regula est generalis, ut excessus quatuor, vel quinque, vel plurium angulorum refractorum (numero scilicet reflexionum Unitate aucto) supra unum Incidentiæ angulum sit omnium *Maximus*.

Excessus autem iste *Maximus* duplicatus ubique est distantia Iridis ab Opposito Solis, ubi numerus reflexionum impar est. Si vero par sit iste numerus, duplum anguli istius Maximi fit distantia Iridis a Sole ipso, nempe in Iride Secundaria, Quarta, Sexta, &c. Hæc vel mera Cartesiana sunt, vel ex ejus scriptis, loco citato, nullo fere negotio consequuntur.

Ut autem habeantur Excessus isti *Maximi*, data liquoris alicujus refractione, sive ratione sinus anguli Incidentiæ ad sinum anguli refracti; observandum est, excessum duorum angulorum refractorum supra unum Incidentiæ angulum Maximum fieri, ubi augmentum Momentaneum anguli Incidentiæ præcise duplum est augmenti momentanei anguli refracti: Trium vero angulorum refractorum excessum Maximum esse, ubi augmentum momentaneum anguli Incidentiæ triplum est momenti anguli refracti: & sic de cæteris. Atque hoc per se satis evidens est: Angulos autem ipsos obtinebimus præmisso Lemmate sequente, quod demonstrare oportet.

Lemma.

Manentibus Cruribus Trianguli cujusvis Plani, si augeatur vel minuatur angulus Verticalis angulo quovis dato minore, erunt momenta sive mutationes instantaneæ angulorum ad Basin inter se reciproce ut segmenta Basis.

Fig. 4. Sit ABC Triangulum cujus vertex A, Crura AB, AC, & Basis BC, in quam demittatur perpendiculum AD: dein augeatur angulus BAC momento aliquo indivisibili CAc, ac du- TAB. VIII. Fig. 4.

cantur lineæ *Bcd*, *c D*, quæ non nisi intellectu differunt a lineis *B C D*, *CD*. Dico momentum anguli *ABC*, nempe *CBc*, esse ad momentum anguli *ACB* vel ACD ut *CD* ad BD, hoc est reciproce ut segmenta Basis. *Demonstratio.* Cum Angulus ACD sit summa angulorum ABC, BAC, momentum ejus erit etiam summa momentorum istorum angulorum, sive *CAc* + *CBc*; sed *CAc* æqualis est angulo C D c, quoniam, ob angulum rectum ad *D*, puncta *A*, *D*, *C*, *c* sunt in arcu Circuli, cujus diameter est AC: per *Euclid.* 3. 9. ac proinde summa angulorum *CBc*, *CDc*, hoc est angulus *Dcd*, erit momentum anguli *ACD*, vel *ACB*; anguli autem isti *CBc*, *Dcd*, cum minimi sint, sunt inter se ut latera sibi opposita, sive ut *cD* vel *CD* ad *BD*, hoc est, ut segmenta Basis reciproce. *Q. E. D.* Quod si angulus uterque *B* & *C* fuerit acutus, eodem modo demonstrabitur Lemma mutatis mutandis.

Coroll. Hinc consequitur, momenta angulorum ad Basin esse inter se, ut sunt Tangentes angulorum ipsorum directe.

Hoc Lemmate muniti facili negotio cujusvis Iridis diametrum
TAB. VIII. vel constructione Geometrica vel calculo obtinere licet. Exposi-
Fig. 5. ta enim linea quavis recta *CA* (Fig. 5.) dividatur primum in *D*, ita ut *CA* sit ad *CD* in ratione refractionis, quæ in *Aqua* fit, ut 250 ad 187, sive accuratius ut 529 ad 396. Deinde dividatur *CA* in *E*, ita ut *CE* sit ad *AE* ut Unitas ad numerum Reflexionum, quas patitur radius Solis ad Iridem propositam producendam idoneus; ac diametro *AE* describatur semicirculus *ABE*, ac centro *C* radio *CD* duc arcum *BD*, semicirculo *ABE* in puncto *B* occurrentem: Ductis denique rectis *CB*, *AB*, demittatur in *AB* productam perpendicularis *CF*, eique parallela *EB*; Dico angulum *CBF* esse angulum Incidentiæ, ac angulum *CAB* esse angulum refractum, quos quærimus, quique producent Iridem propositam.

Demonstratio. Cum Triangula ACF, AEB sint similia, erit AF ad BF ut AC ad EC, hoc est ut numerus Reflexionum Unitate auctus ad Unitatem, per Constructionem; ac proinde momentum anguli CBF erit ad momentum anguli CAF in eadem ratione, per Lemma præcedens. Sed sinus anguli CBF est ad sinum anguli CAF, in ratione laterum CA, CB, hoc est in ratione refractionis datæ; etiam per constructionem. Angulus itaque Inciden-

dentiæ CBF habet angulum refractum, sibi respondentem CAF, eorumque momenta sunt in ratione proposita, quocirca sunt anguli quæsiti. Q. E. D. Jamque multiplicando angulum refractum per numerum Reflexionum Unitate auctum, & e facto subducendo angulum Incidentiæ, habebitur Semissis distantiæ Iridis a Sole, si numerus reflexionum fuerit par, vel a Solis opposito, si fuerit impar, prout jam diximus.

Hinc Constructione satis concinna, nec ineleganti, omnium ordine Iridum Incidentias Synoptice exhibere possumus, in quolibet Liquore cujus refractio cognita est. Si enim linea exposita AC Fig. 5. dividatur bifariam in *E*, trifariam in *e*, quadrifariam in *ε*, ac quinquifariam in *η*, &c. ac diametris *AE*, *Ae*, A*ε*, A*η*, describantur semicirculi *ABE*, *Abe*, *Aβε*, A*vη*; Quibus omnibus occurrat arcus circularis *DBbβv*, centro C radio CD descriptus (qui sit ad AG in ratione refractionis data) in punctis *B*, *b*, *β*, *v*; dico quod ductæ lineæ *AB*, *Ab*, *Aβ*, *Av*, constituent cum linea AC angulos *CAB*, *CAb*, *CAβ*, *CAv* æquales angulis refractis, ac cum radiis *CB*, *Cb*, *Cβ*, *Cv*, respective, angulos æquales angulis Incidentiæ requisitis, nempe ABC, vel potius ejus complementum ad semicirculum, pro Primaria Iride, *AbC* pro Secundaria, *AβC* pro Tertia, ac *AvC* pro Quarta: & sic deinceps.

Quod si cui calculo accurato hos angulos investigare libeat, ex eodem fonte facile eruet Lector Analysta, quod posito radio $= 1$, ac ratione refractionis ut r ad s, Sinus Incidentiæ erit $\sqrt{\frac{4}{3} - \frac{1rr}{3ss}}$, sinus vero anguli refracti $\sqrt{\frac{4}{3}\frac{ss}{rr} - \frac{1}{3}}$, a quibus angulis provenit Iris Primaria. Pro Secundaria vero $\sqrt{\frac{9}{8} - \frac{1rr}{8ss}}$ erit sinus Incidentiæ, ac sinus anguli refracti $\sqrt{\frac{9}{8}\frac{ss}{rr} - \frac{1}{8}}$. Pro Tertia sinus Incidentiæ erit $\sqrt{\frac{16}{15} - \frac{1rr}{15ss}}$, Sinus refracti Anguli $\sqrt{\frac{16ss}{15rr} - \frac{1}{15}}$. Radii autem Lucis in Iridem Quartam emergentes in guttulas incidunt cum angulo cujus Sinus est $\sqrt{\frac{25}{24} - \frac{1rr}{24ss}}$: angulus autem re-

fra-

fractus ſinum habet $\sqrt{\frac{25ss}{24rr} - \frac{1}{24}}$. & ſic de cæteris. Invenies autem ſuſcepto calculo, admiſſa ratione Carteſiana, Iridem primariam diſtare ab oppoſito Solis 41°. 30′, Secundariam 51°. 55′ ab eodem oppoſito. Tertiam vero 40°. 20′, ac Quartam 45°. 33′ ab ipſo Sole, quas neſcio an unquam aliquis videre poſſit ob cauſas jam dictas. Atque hæc de Magnitudine Iridum in guttulis perſpicuis Fluidi, cujus vires refractivæ innoteſcant, dicta ſunto. Reſtat, ut nonnulla adjiciam de coloribus, quibus pinguntur Irides, eorumque ordine in ſingulis, variata ſcilicet refractione per omnes gradus poſſibiles.

Sciendum autem imprimis docuiſſe ſagaciſſimum Dm. *Newtonum* evidentibus experimentis, Luminis Radios non ſimplices ac uniformes e corpore luminoſo egredi, ſed conſtare *Lucem* albam puramque quam conſpicimus, ex omnigenarum colorum corpuſculis, motu rapidiſſimo inter ſe commixtis: Rerumque colores oriri ſecundum diverſas earum diſpoſitiones ad refringendam vel reflectendam peculiarem aliquam *Lucis* ſpeciem: Hoc maxime probari a refractionibus, quibus ſeparantur hæ ſpecies, cum ſcilicet *Lux Cærulea* vel *Purpurea*, in eodem perſpicuo, aliquanto plus refringatur, quam *Flava* vel *Coccinea*. Adeat autem Lector Epiſtolas Viri Clariſſimi (Num. 80. & ſeqq. Phil. Tranſact.) unde ſumma cum voluptate ex ſpecimine capiat, quantus in hoc de Luce argumento excutiendo Author ſit futurus.

Noſtro autem negotio ſufficit *Lumen* omne generis *Cærulei* paulo plus refringi quam *Lumen* quodvis *Rubens*, a qua differentia oritur Latitudo Iridum, obſervatione quidem ægre definienda, ob incertos colorum in nube limites. Quo autem majoris eſt inæqualitatis ratio inter CA & CD, ſive quo major eſt refractio, eo major provenit diſtantia Iridis cujusvis a Sole, adeoque ſemper Iridum limites a Sole remotiores purpureo colore fulgent, propiores vero ſpiſſe rubent: uti ſemper videre eſt in Iride Primaria, quæ quidem evaneſcit in oppoſito Solis, ſi ſinus Incidentiæ fuerit ad Sinum anguli refracti ſicut CA ad CE ſive ut 2 ad 1: Quod ſi major fuerit ratio illa, nulla omnino conſpici poteſt Iris Primaria.

Secundariam autem Iridem notandum eſt in oppoſito Solis

in

punctum abire, quoties ratio refractionis fuerit; ut 1 ad $\sqrt{un\frac{1}{3}} +$ $\sqrt{\frac{4}{27}}$, five ut 1 ad, 0,847487... Inde vero ad Solem ipsum recurrere, ibique evanescere, si dicta ratio fuerit ut 3 ad 1, sive ut C A ad *Ce*. Intermediis vero rationibus (quales habentur in omnibus Fluidis notis, Aere excepto) quo major est ratio, eo plus distat Iris ab Opposito Solis, vel potius a Sole ipso, numerato ultra semicirculum arcu : ac proinde Colores diverso a Primaria ordine reperiri videbuntur, in his recursibus, nisi hoc in sensu sumatur distantia Iridum a Sole : quod quidem ubique in cæteris observandum.

Tertia Iris in opposito Solis confunditur, existente ratione Refractionis ut 1 ad ,91855... indeque ad Solem recurrit in ratione 1 ad ,68250... Unde iterum, restituto Colorum ordine, in ratione 4 ad 1, sive ut C A ad C ε, desinit in Solis Opposito. Iris autem Quarta a Sole incipiens in ratione æqualitatis, ad oppositum ejus transit in ratione 1 ad ,94895... indeque ad Solem regreditur, si ratio fuerit ut 5 ad 4. Hinc iterum spargitur ad Solis Oppositum in ratione 1 ad ,56337..., quo spatio clauduntur omnium Fluidorum refractiones notæ. Denique ratione existente ut 5 ad 1 sive ut C A ad C η, in ipso Sole evanescit. Coloribus ubique quoad visum inversis in regressu ad Solem, uti rectis in egressu.

Hinc in Nimbis Aqueis, Primaria ac Quarta Iris coccineos Colores Soli objiciunt: Secundaria vero ac Tertia purpureos. Sed in his describendis fortasse nimius sum, cum Iris ipsa nihil aliud sit quam Phantasma momentaneum.

Unde autem oriatur diversa Fluidorum vis refractiva, non levis momenti Problema est, interque arcana Naturæ, nondum sensibus nec ratiociniis nostris objecta, merito censendum : Aqua etenim pura, inter Fluida omnium minime Radios Lucis refringit; ac Salibus quibusvis solutis imbuta, secundum quantitatem Salis pondusque suum, auget Refractiones : ac Spiritus corrosivi Aqua multo graviores, etiam Radios Lucis multo plus detorquent; nec mirum, cum Corpora densiora sint, eoque magis Luminis transitus obstruere concipi possunt; Cur autem in Spiritibus ardentibus aut Oleis quibusvis reperiatur tanta refractio, præsertim in Sp. Terebinthinæ aut Vini, cum Fluida sint respectu Aquæ admodum levia, ac particulis æthereis plurimum constantia, pari argumento non patet:

tet: Sed Luminis ac Materiæ ipſius interiorem cognitionem poſtulare videtur.

Ex data autem Iridis a Sole diſtantia, Refractionis rationem eruere Curioſis anſam præbet obſervandi accuratisſime ac parvo negotio cujusvis Fluidi Refractionem: Si enim ab inferiori parte exilis Cannulæ Vitreæ dependeat Guttula alicujus Fluidi perſpicui, ac Sole prope Horizontem conſtituto ſed fortiter ſplendente, obſervetur ſub quo angulo cum oppoſito Solis in Guttula conſpiciantur Iridis colores, habebitur levi calculo ratio quæſita: Cubica autem eſt æquatio, unica Radice explicabilis, qua ex data Iride Primaria ſupputatur Ratio: nempe $T^3 - 3TTt - 4rrt = 0$, ubi T eſt Tangens anguli Incidentiæ requiſitæ, t autem Tangens ſemisſis diſtantiæ Iridis ab Oppoſito Solis ad Radium $r = 1$: unde juxta *Cardani* Regulas provenit Theorema. viz. *De Cubo ipſius* t *ſubducatur productum ex* 2 t r *in exceſſum Secantis ejusdem arcus ſupra Radium: differentia erit Cubus minor. Eorundem autem ſumma, adjectis* 4 t r r, *erit cubus major. Summa Laterum utriusque Cubi atque ipſius* t *æquabitur Tangenti anguli Incidentiæ, ejusque ſemis erit etiam Tangens anguli refracti*, unde conſtat ratio quam quærimus.

Hujus rei cape Exemplum. In Guttula olei Terebinthinæ obſervatur diſtantia Iridis Primariæ ab Oppoſito Solis 25°: 40′, quæritur ratio refractionis.

t = Tang: 12°. 50′ = 0,2278063
ſ = Secant: ejusdem = 1,0256197
ttt = 0,01182217
ſ − r in 2 tr = 0,01167265

Diff: Cub: minor 0,00014952 $\sqrt[3]{}$. 0,0530773.

Summa 0,02349482
4 t r r 0,91122525

Cubus major 0,93472007 $\sqrt[3]{}$ 0,9777486
t 0,2278063
T =

$T = $ Tang. Incid. 51° .32 1, 2586322
$\frac{1}{2}T = $ Tang. Refr. 52.12. 0,6293161

Denique ut $\sqrt{TT+4}$ ad $\sqrt{TT+1}$ :: ita r ad s :: ita 1 ad ,68026. Quæ quidem ratio proxime accedit ad illam, quam in Vitro ac plurimis Solidis pellucidis experimento inesse constat. Adamas autem non tantum duritie ac pretio Diaphana omnia præcellit, sed etiam hac vi Refractiva; cum sit ratio ejus ut 5 ad 2 proxime, vel rectius ut 100 ad 41. Sed de his fortasse suo loco uberius.

Dum in his scribendis occupatus tenerer, meo hortatu peritissimus Geometra Dominus *de Moivre* similem æquationem pro investiganda ratione e data Iridis Secundariæ semidiametro inquisivit; qua quidem paulo accuratius determinatur ratio, sed cum Biquadratica sit, pari facilitate Calculus non absolvitur: Hæc autem est $T^4 + \frac{8}{3}T^3 t - 2TTrr - \frac{1}{3}r^4 = 0$ Ubi T est Tangens anguli Refracti, t Tangens semissis distantiæ Iridis ab opposito Solis ad Radium $r = 1$. Hæc autem æquatio ejus formæ est, ut semper Affirmativa una ac una Negativa radice explicari possit, quarum altera ac Minor est Tangens anguli Refracti, in Regressu ad Solem, *viz.* cum Purpurei Colores Soli propiores sunt. Major autem Radix est Tangens anguli Refracti, in Iride a Sole egrediente, ut supra observavimus, nempe in Fluido minoris rationis. In Oleo Terebinthinæ observatur distantia hujus Iridis ab Opposito Solis 81° 30'; ac — 2, 98131.. Tangentes angulorum Refractorum; hinc supputatur Ratio majoris inæqualitatis ut 1 ad 0, 67995.. qualis est in Oleo Terebinthinæ: A Majori autem Radice provenit ratio minor, ut 1 ad 0, 9540 proxime, quanta daretur in Fluido Iridem secundariam ejusdem diametri exhibente, sed quæ Rubentibus coloribus more Primariæ Solem respiceret.

Si cui libeat Constructione Geometrica has radices inquirere, data quavis Parabola facilius efficitur, quam ut opus sit repetere, quæ N° 188 Phil. Transf. de ea re prodidi. Derivatur autem utraque Æquatio ex præmissis, simulque e Regulis pro Tangentibus arcus Dupli ac Tripli, quod indicasse mediocriter exercitato loco demonstrationis est.

Hac dissertatione jam prælo commissa, mihi ad manus venit,

 bene-

beneficio Amici, Liber cui titulus *Thaumantiadis Thaumasia*, sub præsidio Domini *Chr. Sturmii*, *Noribergæ anno* 1699 editus, quo quicquid uspiam de hoc argumento, tam apud Modernos quam Veteres reperiatur, collegisse videtur Scriptor solertissimus: Computumque *Cartesii*, *Eckardi*, *Honorati Fabri* ac *Mariotti* subjungit, ac illustrat. Unde clarum est, cæteros parum aut nihil *Cartesii* inventa auxisse, iisdem Calculi methodis tentativis ac parum Geometricis innixos. Ut autem sentiat Lector æquus, qualia in doctrina Iridis a me præstita sint, vellem Librum prædictum perlegat, ac cum nostris conferat; ne in his edendis, actum agere, Crambenque recoctam apponere videar. Quantos autem præbeat usus in Astronomicis Lemma hoc nostrum, alia data occasione commonstrabitur.

A PARAPHRASE AND COMMENTARY UPON Epistles of the New Testament.

id est,

COMMENTARIUS ET PARAPHRASIS IN OMNES Novi Testamenti Epistolas, Auctore DANIELE WHITBY, Th. D. & Ecclesiæ Sarisberiensis Cantore.

Londini apud W. Bowyer & Jo. Churchill, 1700, in fol.
Constat 8. Alphab. 10. plag.

HIc Commentarius in omnes Novi Testamenti Epistolas, qui Reverendo in Christo Patri, Gilberto Episcopo Sarisberiensi inscriptus est, prius lucem publicam adspexisset, nisi illum animadversiones a Clarissimo Clerico ante tres, & quod excurrit, annos in Hammondi Paraphrasin Novi Testamenti editæ retardassent; in quibus cum plurima sententiæ suæ contraria invenisse sibi visus esset Doctissimus Auctor, ea hoc in opere notare, & quoties occasio tulit, argumentis refellere non dubitavit. Ita vero in eo scriptionis genere versatur, ut in collocandis epistolis temporis, quo scriptæ fuisse videntur, ordinem secutus, singula non modo erudita paraphrasi explicet, sed etiam vocum ac phrasium emphasin sedulo declaret, loca parallela sæpius addat, difficultates, quæ circa explicationem aliquan-

quando emergere ſolent, tollere admodum ſtudeat. Ab Hammondo, quem multa, quæ in Epiſtolis Paulinis continentur, ad Gnoſticorum hæreſin, & urbis Hieroſolymæ everſionem, ſine cauſa retuliſſe dicit, ſæpius diſſentit; & quamvis in animo habuerit, varias lectiones, quas Rev. D. *Mills* in ſua Novi Teſtamenti editione ſummo ſtudio collegit, addere easque diligenter examinare, conſilium tamen ſuum mutare coactus fuit, quod illius editionis, cujus exemplaria adhuc apud Auctorem latent, compos fieri haut potuit.

Ceterum præter tres indices ad calcem operis adjectos, quorum primus particulas atque vocabula Græca, alter loquendi formulas, tertius res memoratu dignas complectitur, variæ in hoc Commentario leguntur præfationes atque appendices, in quibus multa, quæ ad res divinas pertinent, erudite Auctor exponit. Ut enim generalem totique operi præfixam præfationem, in qua divinam Novi Teſtamenti Epiſtolarum auctoritatem, & fidei Chriſtianæ veritatem prolixe confirmat, jam taceamus; priori ad Corinthios epiſtolæ diſſertationem præmiſit, qua ejusdem corporis reſurrectionem adſerit, & contra diſſentientes probat; epiſtolæ ad Galatas præfationem de fidei natura, & quæ per eam effici ſolet, juſtificatione præpoſuit; epiſtolam ad Theſſalonicenſes antequam explicet, quædam de Homine peccati præfatur; epiſtolam ad Titum diſſertatio de Timothei & Titi epiſcopali dignitate, nec non Epiſcoporum in eccleſiis Chriſtianis ſucceſſione præcedit; denique ante S. Joannis epiſtolam disquiritur, num illa propoſitio, Jeſum eſſe Meſſiam, ad hominem ſalvandum ſufficiat. Appendices ſunt numero quatuor, quarum prior, XI capiti epiſtolæ ad Romanos ſubjuncta, generalem Judæorum ad religionem Chriſtianam converſionem futuram eſſe docet; ſecunda VI capiti ſecundæ epiſtolæ ad Corinthios annexa, in præſtandis hominum officiis divinæ cooperationis neceſſitatem probat, ejusque modum ac rationem explicat; tertia primo capiti ſecundæ, ad Theſſalonicenſes epiſtolæ addita, pœnarum infernalium æternitatem cum juſtitia ac miſericordia Dei minime pugnare oſtendit; quarta denique, quæ in totius Commentarii fine legitur, de millennio, cujus Apocalypſeos XX capite fit mentio, conſcripta eſt.

Ne vero Lector rationis, qua in tractandis rebus Auctor utitur, expers plane atque ignarus ſit, ex appendice tum prima, tum etiam

iam

jam ultima, quædam ſpeciminis loco excerpere lubet. Primam quod attinet, de futura quadam Judæorum ad veram fidem converſione ita Noſter agit, ut eam & a Græcis & a Latinis Patribus quampluri-mis, Chryſoſtomo nimirum, Theodoreto, Gennadio, Photio, Theo-phylacto, Origene, Hilario, Primaſio, Sedulio, Cyrillo, Hiero-nymo aliisque adſertione adprobatam fuiſſe, prolixe oſtendat, & ex capite XI Epiſtolæ ad Romanos aptiſſime probari poſſe pronunciet. Hac de cauſa ceteras verborum Pauli expoſitiones, quæ a variis adferri ſolent, refellit, & primum quidem ea cum Lightfooto aliisque interpretibus de ſpirituali Iſraele explicari poſſe propterea negat, quod & converſionem illam Gentilibus miraculum fore dicatur, & certum illius tempus definiatur, & ſpirituali Iſraeli Judæorum gens claris verbis opponatur. Deinde cum Hammondi ſententiam, qui etiam hunc Pauli locum de futura Judæorum converſione rite explicari poſſe negat, multis verbis pariter rejeciſſet, varia adfert argumenta, quibus ſuæ opinioni robur addere ſatagit. Ad priſca ſcilicet vaticinia de vaſtiſſimo Servatoris noſtri regno, quæ Pſ. II, 8. Dan. VII, 14. 27. Dan, II, 34. 35. Mich. V, 4. Zach. XIV, 9. Pſ. LXXII, 8 & alibi inveniuntur, provocans, ea, cum maxima orbis pars non Chriſtianorum, ſed Muhamedanorum Gentiliumque doctrinæ adhæreat, nondum impleta eſſe opinatur, atque adeo fore adhuc ante ſeculi finem tempus quoddam concludit, quo Chriſtus omnes gentes ac nationes inſtar fortiſſimi Herois ſibi ſit ſubjecturus. His latius expoſitis, iſtas imprimis urget prophetias, quibus ejusmodi bona Judæis promittuntur, qualia aut plane nondum, aut imperfecte ſolum ſint experti. Recenſet propterea plurima, quæ huc pertinere videntur, loca ex Jeſ. LIV, 9. 10. LX, 15. 18. 19. 20. LXI, 7 8. LXII, 4. 12. LXV, 19. LXVI, 22. Jerem. XXXII, 39. 40. Ezech. XXXIV, 28. 29. XXXVII, 25. 26. aliisque Prophetarum dictis deſumta, illaque nec de liberatione ex Babylonica captivitate, nec de reliquiis Judæorum, jam Apoſtolorum tempore converſis, explicari poſſe, variis argumentis oſtendere nititur.

Hæc ex prima appendice breviter adduxiſſe ſufficiat; jam ad ultimam progredimur, in qua Auctor millennium illud, de quo Joannes in capite Apocalypſeos XX loquitur, non regnum quoddam in his terris hominum ex mortuis reſuſcitatorum, ſed florentiſſima Eccleſiæ tempora, poſt Judæorum ceterarumque gentium converſio-

nem

nem per mille annos duratura, respicere, quatuor capitibus demonstrare contendit. In capite nimirum primo doctrinam de Chiliasmo in primitiva Ecclesia communi omnium consensu nunquam fuisse adprobatam docet; ideoque non modo priscorum quorundam Patrum, ut Justini Martyris, Irenæi, Origenis, Eusebii & Stephani Gobari apud Photium, testimonia in medium profert, sed illam quoque primis Ecclesiæ temporibus non ignotam distinctionem memorat, qua Doctores in ἀλληγοριστάς, quod millennium negarent, locaque pro eo adducta allegorice explicarent, & in solius literæ discipulos, quod claram literam sequerentur & Chiliasmum adeo statuerent, distinguebantur. Hinc postquam istam de regno mille annorum sententiam, non Apostolorum traditioni, sed Judæorum lacunis potius, e quibus Papias eam hauserit, originem debere innuisset; tantam inter recentiores & antiquos Chiliasmi propugnatores differentiam esse ait, ut illorum opinio vix ullo antiquitatis suffragio niti videatur. Cum enim antiqui Chiliastæ statuerint, fore ut Hierosolymæ cum templo instaurentur, & illi, ad quos regnum istud pertineat, in Judæa habitent; ut non modo martyres, sed omnes pii resurgant; ut ipse Christus visibili modo in terra regnet; ut fideles externis varii generis deliciis fruantur, imo sobolis procreationi dent operam: ab his omnibus hodiernos Chiliastas dissentire monstrat, miraturque, doctissimos viros in propugnando Chiliasmo ad Scripturæ testimonia & Patrum auctoritatem provocare, & tamen tum antiquorum circa istam doctrinam placita, tum ea quæ ex Scripturæ dictis secundum literam expositis fluunt, rejicere. In secundo capite, quantum sententia, quam ipse de Chiliasmo fovet, & ab antiquis & a recentioribus illius defensoribus differat, Auctor exponit. Ita scilicet existimat, post Antichristi lapsum futura esse tranquillissima & florentissima Ecclesiæ tempora, quibus Christus Judæis pariter atque Gentibus sit dominaturus, & Ecclesia dulcissima pace & omnium rerum abundantia sit usura. Quæ dum adserit, in his se cum Chiliastis ceteris convenire ait, quod & Satanam nec dum vinctum fuisse, nec ante Judæorum conversionem & illud millennium, cujus Joannes meminit, vinciendum esse adfirmet, & post Antichristi demum interitum halcyonia illa Ecclesiæ expectanda esse credat. Dum vero Christum visibili ratione olim regnaturum in hoc mundo esse

ne-

neget; dum opinionem de templo instaurando, ut pote quæ dicto Apocal. XXI, 22, & totius epistolæ ad Hebræos fini repugnet, plane improbet; dum denique non eos, quos Gentiles, aut etiam Antichristus persecuti fuerunt, sed Judæos & Ethnicos ad fidem Christianam conversos regni illius cives faciat, à reliquis millennii patronis dissentire se profitetur. His omnibus latius expositis, in capite tertio quævis Chiliastarum, a quibus ipse dissentit, argumenta diligenter examinat, & inprimis illud, quod ex Apocal. XX, 4. 5. 6 desumi solet, summo studio refellit. In capite quarto illud agit, ut Chiliasmum, qui crassior adpellari consuevit, variis, quæ in sacris litteris proponantur, doctrinis adversari evincat. Ita enim repugnare illum ait animarum separatarum conditioni, quæ uti felicissima, ac omni beatitudinis genere sit adfluens, ita illas terrenæ felicitatis causa iterum in mundum esse redituras, plane non probabile videri; in nullo Scripturæ loco, ubi resurrectio atque judicium extremum clarissime describatur, primæ aut secundæ resurrectionis mentionem fieri; corpora resurgentium fore gloriosa, immortalia ac incorruptibilia, nec apta adeo ejusmodi voluptati, qualem Chiliastæ fingant; dici etiam Christum de cœlo tempore resurrectionis esse venturum, quod ipsum tamen affirmari non posset, si jam antea mille annos cum fidelibus in hisce terris ipse regnasset. Cum præterea Apostolus 1 Cor. XV, 52 mortuos resurrecturos esse in momento temporis pronunciet, cum hac ratione primam corporis resurrectionem, quæ secundam mille annos antecedat, excludere penitus dicit, ac denique doctrinam millenariorum cum religionis Christianæ natura nequaquam consistere posse docet, quod Christiani mundo illiusque voluptatibus mortui esse debeant, quibus tamen illi adfluere dicantur, qui a quibusdam in his terris cum Christo fingantur regnaturi.

A DEMONSTRATION OF THE EXISTENCE AND Providence of God.

id est,

DEMONSTRATIO EXISTENTIÆ ATQUE PROvidentiæ Dei, e contemplatione visibilis structuræ majoris & minoris Mundi hausta. Auctore JOH. EDWARDS.

Lon-

Londini apud Joh. Robinson, 1696, in 8. Alph. 1. plag. 6.

INdigne ferens Clarissimus Auctor, præter alia, quæ Christianam religionem affligunt, inprimis Atheismum pestiferum virus suum hic illic disseminare, & quod longe adhuc indignius, ab ingeniosis quoque viris adstrui, & ab iis, qui maximi rationis sanæ magistri esse volunt, ceu luem perniciosissimam non sine industria propagari; quanquam ab inutilibus pugnis multum abhorreat, hanc tamen iniri maxime necessarium ratus, e visibilium rerum contemplatione principia Atheismi pessima destructum it. Equidem Atheos se hoc suo scripto convicturum omnino desperat, hocque esse Æthiopem lavare ait: sed tamen ad reprimendos ulteriores fermenti Tartarei progressus, & ad confundendam impiorum insolentiam, obstruendaque eorundem effugia, se momenti aliquid attulisse confidit. Præcipue vero scripsisse etiam se addit, ut confirmentur in recepta semel sancta religione fideles, & ut ex accurata majoris minorisque mundi contemplatione eo certius providentiam divinam & agnoscant, & debito venerationis cultu adorent. Hoc igitur ut obtineat, primo generatim ex harmonia totius universi, rerumque, quæ in eo sunt, admiranda compage, tum & e rerum finibus certo destinatis, esse Deum aliquem demonstrat: Cartesii simul mechanismum refellens, quem invictis argumentis ab Henr. Moro confutatum ait. Illud vero, quod Cartesius rerum fines homini nonnisi ex revelatione cognitos asseruerat, a Rob. Boyleo in specimine Notionis Naturæ strenue profligatum asserit. Inde speciatim ad corpora primum cœlestia descendens, a Sole incipit, cujus motum late c. II contra Copernicanos defendit: horumque sectam non tam ob suorum dogmatum veritatem aut verisimilitudinem prævaluisse persuasus est, quam potius ob auctoritatem virorum quorundam doctrina aut dignitate eminentium; quibus dum complacere alii studuerint, ejectis hypothesibus priscis, novas, ut fit, seculi morem induisse. Tum de obliquo Solis cursu, de motu & influxu Lunæ, planetarum, fixarumque stellarum, harum numero, magnitudine admirandisque ceteris ita agit, ut sublimem inde Opificem ostendat c. III. Spatium, quod inter cœlum & terram interest, & quæ in eo sunt, aër, venti, nubes, &c. capite IV sub examen veniunt: ubi, cum inter alia per aquas supra expansum Gen. I, 17, nihil aliud quam nubes intelligi Au-

ctor monuisset, Thom. Burnetium perstringit, quod in Archæologia Philos. Mosen propterea aquarum supra expansum mentionem fecisse scribat, ut captui vulgi se accommodaret, cui Deus e certo quodam aquarum receptaculo pluvias demittere videatur. Hoc vero nihil aliud esse, quam divinam veritatem risui profano exponere, ait Eduardus, eique proin assertioni ut parum Christianæ succenset. Prolixius adhuc c. V, quod de terra est, eundem Burnetium confutat. Nam diversam hic in Theoria Telluris & longe aliam esse terram putat, quæ nunc est, quam quæ fuit olim Paradisiaca; prout in Actis nostris A. 1682. p. 71. e libro illo retulimus. Eduardus autem primo sibi ipsi contrariari Burnetium animadvertit; quippe qui libro II Theoriæ scribat, habuisse terram Paradisiacam zonam torridam suam, & hominibus ob nimium Solis ardorem inaccessam: deinde multis rationibus Burnetianam hypothesin impugnat. Sexto capite vegetabilia scrutatur, & in iis quoque manifesto deprehendi Deum Opificem sibi demonstrandum sumit. Tum c. VII transit ad mineralia, & de Magnete disserens, Cartesianam explodit de virtutibus ejus redditam rationem, ut fabulosam & fictam; creditque Deum pro sua sapientia ordinasse, ut nesciretur causa mirandorum effectuum naturæ, quo magis accenderentur animi ad scrutandum & amplectendum id, quod supra naturam Numen omnia struens est. Eodem quoque situ & ordine jacere singula credit, quo fuere ante diluvium, ut hac ratione non Burnetii solum de dissolutione telluris opinionem evertat, sed & Woodwardi, (cujus Naturalem Telluris Historiam alias magni æstimat) qui hac in re cum Burnetio ferme conspirat, & quicquid mineralium metallique in visceribus terræ reperitur, novæ post diluvium constipationi telluris acceptum ferri debere arbitratur. Opponit Auctor, non id sapientiæ nec prudentiæ Divinæ congruum videri, dissolvere, quod summo artificio primitus ab eadem fabricatum est, novumque prorsus globum struere. Non negat equidem, magnas hic illic orbem per diluvium esse mutationes passum: ast ita penitus mutatum, ut sursum deorsum versis & in frusta confractis omnibus, nova compage indiguerit, quod Woodwardo visum, multis rationibus negat. A tellure ad Oceanum pergit, amplissimum providentiæ Divinæ testem, c. VIII. Æstum ejus diurnum juxta varias variorum opiniones examinat: aliis a Sole, a Luna pluribus, nonnullis a Tellure

mo-

motuum ſtupendorum cauſas repetentibus. Omnibus tamen opponi dubia poſſe inextricabilia, ſimul monet: concluditque adeo, non naturalem, ſed ſupernaturalem eſſe hujus rei cauſam agnoſcendam, nempe Dei potentiam. Non rejicit quidem omnem cauſarum ſecundarum inveſtigationem; imo potius digniſſimum ratione humana cenſet, abſtruſiſſima quæque naturæ ſecreta ſummo ſtudio inquirere. verum, ubi confundi potentiam noſtri ratiocinii, & infirmam reddi imparemque aſſequendis effectuum cauſis naturalibus videmus, ibi altius, agnita noſtrarum in colligendo virium imbecillitate, ad perfectisſimam Creatoris omnipotentis ſapientiam aſcendendum, merito utique obſervat. Eodem capite Burnetium denuo caſtigat, quod primigeniam tellurem mari omnino caruiſſe aſſeruit, cui tamen aſſertioni & Scripturam & rationem contrariari monſtrat. Hinc ad animalia ſenſibus inſtructa c. IX pergit, terreſtria, aquatilia, aëria. In his præcipue mirandam Creatoris ſapientiam elucere, e tanto infinitorum pene generum numero; ex uſu, quem hominibus præſtant; e ſingulorum virtutibus aliiſque rationibus multis demonſtratum dat. Quinimo & inſectis teſtimonia fabricantis Dei manifeſta ineſſe, capite X evincit; ex apibus imprimis, bombycibus & formicis, quibus digne conſiderandis pluſculum operæ impendit. Longe magis adhuc Deum opificem ſe prodere in partibus organisque animalium apte diſpoſitis, in ſenſibus quibus pollent, in inſtinctu ad propagandum genus ſuum, & præcipue in ſagacitate nonnullorum eximia, XI capite probatur. Refutantur præterea, qui nimium iſti brutorum ſagacitati tribuentes, ratione illa pollere contendunt, & meros ſenſuum inſtinctus eſſe & ſimulacra rationis, ad agnoſcendum Numen ſoli homini datæ, potius adſtruitur. Solvitur deinde objectio, quæ a certis animalium generibus & inſectis, quæ non ſolum uſui nulli, ſed & damno eſſe videntur, contra ſapientiam Creatoris deſumi ſolet. Reſpondetur, non propterea nullum iſtiusmodi animalium uſum fore, ſi nos illum neſciamus: nec deeſſe etiam uſus, quibus illa inſerviant, dum nempe partim aliis animalibus pabulum præbeant, partim ipſimet homini medicinæ loco ſint, tum & ad patientiam illum atque tolerantiam in adverſis, noxiis quandoque plagis ſuis inſtigent, juſtitiæ divinæ teſtes noſtrorumque peccatorum monitores &c. Tandem cap. XII uſqs hoc de

de Universi, & quæ in eo sunt, structura argumento, ad existentiam Dei summi demonstrandam, scriptores sacros, ecclesiasticos, & profanos ostenditur; deductis inde tribus conclusis. 1. Teneri nos ad agnoscendum in visibilibus confitendumque invisibilem Deum; 2. instigari nos ad sobriam creaturarum operumque naturæ contemplationem; & per hanc 3. non ad agnoscendum solum Divinum Numen adduci, sed & ad venerandum Creatorem illum omnipotentem, & ad vitam penitus ipsi devovendam.

Perducta hunc in modum ad finem priori tractatus parte, quæ ex majoris mundi, seu totius universi contemplatione, Deum esse & venerandum demonstravit: posteriore ad minorem mundum progreditur, id est, ex admiranda partium hominis structura idem late non minus ac pie & accurate ostendit. Nolumus vero, quæ ille sigillatim de partibus corporis humani totis sex capitibus fuse deduxit, hic excerpere; cum instituto nostro magis conveniat, indicasse scopum, quam male truncatam argumentorum seriem divellere. Potius caput ultimum excerpemus, in quo commune crimen, quo vulgo Physici doctores Atheismi postulantur, Eduardus sub incudem vocavit, ne scilicet hoc veritati suarum demonstrationum e physicis deductarum obesset. Falso autem id iis impingi non dubitat, & in originem antiquissimæ criminationis inquirens, varias ejus causas refert. Primo vetustum admodum præjudicium agnoscit, quod Platonem induxerit, ad illos e sua republica eliminandos; quod Censorium Catonem juratum eorundem hostem fecerit; quod Judæorum celebrem magistrum R. Jehudam adegerit, ut optimo Physicorum tartareos cruciatus adjudicaret; quod demum Christianos quamplurimos omni modo ab eorum consortio atque ope avertat: cum tamen nonnisi impostores aliqui nomen insigne mentientes credulitati hominum imposuerint; ut male de omnibus præjudicium formarint, loco judicii, quod de paucis ferendum fuerat. Deinde vitio verti Physicis agnoscit superficiariam animæ ægrotorum curam, si vel maxime desperatam rem videant. Enimvero, quanquam laudandum in Medico Christiano ducat Auctor, spiritualibus quoque pharmacis ægroto, si desit Minister Ecclesiæ, providere: non tamen id ejus officii rationem postulare fatetur; adeoque magis consultum ducit, ut in casu tali propinquorum alicui una adstanti Medicus commonen-

monendi ægri solandive officium demandet. Porro illam objectionem diluit, qua character Physici cum Horatio describi solet

Parcus Deorum cultor & infrequens;

ob frequentatos rariuscule publicorum conventuum cœtus. Ast vero, si Christiani amoris opus eo tempore Medicus peragat, ægrotumque sanet, non magis profecto illum accusari posse monet Eduardus, quam Christum, cum sanitati Sabbatho ægrum restituisset. Conversationem crebram cum iis, qui se Atheos profitentur, & pessimo quoque more vivunt, Physicis objectam Noster ita declinat, ut illos, qui turpis lucelli spe frequenter monstris istiusmodi non adsunt modo, sed & stultitiæ illorum ac furori applaudunt, distinguat ab iis, qui vel declinandis vel depellendis solummodo morbis rogati adsunt: illis nimio vile lucrum constare largitur; hos æque excusandos ducit, ac Ministros Ecclesiæ, si officii sibi demandati munia expleturi pessimos quosque adeant, ut a vesania illos ad mentem saniorem reducant, Christum imitati, cum publicanis atque peccatoribus cœnantem. Demum infirmissimam explodit collectionem, qua nonnulli ἀθεότητος grave crimen in Physicos propterea devolvendum existimant, quod nimis multa sit apud eos philosophia, mentio corporum, & causarum secundarum, e quibus effectus rerum deducant; non item causæ primæ & supernaturalis. Non pugnare hæc invicem Auctor probe monet, sed potius ad agnoscendam primam omnium rerum causam omnipotentem, secundarum accuratam investigationem manuducere, ut eo firmius persuasi devotis exinde meditationibus potentiam Creatoris & sapientiam venerentur. Quod vero exempla Physicorum, qui se fœda Atheismi macula polluerint, concernat, nondum ea quicquam evincere. Vel enim agyrtas quandoque, qui se pro medicis obtrudunt atheique sunt, male physicis annumerari: vel, si etiam inter hos sint, qui jure horrendi ejus criminis postulentur, non hoc universo ordini adscribendum, non arti: quemadmodum inique quis JCtos aut Theologos in eandem suspicionem adduceret, ob paucos quosdam merito turpi stigmate notatos. Non deesse certe Physicis viros pios devotosque: Lucam præcipuum suæ artis decus; Galenum, licet de Mose & Christo infeliciter sentientem, in sua tamen religione probum; e recentioribus Gesnerum, Sennertum, Bauhinum, Willisium, Boyleum,

qui postremus testamento Theologum professorem suo sumtu constituerit, sanctam religionem contra adversarios, & præcipue contra Atheos summo, quo possit fieri, molimine defensurum. His ita recensitis, breviter, quam ad moralem philosophiam & ad Spiritus summe sapientis apprehensionem præ ceteris physica manuducat, repetit, totique scripto colophonem imponit.

GEORGII WOLFGANGI WEDELII EXERCITATIONUM Medico-Philologicarum Decas nona.

Jenæ apud Jo. Bielckium, 1699, in 4. plag. 12.

NOn unum hactenus modum in pertractandis iis, quæ ex Medico foro delibantur, observatum fuisse constat, dum aliis *varias lectiones* placuit edere, ut Reinesio, Casp. Hofmanno, Hieronymo Mercuriali; aliis *per epistolas* quærere & respondere, ut Langio, Ronsæo, Crusio, Beverovicio; aliis *miscellanea Medica* proponere, ut Smetio, *selectave Medica*, ut Lindenio aliisque. Quod dum in præfatione ad novam hanc Exercitationum suarum decadem annotavit Illustris Wedelius, sibi eo magis licitum fore statuit, sub consueto Exercitationum titulo themata varia ulterius delibare. Quemadmodum itaque contenta antecedentium Decadum subinde in his Actis nostris, & ultimo loco octavæ summam A. 1695 p. 501 s. breviter retulimus: ita & circa hanc præsentem eodem modo nostro nunc officio fungemur. In Exercitatione *prima Mosen* Auctor introducit *Chymicum*, & eum, quando aureum vitulum tam promte per ignem destructum iverit, artificem se per ignem probasse asserit, & qua id ratione præstiterit, ulterius declarat. In *secunda mortem Nabalis* considerat, ipsumque ex apoplexia obiisse dicit. In *tertia coronam Christi spineam* ex rubo rosaceo confectam fuisse probat. In *quarta* consilium Medicum laudat, quod Timotheo suppeditavit Paulus, dum *vino* ipsum *modico* adversus stomachi debilitatem uti jusserit. In *quinta* exponit, quibusnam in casibus & morbis Medico æque ac ægro *expectatione* opus sit? In *sexta Mercurium Philosophorum* nec vitriolum esse admittit, nec antimonium, sed Jovem potius in hunc thronum evehi debere contendit, ratumque haberi cupit illud Paracelsicum, unice a metallis, ex metallis, per metalla & cum metallis fieri metalla perfecta. In *septima*

ma famosum illud & nobile *ænigma Sibyllinum*, quod de Dei nomine agere vulgo perhibetur, cujusque initium hoc est: *ἔννεα γράμματ᾽ ἔχω, τετρασύλλαβός εἰμι, νόει με*; potius ad Chymiam trahendum venire, nomenque *κασσίτερος* in eo exhiberi, Jovemque commendari statuit, modo sigma unum resorbeatur, vel cum altero coalescat. In *octava* locum quendam Hippocratis explanat, ubi *aurum operantes tundere istud, lavare, & molli igne liquare* dixerit. In *nona frigus* esse maxime *morbificum* demonstrat. In *decima* denique de *nummis Gothicis* agit, eorumque cum existentiam evincit, tum qualitatem delineat ac differentiam commonstrat. Subnectit præter æneam tabulam nummos ejusmodi plures repræsentantem, sciagraphiam quoque rei nummariæ antiquæ, in qua nummorum antiquorum materiam, modulos, autores, inscriptiones, affectiones, usus in certas classes distribuit, ac singula, quæ huc faciunt, *ὡς ἐν συνόψει* spectanda sistit.

JESUS PUER. POEMA THOMÆ CEVÆ SOC. JESU. JOSEPHO Primo Romanorum Regi sacrum.

Mediolani typis J. P. Malatestæ, 1699, 8. plag. 9.

SYLVÆ THOMÆ CEVÆ SOC. JESU. EXCELLENtissimo Dn. DIDACO PHELIPPEZ de GUZMAN Marchioni de Leganez dedicatæ.

Mediolani typis J. P. Malatestæ, 1699, 8. plag. 5.

Quem Mathematicum insignem proxima Supplementorum horum Sectione pag. 368 exhibuimus, Doctissimum Cevam, non eleganterm minus Poetam duo, quæ nunc producimus, produnt opuscula. Et de primo quidem, quo Jesum puerum Divinitatem suam paulatim Nazarenis manifestantem Epico carmine repræsentat, non est ut plura dicamus, cum non nunc demum prodierit, sed dudum doctorum manibus versetur. Nec dissimulamus, circa sacrosancta hæc & adoranda mysteria fictiones Poëticas parum nobis probari: etsi Auctor quidem se vel Hieronymi Vidæ, qui ipsorum summorum Pontificum, Leonis X & Clementis VII jussu, res a Christo Domino gestas inventis Poëticis epice exornaverit, exemplo facile tuetur. Alterum vero miscellanea poematia complectitur, quæ ante bienni-

um demum junctim luci publicæ fuerunt exposita, omnium applausum non ingenio solum, quod ubique spirant, & venustate sermonis, sed ipsa quoque argumenti varietate promeritura. Jam enim ingeniosos lusus deprehendet Lector, velut primo statim Idyllio (pag. 1) in Fontem delusum, alteroque (pag. 3.) in Rosam hyeme natam, & in Prosopopœia illa (pag. 16.) qua Ensis ferrugineus, armariæ officinæ signum, loquens inducitur. Jam in elegantes Apologos incidet, de Muribus & Fele, (pag. 18.) de Cucurbita & Cedro (pag. 44) & qui non *Thomam* quidem nostrum, sed Fratrem ejus *Christophorum Cevam* e Soc. itidem Jesu auctorem habent, de Pallade & Bombycibus (pag. 64.) de Apibus & Aranea (pag. 70.) Jam illi se, quæ ad historiam literariam spectant, offerent: velut cum (pag. 5.) in Epistola ad Antonium Malleabequium de statua celeberrima militis cogitabundi in Mausoleo veteri Magnorum Ducum Hetruriæ, Laurentii Medicei, Musarum bonarumque artium quondam Patris, memoria recolitur; cum in Epistola ad Nicolaum Jannetasium e Soc. Jesu (pag. 7.) de Lingua Latina & de veterum Imitatione graviter differitur; cum (pag. 13.) ad carmen antiquum alluditur, a Pythœo Jcto quondam in avita bibliotheca repertum & Justo Lipsio dono missum, cui titulus *Pervigilium Veneris*; cum versio Latina Torquati Tassi a Christophoro Ceva adornata (pag. 48.) commendatur; cum (pag. 56.) exponitur, unde Francisci de Lemene, Patritii Laudensis, *Poësis Theologica* originem traxerit; cum (pag. 30.) rationem Auctor reddit, cur librum universam Mathesin continentem sub nomine *Palladis* in lucem emiserit. Tacemus alia: nec enim justum contexere carminum catalogum constituimus. Quin potius speciminis loco paucos subjungimus versiculos, ex carmine in Ventos, quod viro Clarissimo *Antonio Malleabequio* dedicavit, decerptos, quorum acumen nemo non agnoscet, qui noverit, Virum hunc celeberrimum amplissimam possidere bibliothecam, sed nullo ordine dispositam, ac libros tamen omnes sic habere in numerato, ut quemcunque quis desideraverit, promere momento possit; imo, quod majus est, singulorum contenta vasto ingenio complecti, ut *viva ac circumambulans Bibliotheca* dudum salutari ab Eruditis meruerit. Unde ubi de vi ventorum dixit, his carmen Ceva finit:

Si

Si sapis, Antoni, telas aut vitra fenestris
Adde tuis, oro; ne si semel agmine facto
Prædones isti irruerint, fusdeque tuorum
Congeriem immensam vertant rapiantque librorum.
Rides: Nam quamvis dispersa volumina cuncta
Surriperet Boreas, memori tamen omnia mente
In tuto deposta tenes, nilque hæc mea curas
Carmina, quæ frustra in volucres effudimus auras.

CONRADI SAMUELIS SCHURZFLEISCHII Dissertationes Academicæ varii generis.

Vitembergæ apud Jo. Guil. Meyerum, & Gottfr. Zimmermannum, A. 1699, in 4. Alph. 4.

EXhibuimus mense Augusti A. 1697 p. 365 sequ. celeberrimi hujus Polyhistoris Orationes atque Allocutiones; jam quoque ejusdem Dissertationes diversis temporibus scriptas, & justo comprehensas volumine sistimus. Quod quidem eo facimus libentius, quo magis par est, ut limatissima eruditissimi Viri scripta indicentur omnibus, & prorsus ac omnino commendentur. Distinctum vero opus hoc & in septem distributum classes est. I dissertationes laudandi atque gratulandi causa scriptas; II auspicales, quas susceptorum munerum ergo ter separatis temporibus dixit; III eas, quas regendis sapientiæ studiis præfectus (quod officium *Decanatus* nomine vulgo insigniri solet) publicavit; IV encomii testimoniique causa exaratas; V adhortantes & dehortantes; VI funerum ac memoriæ causa evulgatas; VII ad relegationis elogium pertinentes complectitur. In his omnibus cum exquisitum & ad Ciceronis puritatem plane accedens dictionis genus sectatus est: tum vero maxime etiam vastæ suæ lectionis & multiplicis doctrinæ passim documenta dedit. Inprimis legi merentur tres illæ dissertationes auspicales varia eruditione refertissimæ, ex quibus etiam speciminis loco nonnulla adferemus.

Prima, uti ab eo munia Professoris Poeseos ineunte A. 1675 conscripta est: ita de Poësi ejusque antiquitate & usu agit. Nihil equidem de primo ejus cultore definit; illorum tamen rejicit sententias, qui vel a Musæo, vel Calliope, vel cum Jacobo Capello a Lame-

cho Poeticæ originem & laudes arcessunt. Utilitatem vero tantam esse adfirmat, ut vix quisquam eruditorum ea carere possit. Fidem hujus rei allatis exemplis facit, & Parmenidem inprimis a Socrate, Platone, Theodoreto Cyri Episcopo, & Bessarione Cardinali magna diligentia fuisse lectum asserit. Imo Diodorum Siculum, Polybium, Hyginum & plures tales, a nemine nisi in Poetarum lectione versatissimo plene intelligi, & in Cassandra Lycophronis historias inesse a nullo præterquam Poeta explicandas, usu edoctus monet. Uti vero carminum usus apud singulas fere gentes obtinuit: ita Germanos quoque omni tempore, & eo etiam, quo barbariem nondum exuerant, in Poetica studium diligentiamque posuisse existimat. Et quanquam initio vernaculam solam fuerint amplexi, attamen Latinis quoque carminibus operam dedisse, postquam literæ Latinæ migrare trans Alpes, & primo Francorum, deinde Saxonum animos emollire cœperunt. Non recte autem illos existimare docet, qui Francorum Imperatorum ævo tantum Francos scriptores versu commentatos fuisse arbitrantur, obliti Monachi Saxonis, aliter Paderbornensis dicti, & Hrosvitæ Poetriæ. Germanorum æmulos extitisse Gothos, Danos, atque Islandos, & hoc quoque studium amplexos esse. Refert huc antiquitates *Runicas* & *Eddæ Scaldæque* monimenta, quæ *Arngrimo Jonæ*, *Snorroni Sturlæ*, *Olao Wormio*, *Stephano Stephanio* multam scribendi materiam suppeditarunt. Et quanquam Hispaniæ artis hujus neglectum objiciat Barclajus, eam tamen a Poesi non fuisse alienam, & præstantissimos Poetas, inter quos Didacum Covarruviam eminere dicit, protulisse observat.

Alteram harum dissertationum A. 1685 Græcarum literarum, post obitum Balthasaris Stolbergii, Professor constitutus edidit. Disputat ibi tum in genere de literatura Græca, tum speciatim de stylo & dictione Novi Fœderis. Tantum vero abest, ut dictionem Novi Fœderis inquinatam pronunciet, ut potius talem esse existimet, quæ a Græce loquentium consuetudine non refugiat, & optimorum testimoniis scriptorum sese tueatur. Id equidem largitur, non Atticum loquendi genus adhibitum esse, nihilominus tamen puram emendatamque dicendi rationem ibi obtinere contendit. Quam sententiam exemplo Herodoti confirmat, qui nihil minus quam Atticum scribendi modum tenuit. Neque porro inquinatum censet, quod a gran-

granditate verborum recedit, cum pura dictio interdum pigmenta respuat, & veritas sine sermonis vitio placeat. Quo ipso cæteros Græcos superasse Polybium ait, qui verbis ex communi Græce loquentium usu depromtis historiam scripsit. Idem fecisse Lysiam, & in eo magnam ornatus partem posuisse, si curæ parceret, & popularem dicendi rationem imitaretur. Cumque Lysiæ institutum magnopere approbarit Dionysius Halicarnasseus, non dubitat, quin eandem de Novi Fœderis stylo, si in vivis esset, laturus sit sententiam. Excidisse hic nonnulla Joachimo Camerario existimat, quæ suspicionem faciant, eum regulas artis interdum prætulisse optimorum auctorum exemplis. Unde monet, scriptores Græcos cumprimis consectandos, & ex iis formam rationemque styli petendam esse. Plures autem, quam quinque, sermonis Græci varietates agnoscit, quæ tamen, cum multa Græcorum monimenta vetustate consumta sint, hodie desiderentur. Multa cæteroquin in hoc negotio Laurentio Rhodomanno tribuit, quem copias Græcorum funesto bello dissipatas collegisse iterum, & in urbem Vitembergensem intulisse, eodem in loco commemorat.

Dissertatione tertia A. 1677, cum Professoris Historici munus ipsi committeretur, edita, res ad Historiam pertinentes explicantur. Inprimis dolet, Andreæ Angeli monimenta historica, quæ summo studio collegerat, dispersa prorsus & dissipata esse. Nec parum damni superiorum temporum commentariis Cyriaci Spangenbergii exilium attulisse, & quam plurima destinata ejus turbasse ait, ex quibus nonnulla fragmenta ad se pervenerint, Ernesti Brotuffii scripta & Chronicon Anhaltinum magnopere illustrantia. Nihil doctius Casp. Peucero, post decessum Melanchthonis, Germaniam habuisse contendit, quemque in Pragmatico Polybiano, quod pauci assecuti sint, lacertos quasi movisse censet. Caute vero & circumspecte scriptores legendos, & magna cura invicem componendos esse monet. Quod eo spectat, non ex uno scriptore controversias quandoque confici posse. Ita ex Ammiano Marcellino, Strabone, Cæsare, Plinio, Mela aliisque supplenda esse, quæ non satis apte & accurate Ptolemæus tradidit, & vicissim non ex solo Strabone definiri posse, an, exempli gratia, fines Belgii proferendi sint ad Ligerim. Cæterum observat, Itinerarium illud, quod potiente rerum Antonino confectum est,

& ab eo nomen tulit, longe diversum esse ab Anniano illo perperam mutato, & vehementer depravato. Uti vero de Th. Reinesio pronunciat, esse unum illum, quem cum omnis ævi maximis viris Saxonia comparare possit: ita Vindelicos in Georg. Hieron. Velschio Reinesium quendam amisisse existimat. Non minus egregie de Luca Holstenio sentit, per quem Italis cumulatius reddidisse Germanos, quicquid olim, sive ad ingenii cultum, sive ad literas expoliendas, insigne acceperunt, prorsus opinatur.

Quæ cæteroquin de Saxonici imperii originibus diss. XV commentatus est, nec non doctorum virorum vitas, e. g. Theologorum, Balthasaris Bebelii, Jo. Meisneri, Jo. Fabricii; JCtorum, Casparis Ziegleri, Joach. Nergeri, Guil. Leiseri, Verneri Theodori Martini; Medicorum, Michaelis Sennerti, Jeremiæ Lossii, Jo. Strauchii, (de quo potissimum id in laude ponitur, quod codicem divinum quinquagies quater perlegerit) Andr. Christoph. Mulleri, Jo. Thiele; Philosophorum, Christiani Trentschii, Balthasaris Stolbergii, Andreæ Sennerti, Constantini Ziegræ, ab eo descriptas & reliqua ab aliis potius legi, quam multa inde adferre volumus. De præfatione solum, quæ introductionis instar dissertationes has legentibus esse potest, nonnulla dicemus.

Agit ibi id Vir eruditissimus, ut allatis exemplis optimisque præceptis ostendat, qui dicendi character cuique negotio aptus sit, & rite congruat. Improbat quippe illorum institutum, qui omissa characterum differentia nimis sibi indulgent, & depravatam loquendi consuetudinem incauti sequuntur. Inprimis vero cavendum existimat, ne verba & dictiones ab omnibus promiscue auctoribus petantur, sed illud scribendi genus eligatur, quod materies scriptori subjecta requirit. Suas ergo seorsim rationes habere vocabula *adjutorium*, *anxietas*, *anxitudo*, *beatitas*, *beatitudo*, *consequentia*, *conterminus*, *dispariles*, *effatum*, *excelsitas*, *exuperatio*, *figuratus*, *frugifer*, *grates*, *habitudo*, *habilitas*, & Philosophis propria esse, licet eorum aliqua usurpata sint ab Historicis, & ipsomet Livio, qui *frugiferum* dixit, quod Cicero *fructuosum*. Maxime vero omnium a prosa oratione segreganda esse illa, quæ in Poetarum fundo constitutam possessionem habent. Non equidem Poetas rejicit, inprimis Comicos illos, qui limatiore judicio usi sunt, & optimo Latinitatis ævo floruerunt, omnino tamen cautionem adhiben-

bendam, & dictionum formas probe distinguendas esse, monet. Non itaque *didere* pro divulgare prosæ rationes ferre, nec recte Tacitum *diditam famam* dixisse. Equidem sunt, qui Ciceronis auctoritate se munire volunt, sed hos inquinate *didito* pro *diviso lib. II de Divinat.* legere observat. Eodem pertinere formulam *sedet sententia*, ad imitationem Virgilii effictam, & a Plinio majore & Floro, qui Poetarum more multa innovarint, usurpatas. Aptiora prosæ judicat, *certum mihi est, certum & constitutum, certum deliberatumque est.* Poetis porro & Philosophis, qui tamen parce utantur, vindicat *sidere, subjugare, allaborare, adurgere, secundare, transfretare, æquor, assultus, ensis; corculum, lenimen, moderamen, gestamen, tentamen, tutamen, libamen, annosus, efferus, irruptus, intaminatus, intemeratus, flexanimus, sonorus, unigenus.* At æquo prosæ jure dici *libramen & libramentum, velamen & velamentum, tegumen & tegumentum, levamen & levamentum, laxamentum, regimen*; contra barbara & fœda esse *laxamen, regimentum, gravamen.* Ciceronem equidem a Comicis nonnulla mutuatum esse, nec Terentium neglexisse Nepotem, inprimis in Datame & Agesilao: utrumque tamen circumspecte egisse, & materiei inprimis orationis inserviviisse docet. Liberius contra in prosam multa redegisse Livium, & Poeticam granditatem quandoque consectatum esse, teste Bernardino Parthenio, ostendit. Quo refert *mulcere, demulcere, prima aurora, secundis avibus, multimodus, in æternum, hortamen, placamen, grates,* pro quibus Cicero commutata oratione dixerit *permulcere, bonis auspiciis, primum diluculum* vel *antemeridianum tempus.* Equidem existimant nonnulli, Livii dictionem *secundis avibus* ei cum Tullio communem esse. Enimvero errore ductos ita sentire, Schurzfleischius demonstrat, cum non suo sermone, sed Poetæ verbis expresserit infausti navigantium ominis eventum. Versus, quem adduxit in *lib. I. de Divin.* legitur sequens:

Solvere imperat secundo rumore, adversaque avi.

Non minus temere a Lipsio *manuductionis* vocabulum Ciceroni adscribi notat, cum a meliori Latinitatis ævo recedat, & ne apud Senecam quidem *de Clem. lib. I, c. 3. manuductio* sed *manumissio* magno codicum & librorum veterum consensu legatur. De Livii autem Patavinitate pronunciat, eam non in compositione, sed in singulis verbis quæ-

rendam esse. Qua occasione Virum celeberrimum publico reipublicæ literariæ nomine obtestamur, ne Livium aliquoties promissum, & cum præstantissimis codicibus Romanis, Etruscis, Vindobonensibus aliisque magna cura atque studio olim a se collatum, orbi erudito invideat, sed edat tandem, & post Erasmum, Scaligerum, Lipsium, Benium atque Morhofium, Patavinitatem quoque ejus dilucidius paulo describat & explanet.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI DE JALAPA Liber singularis, secundum Leges & Methodum Imperialis Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curiosorum scriptus, variisque Observationibus & Memorabilibus conspersus.

Francofurti ad Mœnum impensis Fried. Knochii, 1700, 8.
Alphab. 1. plag. 4.

CUm adeo insignes sint Jalapæ virtutes, ut Practicus quidam in Franconia eas altius secum expendens, epigramma sequens parieti musei sui adscripserit:

Divinam in Praxi mihi si demas Gialapam,
Nil nisi vesanæ fabula plebis ero.
Herculis illa mihi clava est, qua monstra domamus,
Plus dicam: dextra est Numinis illa manus.
Sufficiat Gialapa mihi, sine qua nihil actum est,
In Praxi, quicquid fecimus egregie.

nullus tamen hactenus Medicorum, Illustrem Wedelium si excipias, qui ante hos 24 annos de ea disputationem habuit, eam curatius examinaverit: operam hanc in se suscepit Clarissimus Paullini, & præsentem tractatum eadem fere methodo, qua *Salviam* eum explicuisse, in *Actis 1689, Mens. Februar. pag. 105.* docuimus, conscripsit. Scilicet in duos libros hunc divisit, quorum prior Physiologico-Pharmaceutius est, & nomen, definitionem, differentias, locum natalem, tempus, modumque collectionis, electionem, temperamentum, virtutes, dosin, & præparata Jalapæ, una cum cautelis circa ejus usum observandis, complectitur; alter vero Therapeuticus usum ipsius specialem in morbis vel capitis, vel thoracis, vel abdominis, vel febribus, vel externis affectibus singulatim tradit. Nobis ex utilissimo opere pauca suffecerit delibasse.

Jala-

Jalapam definit Vir Clariſſ. per radicem Novæ Hiſpaniæ, teſſel- p. 3.
latim inciſam, rotundam & circularem, plerumque exterius nigrican-
tem, interius ruffeſcentem, reſinoſam, flammamque facile conci-
pientem, nullius fere odoris, ſaporis acris, omni ſexui & ætati variis
in morbis ſaluberrimam opem præſtantem. Pro Mechoacannæ eam
ſpecie habet, nullo modo vel ad Bryoniam, vel Scammonium, vel
Mirabilem Peruvianam, vel Apios Americanum referendam. No- p. 14.
tas bonitatis deſumit a patria, ætate, colore, ſubſtantia, pondere, o-
dore & guſtu. Calidam & ſiccam eam vocat, & Catholici vel Pan- p. 22.
chymagogi titulo inſignire nullus dubitat, cum omnes humores extur-
bet, & præterea aperiendi, attenuandi, incidendi, diſcutiendi, reſol-
vendi & abſtergendi virtutibus polleat; imo, cum inter vomitoria &
catharctica præter quantitatis limitationem, & corrigentis additio-
nem, nullum diſcrimen detur, vomitum cieat. Cautos tamen in ea pro- p. 131.
pinanda Medicos debere eſſe, monet; quando enim in motu humo-
res ſunt conſtituti, plus detrimenti quam auxilii ægris allaturam, & ni-
ſi bene miſceatur, & cum medicamentis reſinam diſſolventibus com-
binetur, ventriculi parietibus affixam tormina & hypercatharſin con-
citaturam. Ut alios taceamus morbos, contra quorum inſultus Jalapa
Noſtro, tum probatisſimorum Autorum relationi, tum propriæ ex-
perientiæ confiſo probatur, contra vermes potiſſimum validæ ipſius p. 223.
deprædicantur vires. Licet enim omnia purgantia anthelmintica ſint,
Jalapam tamen præ reliquis hoc titulo inſigniendam Noſter arbi- p. 239. 257.
tratur. Nec minoribus hanc putat dignam laudibus, quod dolo- p. 303. 327.
rem colicum aſſopiat, cachexiam depellat, ſcorbutum domet, men- 339.
ſes cieat, chloroſin removeat, febrem extirpet, affectus arthriticos e- p. 348. 383.
radicet, & luem Veneream tollat. p. 394.

HITOIRE DE FERDINAND-ALVAREZ DE TOLE-de, premier du nom Duc d'Albe.

id eſt,

HISTORIA FERDINANDI ALVARESII TOLETA-ni, primi hujus nominis Ducis Albani.

Pariſiis, apud Jo. Guignard, 1699, in 12.

Alph. 1. pl. g. 14.

Ver-

VErsio hæc Gallica est libri Latino olim sermone ab Auctore anonymo conscripti,& Salmanticæ in Hispania hoc titulo, *Vita Ferdinandi Toletani Ducis d' Albani*, anno 1669 editi. Tanto vero magis Interpres, quisquis est, per industriam versioni impensam de Historiarum cupidis censeri debet meritus, quanto paucioribus editio Latina visa aut manibus versata fuit, & quanto illustrior tamen Historia est, quam complectitur. Tametsi enim Belgis inprimis exosum hodieque & invisum Ducis Albani nomen est, ob insignia nec a quoquam facile excusanda, quæ in eorum majores olim edidit, crudelitatis exempla: dubium tamen nullum est, quin fortissimis, prudentissimisque, ac summis Imperatoribus Bellicis, qui superioribus temporibus inclaruere, accenseri is mereatur. Nec paucorum annorum spatio gesta illius circumscribuntur, sed per maximam seculi decimi sexti partem se diffundunt, velut qui jam anno 1524 obsidioni Fontarabiæ ab Hispanis susceptæ, etsi sedecim tantum annorum juvenis, interfuit, dexteritatemque suam ita probavit, ut expugnatæ tandem urbi Gubernator præfici meruerit: & e vivis demum ineunte anno 1582, cum paulo ante Lusitaniam armorum jure an injuria Hispanis vindicasset, excessit. Quo temporis intervallo eam in gravissimis bellis, in Hispania, Africa, Gallia, Germania, Italia, Belgio ac Lusitania gestis, operam Heris suis, Carolo V Imperatori, ejusque filio Philippo II præstitit, ut qui hanc Albani Ducis vitam perlegere sustinuerit, eadem opera simul res maximi momenti summorum horum Principum auspiciis gestas non possit non mandare memoriæ. Cæterum laudat in præfatione Interpres Auctoris fidem, qui Historiam hanc ex epistolis authenticis, & commentariis Albano Duce adhuc superstite editis, inprimis vero ex Historia ejusdem Ducis manuscripta a Marchione quodam d' Astorga, qui nihil consignarit, nisi quod aut vidisset ipse, aut a viris fide dignis accepisset, composita hauserit; quique passim hostium etiam, quibus cum colluctandum Albano Duci fuit, virtutes non dissimulet, sed justis deprædicet elogiis: ut adeo & gratiæ debeantur Interpreti, cujus beneficio Gallice legi nunc potest, & optandum sit insuper, inveniri quendam, qui Latinum exemplar, pluribus quippe inserviturum, recudi aliquando curet.

*** *** ***

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. X.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE ECCLEsiastique, Tom. V. Par M. Le NAIN de TILLEMONT.

id est,

COMMENTARII COMPONENDÆ HISTORIÆ ECCLEsiasticæ inservituri. Tomus V. Auctore NANO TILLEMONTIO.

Parisiis apud Car. Robustel, 1698, 4.
Alphab. 4. Plag. 17.

Constat jam omnibus, doctissimo Viro Nano Tillemontio constitutum fuisse, civilem pariter ac ecclesiasticam historiam per sex, quæ nativitatem Servatoris nostri insecuta sunt, secula, ea methodo tradere, ut falsa a veris, a certis dubia, discernere unicuique pronum foret. Ad quod quidem institutum, nec ingenium judiciumve, nec doctrinæ copiam, nec diligentiam, ei defuisse, ex iis, qui hactenus prodierunt, tomis, abunde compertum est. Sed priusquam tam egregium ad finem perduceret opus, ereptus est mortalium rebus, magno sui apud eruditos relicto desiderio. Pauca tamen tam præstanti operi desunt: cum auctor præfationis affirmet, quintum jam seculum utriusque historiæ, & partem sexti ab eo confectam, certamque spem faciat, ea in lucem editum iri. Sextum etiam historiæ ecclesiasticæ tomum, quem Sect. XI. Suppl. recensebimus, ab eo revisum: quæ felicitas secuturis non equidem obtigerit, nec

tamen ideo deterioris eos fore conditionis, quia pauca solum, eaque ad stilum saltem spectantia, opera sua revidens Tillemontius mutare consueverit. Quintus itaque, quem nunc sistimus, historiæ ecclesiasticæ tomus, exhibet historiam persecutionis, quam sub Diocletiano & Liciano Christiani subierunt, itemque Martyrum, quorum ignota est atque incerta ætas. Nos ex tanta rerum memorabilium copia pauca quædam delibabimus. De tempore persecutionis, qua Diocletianus Ecclesiam vexavit, omnes fere consentiunt. Constat namque, hanc persecutionem initium sumsisse anno Christi 303. Id quod Auctor porro ex Eusebio evincit, qui aperte dicat, edictum Imperatoris contra Christianos promulgatum fuisse anno decimo nono imperii Diocletiani, eodemque anno templa Christianorum fuisse destructa. Diocletianus autem (ita rationes Auctor subducit) cum ad imperium evectus sit die 17 Septembris anni 284, sequitur, initium anni decimi noni ejus imperii cadere in eundem diem anni post C.N. 302, adeoque mensem Februarium anni ejus decimi noni, quo persecutionem inchoatam per auctoritatem Lactantii positum est extra controversiam, pertinere ad annum Christi 303. Porro ex Fastis Idatianis, Chronico Alexandrino, aliisque auctoribus, manifestum esse, sub octavo consulatu Diocletiani & septimo Maximiani hanc persecutionem initium sumsisse, quem tamen utriusque consulatum cum anno Christi 303 coincidere, Petavius pariter ac Baronius fateantur. Quod si iis, qui initium persecutionis in dictum utriusque consulatum rejiciunt, aliquid subesset dubii, sufficere tamen putat auctoritatem Lactantii, quæ rem omnem plane conficiat. Diserte enim hunc in libro de mortibus persecutorum asserere, templum Nicomediense destructum fuisse die 23 Februarii, cum Diocletianus octavum & Herculius nonum consulatum gereret, hoc est, anno 303, & altero postea die promulgatum fuisse edictum de vexandis & affligendis Christianis. Addit Lactantius, Diocletianum, hocce facinore perpetrato, Romam abiisse, ut ibi vigesimum imperii annum solenni ritu auspicaretur, qui necessario in annum Christi 303 cadat, cum anno sequenti nonum consulatum inierit, quod anno Christi 304 factum apud omnes in confesso esse, Noster pronunciat. Adjungit hisce Vir doctissimus & alias rationes, quas omnes repetere supervacaneum ducimus, præsertim cum ipse credat a paucissimis hoc in dubium vocari. Inter hos tamen

Artic. VII. p. 19. & Not. VI. p. 549.

Ba-

Baronium atque Petavium refert, qui initium persecutionis in annum 302 conjiciant. Eandem sententiam a quibusdam & Onuphrio tribui monet: num jure? dubitat, cum ipse nec in fastis ejus, nec in commentario, quicquam huiusmodi deprehenderit. Ad Petavium autem & Baronium quod attinet, refert, eos ad Eusebii testimonium respondere, scriptorem huncce, more aliis quoque recepto, ad annum, quo imperium susceperat Diocletianus, præcedentes ejusdem anni menses retulisse, ut adeo totum annum 302 sub decimo nono Diocletiani comprehenderit. Lactantii autem liber de mortibus persecutorum si iis innotuisset, non ingressuros eos in hanc sententiam fuisse, sibi persuadet. Præcipuam autem, quæ eos induxerit, ut ita sentirent, rationem eis suppeditasse tempus Concilii Cirthensis. Auctorem namque alicubi esse Augustinum, hocce Concilium celebratum fuisse die 4 Martii sub octavo consulatu Diocletiani, & septimo Maximiani, hoc est, anno 303. Alibi autem eundem Augustinum asserere, quosdam Christianos supplicio affectos fuisse die duodecimo Februarii, tredecim mensibus ante Concilium istud Cirthense. Ergo, inquiunt, jam anno Christi 302 ista persecutio initium cepit. Sed ad hoc respondet, si quid ex eo colligi queat, probari jam anno 301 persecutionem fuisse inchoatam, qui fuit decimus septimus, aut decimus octavus, imperii Diocletiani. Primum enim edictum publicatum esse Nicomediæ die 24 Februarii, adeoque in Africa non nisi circa initium mensis Februarii anni sequentis martyrio affici potuisse Christianos istos. Frustra autem excipi, potuisse eos ante promulgationem supplicio affici: de eo enim præcipue quæstionem esse, quando per solennem edicti promulgationem persecutio cœperit? In ipso autem Augustino nodi hujus solutionem quærendam esse. Etenim cum, ut antea dictum, alicubi dicat Præsul iste Hipponensis, Cirthense Concilium celebratum fuisse sub octavo consulatu Diocletiani, & septimo Maximiani, alibi tamen eundem profiteri, celebratum istud fuisse anno post nonum consulatum Diocletiani & octavum Maximiani, hoc est, anno Christi 305. In tam aperta & manifesta contradictione concludit, nihil aliud superesse, quam ut fateamur, alterutrum locum corruptum esse: non autem posteriorem, sed priorem locum corruptum esse, Conciliumque Cirthense anno Christi 305 celebratum fuisse, id vero est, quod prolixe & operose contra Petavium demonstrat Tillemontius.

Artic. VIII. p. 21. & Not. VIII. p. 599. Constat autem porro, per edictum Diocletiani neminem Christianorum capitis fuisse damnatum, sed honoribus solum, dignitatibus, juribus & privilegiis omnibus eos fuisse spoliatos: præterea omni præsidio, quod justitiæ administratio innocentibus adfert, denudatos, furori ac atrocissimis injuriis inimicorum suorum expositos fuisse. Eusebius, dum hæc refert, dicit, quod οἱ ἐν οἰκετίαις omni libertate privati sint. Quinam autem isti sint, quos his verbis designat Eusebius, non inter omnes convenire, observat Tillemontius. Valesius namque, Christophorsonius, & Zonaras, privatæ sortis homines intelligunt, quibus adeo servitus subeunda fuerit: hac potissimum causa moti, quod ceteroquin paucissimis Christianorum hocce Imperatoris edictum incommodum aliquod attulisset. Rursus tamen ex actis Munatii Felicis constare Tillemontius docet, quod ab ipsis Episcopis & sacri ordinis viris nihil aliud postulatum fuerit, quam ut libros sacros traderent, libertatis autem jacturam nemo passus sit, aut vi decreti Imperatorii pati debuerit. Episcopos etiam Concilii Cirthensis hoc solum nomine accusatos fuisse, quod libros sacros tradidissent: neminem autem unquam asseruisse, illis aut abnegandam fuisse fidem Christianam, aut subeundam servitutem. Hisce forte causis conjicit adductum fuisse Valesium, ut, priusquam in hanc deveniret sententiam, existimaret, per τοὺς ἐν οἰκετίαις intelligendos eos, qui honoratioribus fuerunt a ministeriis, procuratores, negotiorum gestores, &c. Quæ si locum inveniat conjectura, ipsos Imperatoris ministros sub hoc nomine comprehendi posse Noster putat, cum Valerianus teste Cypriano constituerit, ut Cæsariani libertate exuerentur. Dodwellum addit intelligere libertos, qui suis patronis adhuc quodammodo a ministeriis fuerint. Rectius tamen voces istas (οἱ ἐν οἰκετίαις) in sensu naturali & ordinario capi, Tillemontius judicat, ut ipsi servi designentur, quibus adeo per hocce Diocletiani edictum spes omnis adipiscendæ libertatis ademta fuerit.

Artic. XVII. p. 48. & Not. XIX. p. 606. seqq. Lactantius de quodam, qui inter præcipuos persecutionis auctores fuit, & magistratus officio functus est, memoriæ prodidit, cum comparationem instituisse inter Christum & Apollonium Thyanæum in libro, cui titulum fecerit, Φιλαλήθης. Jam autem constat, Eusebium contra Hieroclem disputasse, qui itidem cum Apollonio Jesum Christum comparaverat, in libro eundem titulum gerente, quod ejus

ejus monumentum hodie adhuc extat. Porro ex alio Lactantii loco intelligitur, Hieroclem, postquam Bithyniæ factus fuisset præfectus, inter præcipuos persecutionis, quæ sub Diocletiano exarsit, auctores referendum esse. Unde concludit Tillemontius, recte a Baronio Hieroclem, contra quem disputat Eusebius, pro eodem, cujus Lactantius meminit, haberi. Dissentire tamen observat Jonsium, qui Hieroclem istum, quem Eusebius refellit, contendat vixisse circa medium seculi V, Eusebiumque, qui huncce librum contra istum scripserit, non esse Cæsariensem illum, sed alium, quia ceteroquin temporum non convenirent rationes. Non abnuit equidem Tillemontius, sub Theodosio juniori Hiereclem quendam celebrem fuisse, quod ex Photio constet: rationem tamen, qua Jonsius evincere velit, hunc eundem esse, quem refellat Eusebius, quod scilicet hic tantum septem hujus Philosophi libros de fato & providentia divina alleget, & contra Christianæ religionis hostes disputans, septem hosce libros refutet, nondum sufficere existimat. Utrumque enim Hieroclem de fato scribere potuisse. Accedere vero, quod, quæ de fato disputat Eusebius, opposita sint Philostrato, qui etiam vitam Apollonii scripsit, non autem Hierocli. Imo juxta Photium Hieroclem libertatem hominis contra fatum asserere, unde non potuerit refutari ab Eusebio, idem prorsus sentiente. Photium denique diserte Eusebio Pamphili, hoc est, Cæsariensi, refutationem eorum, quæ Hierocles de Apollonio Thyanæo scripserat, tribuere. Nihilo secius Pearsonium in prolegomenis super opera Hieroclis Jonsio adstipulatum fuisse observat, dum asseruerit, Hieroclem philosophum eundem esse cum eo, qui contra Christianos scripserit; ast, cum non attendisset ad rationes, quæ Jonsium permoverunt, ut eum in seculum quintum rejiceret, autumasse, quod tempore Diocletiani vixerit, certe probe intellexisse, hoc tempore vivere eum oportuisse, cujus & Lactantius mentionem injiciat, & contra quem disputet Eusebius. Interim nullam Pearsonium afferre rationem, qua probet, hunc Hieroclem eundem esse cum celebri illo Philosopho.

Eusebius auctor est, quod Constantius, in iis imperii partibus, quibus ipse præfuit, non permiserit destrui Christianorum templa, quodve potius quietem libertatemque religionis suæ sacra peragendi illis concesserit: alibi tamen refert, in Gallia & Hispania, quæ itidem *Artic. XXI, p. 56. & Not. XXI, p. 608.*

 Con-

Constantio parebant, persecutionem ultra biennium non durasse. Si dicatur, persecutionem durasse usque ad illud temporis momentum, quo Augustus factus fuit Constantius, atque tum quietem illis concessam, qua usque ad mortem ejus gavisi sint, hoc nec cum reliquis Eusebii verbis, nec cum testimonio Lactantii, diserte perhibentis, quietam fuisse Galliam, quo tempore Diocletianus, ejusque collegæ in reliquis provinciis Christianos vexabant, convenire, Tillemontius docet. Colligit ergo, minus accurate locutum fuisse Eusebium in libro de martyribus Palæstinis, in quo hæc habet, idque non adeo mirum illi videtur, quia forte hunc librum in Palæstina scripserit, ubi non temere cuncta, quæ in provinciis tam longo terrarum spatio inde remotis gerebantur, rescire potuerit. Lactantium rursus & Donatistas, apud Optatum Milevitanum, solam Galliam ab hac persecutione eximere, cum tamen & Hispaniam pariter ac Britanniam imperio Constantii subjectam fuisse constet. Quod dubium tamen ita solvit Auctor, ut asserat, quia Constantius in Gallia sedem fixerit, eo facilius eum, præsentem quippe, Christianos protegere, Ethnicorumque furorem sistere, potuisse, quem in Hispania & Anglia, conniventibus forte aut instigantibus ipsis Præfectis, evitare difficilius fuerit; unde fieri potuisse, ut duriora ibi fata Christiani experirentur.

Art. XXIII. p. 63. Not. XXXI. p. 613. seqq. Marcellinum Romanum Episcopum metu impulsum idolis obtulisse thura, sacrosque tradidisse libros, agnito tamen in Concilio Sinuessano crimine, se ipsum indignum sede Romana judicasse, clarissimumque adeo exemplum præbuisse, labi turpiter Pontifices posse, a quamplurimis, ad ipsa acta Concilii Sinuessani provocantibus, creditur. Baronius Pontificis equidem suscipit defensionem; quæ tamen de Concilio isto Sinuessano dicuntur, rejicere, aut in dubium vocare, non audet. Atque hoc quidem est, quod male habet Tillemontium. Arbitratur enim & prolixe evincere annitur, quicquid de lapsu Marcellini & Concilio Sinuessano dicitur, hoc omne ineptissimis annumerandum esse figmentis. Augustino equidem teste, Donatistas Marcellinum huncce accusasse, quod thura idolis obtulisset, & sacros tradidisset libros; cujusmodi quid & Melchiadi, & Marcello, & Sylvestro, Pontificibus objiciatur, nullo addito, quo hoc probetur, argumento: unde tam pronum sit hoc rejicere; quam facile est talia proferre. Ipsum itaque etiam Augustinum hanc narrationem inter recentia Dona-

na-

natistarum commenta referre, quæ veteribus in mentem non venerint. Protulisse equidem acta quædam prolixa Donatistas, sed in iis inter multa illorum, qui lapsi sint, exempla, ne verbum quidem de Marcellino occurrere. Concilii autem Sinuessani congregationem omni prorsus specie verosimilitudinis destitui pronuntiat. Quis enim, inquit, credat, durante persecutione trecentos Episcopos, non Romæ, ubi quidem in tanta hominum multitudine latitare forte potuissent, sed in exiguo quodam oppido, in quo paucorum etiam hominum congregatio in oculos incurrit, convenire potuisse? In collatione Carthaginensi A. 411 instituta orthodoxi adversariis suis vix persuadere potuerunt, durante eadem persecutione, imo eodem anno, congregari potuisse duodecim Episcopos, ut ipse observet Baronius: cum tamen, si Concilium Sinuessanum in rerum natura unquam fuisset, haud difficile iis fuisset adversarios suos convincere, producendo Concilii hujus acta. Atque hoc non factum eo magis mirandum dicit, quod Africani quidam Præsules etiam Concilio isti Sinuessano interfuisse fingantur. In ipso etiam modo procedendi plurima se deprehendisse Auctor existimat, quæ fidem omnem superent. Dici namque inter alia, dijudicationi hujus facinoris quinquaginta una vice tantum interfuisse Episcopos, quod caverna, in qua congregabantur, plures non caperet, ducentos insuper ab examine hujus negotii plane removeri, & nihilo secius asseri, decisioni trecentos interfuisse Præsules. Nullo modo etiam probabile Auctori videtur, postquam Marcellinus se ipsum damnavit, Episcopalemque exuit dignitatem, non statim ab iisdem Patribus alium electum fuisse; ne pastore ecclesia Romana destitueretur. Nec tamen quenquam hujus rei meminisse: imo neminem asserere, Marcellinum ad diem solum 23 Augusti anni 303, quo depositus fuisse dicitur, sedi Romanæ præfuisse; contra vero omnes in eo consentire, eum ad mortem usque hocce functum fuisse munere. Nec id prætermittit, quod in hocce Concilio Presbyteri atque Diaconi abire jussi sint sacro munere, solum quod fuga sibi consuluissent, cum vidissent Marcellinum in templum ire, ut idolis sacrificium offerret. Namque & hoc ita comparatum putat, ut non temere fidem apud quenquam inventurum sit. Hæc tamen omnia, quantacunque sint, nondum tamen sufficere agnoscit ad veritatem rei in dubium vocandam, modo acta Concilii,

quæ

quæ proferuntur, genuina essent & extra suspicionem posita. Id quod tamen de hisce neutiquam dici possit, in quibus nihil, quo commendari ceu vera magnopere possint, inveniatur, præterquam stilus plus quam barbarus, inauditæ loquendi formulæ, metaphoræ frigidæ & prorsus in isto quidem sermonis genere ridiculæ, contradictiones apertæ, & narrationes, quæ fidem superent. Sic in iis, ut observat, inter alia refertur, Pontificem Jovis, Marcellinum ut induceret ad thus Diis offerendum, attuiisse exemplum Magorum, qui Christo Servatori recens nato itidem thus obtulerint: itemque cum Marcellinus diu satis cum isto Pontifice disputasset, eos consensisse, ut Diocletianus arbitrium istius controversiæ in se susciperet, & sententiam pronunciaret. Hæc ita comparata judicat, ut satis exinde patescat, quid de hisce actis sit statuendum. Sed & plura alia ejusdem commatis addit, (& simul, quæ Baronius pro defensione istius Concilii attulit, erudite diluit.

Art. XXIV. p. 65. Not. XXXIII. p. 617. Johannes Mabillonius in Tomo IV Analectorum acta quædam produxit, ex quibus martyrio quorundam Christianorum in Africa videtur lux affundi posse. Ast Tillemontius hæc monumenta nondum satis certa esse judicat: imo occurrere in illis quædam, quibus in eam quis facile induci possit sententiam, aut supposititia ea esse, aut corrupta, aut subinde etiam in iis cum catholicis & orthodoxis hæreticos permutari. Atque hoc ne frustra dixisse videatur, dubia quædam movet circa historiam & acta cujusdam Mammarii. Namque primo statim in initio Maximianus & Gallienus Imperatores conjunguntur. Ubi si vel maxime pro Gallieno ponatur Galerius, res nondum tamen ita conficitur. Maximianum enim Herculium nunquam cum Galerio, sed solum cum Diocletiano, simul imperium obtinuisse. Nec quicquam regeri posse, nisi forte illud, historiam horum actorum incipere ab anno 304 sub Maximiano Herculio, & desinere anno 305, cum jam Galerius Maximianus Augustus factus esset. Ad quod tamen respondet, Africam pertinuisse ad eam Imperii partem, cui præfuerit Constantius, sub quo Severus nomine Cæsaris eam possederit, ad Galerium autem nullo prorsus modo eam spectasse. In actis porro dicitur: *Anulinus Proconsul Alexandrum Comitem cum militibus Numidia dixerit.* Comitum dignitatem, observat ad hæc Tillemontius, vix ea ætate ortam fuisse, de qua lo-

quun-

quuntur acta: eamque fuisse illorum conditionem, ut inter præcipuos imperii Ministros relati sint, neutiquam autem Proconsulibus paruerint. Unde argumentum capit, minus genuina esse hæcce acta. Excipit equidem Mabillonius, quod illi, qui ex Proconsulum amicis in provincias abeuntes comitati sint, itidem dicti sint comites: sed vero, præterquam (ita regerit Tillemontius) quod tum auctor actorum dicere debuisset, *Alexandrum comitem suum*, vix etiam credibile videtur, Proconsules amicos suos, non autem illos, qui militibus ab Imperatoribus præfecti erant, ad ejusmodi functiones, quæ imperium & publicam requirunt potestatem, adhibere voluisse. Accedere ait, quod teste Optato Milevitano, eo tempore Numidiæ præfuerit Florus, ut adeo Anulinum eo milites mandata sua executuros misisse, a veritatis specie prorsus abhorreat. Præterea in istis actis Mamarius *Papa* dicitur. Quo nomine cum Episcopus designetur, nullibi tamen huncce Mamarium Episcopum vocari autumat. Ab Alexandro etiam jussus indicare suæ fidei ac doctrinæ socios, paucos quosdam hinc inde delitescentes designavit: quod, parum abest, quin Auctorem nostrum in eam inducat sententiam, hæreticum fuisse huncce Mamarium, non orthodoxum. Quicquid hujus sit, hoc certum putat, fatente etiam Mabillonio, in nullo monumento historiæ ecclesiasticæ fide digno ejus mentionem injici, cum tamen celeberrimis martyribus esset annumerandus, siquidem fides constaret hisce actis. Denique, ut nunc reliqua ejus argumenta taceamus, ex voce *Pagani*, qua in actis istis Alexander utitur, ut Ethnicos ea designet, rem plane confici posse contendit. Namque in hoc quidem sensu hanc vocem apud veteres ante annum 365 non reperiri asserit, imo vix credit ullum posse produci exemplum, quod ipsi Ethnici hac voce ita usi sint. Extare quidem eam in actis Victoris Mediolanensis, sed hæc pariter falsa & supposititia esse pronuntiat.

In tanta Martyrum & Sanctorum, quos Ecclesia Romana veneratur, multitudine, non posse non multos supposititios & falsos fictosve esse, jampridem eruditis, ne ipsis quidem Romanensibus prorsus abnuentibus, observatum est. Cumprimis viri rerum ecclesiasticarum inter eos periti sæpius conqueruntur, hæreticos passim pro sanctis & orthodoxis recipi. Exempla varia ex hoc ipso Tillemontii nostri tomo colligere licet. Sic Agapetus quidam Synnadiensis in-

Artic. XLIV. p. 109. Not. LII. p. 632.

Kkk

inter Martyres referri solet. Suidas ejus meminit, qui & ad Eusebium provocat. Baronius cum in Eusebio nihil reperiret, existimavit, aut librum nonum Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii integrum non esse, aut in alio libro, qui plane non extet, mentionem ejus injecisse Eusebium. Tillemontius autem in Suida, pro Eusebio, Philostorgium legendum esse judicat. Philostorgium namque in compendio isto, quod Photius conservavit, multa de Agapeto isto commemorare, in ipso autem opere, quod ad nos non pervenit, forte plura adhuc commemorasse. Atque ex hoc ipso capite merito Arianismi suspectum esse Agapetum istum, quod & Photius innuat, dum eum appellitet *συναιρεσιώτην αὐτοῦ*, scilicet Philostorgii. Imo ex eodem Photio constare, Agapetum primo Presbyteri, deinde & Episcopi, officio apud Arianos functum esse. Et si vel maxime ab Eusebio etiam laudatus esset, hoc tamen non obstare, quo minus fuerit Ariana hæresi infectus. Hinc & a Græca Ecclesia eum sanctis non annumerari; quos inter referatur quidem in Latina Ecclesia a Baronio, qui martyrio ejus diem 24 Martii assignet, ast non alia quam Bedæ & Usuardi auctoritate nixo. Ast in Martyrologio quidem, quod Bedæ nomen, sed perperam, præferat, legi: *Natale Sanctorum Seleucis & Agabi*; unde nihil colligi queat pro hac sententia confirmanda: apud Usuardum autem & alios quosdam hæc extare verba: *In Phrygia Sancti Agapeti*, nec patria ejus, nec Episcopali dignitate indicata. Ex quo ipse Bollandus conjiciat, hæc potius pertinere ad S. Agapum, qui eodem die in Palæstina martyrio vitam finiverit. Ex hisce omnibus tandem concludit Tillemontius, perperam inter Sanctos Agapetum istum numerari.

p. 447. it. Not. l. p. 769. seqq. Non minus etiam disputatum fuit inter eruditos de S. Luciano, Presbytero Antiocheno & Martyre, nonnullis Arianismi labem illi aspergentibus, aliis autem eum defendentibus & excusantibus. Auctor nihil eorum, quæ ad hanc controversiam discutiendam pertinent, prætermittit, illisque adstipulatur, qui Pauli equidem Samosateni eum defendisse partes contendunt, forte quod non satis, quorsum Hæresiarchæ istius sententia tenderet, perspectum haberet, ast rediisse eum deinceps ad sanioris doctrinæ formam, & ab Ecclesia, a qua satis longo temporis spatio separatus fuerit, receptum esse. Interim ab Arianis eum laudatum magnopere esse, præcipuos etiam celeberrimosque Arianorum doctores ejus quondam fuisse discipulos, non

diffi-

dissimulat. Sed cætera, quæ de Luciano erudite disputat, legi apud ipsum Autorem possunt. Nos hic pedem figimus.

JUSTINI MARTYRIS CUM TRYPHONE JUDÆO Dialogus secundum regulas Criticas examinatus, & νοθεύσεως convictus, opera CHRISTIANI GOTTLIEB KOCH.

Kilonii, apud Jo. Sebast. Richelium, 1700. in 8. Plag. 15.

QUi Justino Martyri Dialogum cum Tryphone constanti hactenus sententia adscripsere Eruditi a Doctissimo Autore palam deseruntur, quippe qui eundem inter scripta supposititia referre nullus dubitat, non proprio quidem, ut ait, ingenio fisus, sed Criticorum regulas hactenus receptas secutus. Chiliastis enim Iustinum accensendum venire, penitus inficiatur, & hac occasione Dallæo simul respondet, qui omnes Catholicos errore illo infectos, solosque hæreticos ab eodem immunes fuisse affirmet, locoque aliquo Iustini Martyris in suum commodum manifeste abutatur. Innocentissimum sane Iustinum præter rem hujus nævi accusari contendit, ac si Papiæ secutus exemplum fabulas millenii credidisset, cumque ejus Dialogum cum Tryphone, ut alii hoc assertum defendentes, sic Chiliastæ imprimis crepent, accuratius paulo se investigaturum promittit, genuinumne an vero supposititium istud Iustini scriptum sit? De tempore igitur, quo scriptus ille Dialogus fuerit, ante omnia sollicitus, calculo secundum accuratissimorum Chronologorum supputationes ducto, omnia, quæ hodie supersint, Iustini scripta inde ab A. C. 140 usque ad 152 vel 153 exarata fuisse colligit. At seculo post Christum natum secundo nullum extitisse Tryphonem Iudæum, vel ex ipsa nominis Græci ratione evictum dare allaborat, & sub hac larva delitescere potius quendam impostorem conjicit, qui ad tegendam fallaciam, nomen assumserit discipuli Origenis longe celeberrimi, Tryphonis, qui circa A. 233 floruerit, & ad quem nonnullæ Origenis epistolæ scriptæ sint, quemque Hieronymus tanquam Scripturæ S. eruditissimum dilaudet. Ac licet tot priorum seculorum scriptores ejus mentionem faciant, eumque Iustino unanimi consensu tribuant, eos tamen destitui monet Irenæi calculo, qui utut, Eusebio teste, Iustini

testimoniis lubenter utatur, nullam tamen hujus Dialogi mentionem faciat. Sed nec ob res in Dialogo hoc traditas Justino ipsum adscribi posse asserit, Marcionis ibi hæresin allegari scribit, quod fieri haudquaquam potuerit ab eo, qui aliquot ante hæreseos istius exortum annis supremum diem obierit. Locum Apologiæ Justini primæ, qui Marcionem ejusque discipulos jam delinearit, a nefaria quadam manu infartum dicit, hoc fine, ut Dialogo cum Tryphone aliquid roboris accederet, ne facta Marcionitarum hæreseos tunc nondum ortæ mentione inter supposititia rejiceretur. Origenianismi insuper Dialogum accusat & Arianismi, quorum tamen neutrum seculo secundo observare liceat. Ulterius locum, in quo Chiliasmus tractatur, Apologiæ primæ contrariari, pœnasque damnatorum finiendas & dogmata istius generis alia, quæ in Dialogo Justinus proponat, ab eadem similiter aliena esse ostendit. Quid? quod & orationis character, dictionis conceptus, texturæ continuitas, elocutionis forma, figuræ loquendi, dispositionis artificium & tractationis methodus, uno verbo, stylus cum eo, cui assuetus alias Justinus deprehendatur, minime conveniat. Sive enim Grammaticam tractationem, verba, voces & terminos illi seculo & autori usitatos respicientem, sive Rhetoricam, dicendi genus orationisque numerum & periodorum rationem complectentem, sive denique Logicam, circa methodum ipsam versantem consideraveris, non exiguam se offerre putat Apologias inter & Dialogum differentiam. Quod aliqui ad vetustos codices manuscriptos provocent, in quibus Dialogus hic Justino tribuatur, id satis incertum esse existimat, & eos, qui codicum istiusmodi fidem tantopere crepent, majorem in modum rogatos cupit, ut antiquissimum illum codicem ostendant, in quo hicce cum Tryphone Dialogus ad Justinum autorem referatur. Parilem in modum ad silentium veterum provocat, & Irenæi imprimis, quem Dialogum hunc allegare & potuisse & debuisse innuit. Eusebii autem, Hieronymi, Photii, aliorumque testimonia sententiam adversam statuminantia qui ostentent, eos ad librum de monarchia Dei ablegat, Justino eorundem testimoniis adscriptum, quem tamen his minime obstantibus, & Magdeburgenses, & Perionius, & Rivetus, & Sandius, & Tenzelius, & alii inter spuria & supposititia scripta rejicere haud dubitarint.

AD

AD ERUDITISSIMUM ATQUE CLARISSIMUM Virum, CHRISTIANUM GOTTLIEB KOCH, de Dialogo Justini Martyris cum Tryphone Judæo Epistola ALBERTI a FELDE, Bremensis.

Sleswici, impensis Autoris, 1700, in 8. plag. 14.

REfellitur in hac epistola, quicquid in præcedenti opusculo tam operose statuminatum fuerat. Nam Dialogo huic assignatum tempus quod concernit, Justinum denique post annum 162 e vivis sublatum esse, idoneis se probare posse argumentis Autor arbitratur; unde, licet ante æræ vulgaris annum 143 Dialogum confectum fuisse haud affirmare sustineat, obitum tamen Justini haud obstitisse innuit, quo minus post annum 152 vel 153 exarari is potuerit. Tryphonis porro nomen, utut Græcum, Judæo nihilominus convenire, ex similibus Græcis quin & Latinis nominibus, quæ Judæi tunc gessere, colligit. Tryphoni autem Origenis discipulo hoc opus adscribi non posse, alio se scripto evicturum esse pollicetur. Irenæi silentium nil quicquam Dialogi detrahere autoritati, nec deperditos Irenæi libros in integrum restitui posse, in quibus forsan hic Justini Dialogus citatus extet. Marcionem diu ante annum 168, secus atque videatur Kochio, hæresin suam sparsisse, idque hinc patere, quod Polycarpus, A. 167 aut 169 martyrium passus, primogenitum diaboli eundem nuncuparit; unde colligit, hæreticum illum tunc non incepisse modo, sed in nequitia jam progressum fuisse, ac in pravis suis opinionibus pertinaciter perstitisse, unde nihil obstet, quo minus ejus mentionem facere Justino licuerit. Locum Justini ex Apologia prima allatum (præter quem & alius ab Autore omissus Marcionis nomen exhibeat) suppositititium esse negat, eumque cum antecedentibus quam optime convenire monstrat. Verba de damnatis mentibus ex inferis liberandis, adeoque Origenianismum sapientia, non ipsius esse Justini respondet, sed senis cujusdam, qui Justino ansa extiterit, ut ad Christi fidem cultumque perduceretur, quæ, sicuti commodum adhuc sensum patiantur, ita ex Origene depromta sane haud fuerint. Platonis enim placita secutum esse Justinum, pro certo venditat. At neminem adeo hospitem esse in Platonis & Platonicorum scriptis addit, ut nesciat, invaluisse apud eos dogma de purgandis animabus, liberandisque

que ex purgationis loco. Imo & Irenæum aliosque Patres docuisse, animas aliquando morituras, tametsi hanc sententiam ex Origene non hauserint. Simili ratione procedit circa dogmata alia, quæ ex Origene Autorem Dialogi mutuo accepisse Kochius affirmavit. Arianæ hæreseos præcentorem ac præcursorem Origenem appellari debere, minime concedit, nullaque proin ratione admittit, necessarium esse, ut Justinus incommode de Christo loquens ideo post Origenem vixisse statuatur; eodem namque jure tunc & Tertullianum & Dionysium Alexandrinum Origenianismi insimulandos fore respondet, quod inconveniens omnino judicat. Verba Dialogi Arianismum redolentia prolixe vindicat, sensumque iis longe saniorem tribuit. Non contradicere in Dialogo Justinum scriptis suis cæteris, facili negotio concludi ex hactenus commemoratis posse autumat. Differre stylum Dialogi a compositione, quam in Apologiis Justinus tenuerit, non invitus concedit, cum præsertim in illo conciso Autor dicendi genere utatur, hic vero largius fluentes periodos vocumque texturam diffusam adhibeat; sed inde haud probari monet, diversos autores Dialogum ac Apologias confecisse, cum epistolæ ac dialogi humile dicendi genus postulent, panegyricas vero & apologeticas orationes turgido magis ac figurato sermone exarari, conveniens fuerit. In Dialogo recentiores quasdam ac novatæ significationis voces reperiri negat. Quod in Apologiis ad Gentilium scripta provocarit, in Dialogo vero solam Scripturam citarit Justinus, id ex legibus disputantium factum statuit, cum Gentiles fidei principium rejicientes ad scripta sociorum, Judæi autem ad sacrum Codicem ablegandi omnino venerint. Justini librum de Monarchia Dei, quem, utut a priscis citatum, pro spurio Kochius venditarit, mutilum potius atque imperfectum dicit, adeoque ne ex isto quidem argumento Dialogum Justini νοθείας convinci posse, totus sibi persuadet.

A VOYAGE TO SURATT IN THE YEAR 1689 by J. OVINGTON.

h. e.

ITER SURATTAM A. 1689 A JO. OVINGTONO SUSceptum.

Lon-

Londini, 1696, in 8. Plag. 40.

NOn male operam posuisse censendus Hodœporici hujus Auctor, quod ea, quæ præ reliquis ipsi in iis, quas peragravit, regionibus relatu digna visa sunt, cum orbe erudito communicare voluerit. Equidem multa jam in aliis hujus generis libris, Thevenotii inprimis Itinerario, consignata reperiri, Lector eruditus facile advertet; sunt tamen non pauca etiam, quæ legentium cupiditatem accendant. Complectitur autem præsens libellus, præter Iter Surattense, historiam motuum Colcondensium, descriptionem Regni Araconensis & Peguani, recensum monetæ Persicæ Indicæque, & denique observationes de Bombycibus. De singulis speciminis loco nonnulla adferemus.

Pag. 11 ad Maderenses progressus refert, eos Bonanas pro pomo vetito habere, idque ex foliorum magnitudine colligere, ex quibus Adam & Eva subligacula conficere potuerint; Maderam vero bestiis & herbis venenatis carere, p. 16 testatur. Ridiculum videtur, quod p. 22 addit, socrum repudiasse generum tanquam ad prælia Veneris imbellem, eo quod morbo Gallico nunquam laborasset. De insula S. Jacobi differens p. 39 s. observat, per triennium integrum nullam ibi de cœlo pluviam cecidisse, neque vineas gignendo vino idoneas esse: incolas præterea nec butyrum nec caseum conficere posse; ad furandum vero esse magnopere expeditos. Quod pisces aut raro, aut nunquam, dormiant, notabili exemplo p. 49 docet. Adfirmat p. 54 s. *Annabon* insulam, quia primo anni die detecta fuerit, nomen accepisse; terram vero continentem citius olfactu, quam visu, percipi. Malembensium Afrorum dum instituta & mores commemorat, p. 76 s. tradit, eos rubro colore faciem pingere, quo nonnulli ad postes in Ægypto sanguine agni notatos respici existiment; circumcisionem observare; improbis consortium *Benimbarum* i. e. Diabolorum minari; nebulas, in quibus Diabolum versari autumant, horrere. Non minus notari merentur, quæ de insula S. Helenæ, ejusque amœnitate & incolis, qui a variolis immunes sint, p. 93 s. exponit. Madagascarenses aurum spernere, ferro autem & chalybe delectari, p. 104 innuit. Prolixior paulo est in describenda insula S. Johannæ, varios illius ritus & consuetudines alibi forte non usitatas exhibens. Quo pertinet, quod fœminæ, more Congensium in Africa,

agros

agros colant; ædes, in quibus pater vel materfamilias unusque aut alter cognatorum obierunt, deserant; Diabolum nomine Gregorii insigniant; liberis septimo post nativitatem die nomina imponant; Regina ibidem nunquam civium vel exterorum conspectui se offerat, sed velo semper tegatur, unde caput raro exserat. Quæ omnia Noster p. 109 s. latius persequitur. Adserit cæteroquin, Anglos adeo familiariter cum Johannæis vivere, ut in proverbium abierit: *Johannaman, English-man all one;* Danos contra odio persequi, cujus caussam etiam adducit. Uti vero Indi, quod mores attinet, a reliquis gentibus maxime distinguuntur: ita cœli quoque & terræ peculiarem rationem esse adfirmat. Refert eo id cumprimis, quod tempestates circa illud diei tempus utplurimum sedentur, quo ortæ sunt; ut de araneis pollicem viri crassitie æquantibus, & bufonibus ad anatis magnitudinem accedentibus, aliisque ab Auctore p. 130 s. indicatis, nihil dicamus. Id præterire non possumus, quod p. 135 refert, aërem nempe Suratensem mense Majo adeo siccum esse, ut atramentum in calamo exarescat. Pag. 182 cives eleganter spicis; Principis voluntatem vento eas pro lubitu flectentis comparat, monetque, Imperatorem Japoniorum audire *Filium Solis*, nec unquam diademate cinctum, cum Luna fulget, egredi. De die Solis, quod *Aureng Zeb* eadem inauguratus fuit, Indis festa p. 196; de elephantum inter aures testiculis p. 194; de amygdalis amaris monetæ loco adhiberi solitis; de Tunquinensium canibus felium instar muribus insidiantibus p. 219 fusius differitur. Pag. 252 s. Germanorum laudabilem morem, quo exoticas voces ex lingua vernacula eliminant, non satis probat. Errat vero, cum tradit, Imperatorem societatem Cygnæam instituisse. Frugiferam debuit dicere, cujus tamen auctor potius fuit Ludovicus Anhaltinus, cum Cygnea gemina originem debeat Ristio Cæsioque. Equos ex Persia & Arabia ad Mogores advectos mille uncialium pretio licitari p. 253; carbonem candentem alexipharmacum esse contra venenum; & sartores Indos tempus matutinum vestibus novis conficiendis, pomeridianum veteribus reficiendis impendere, & si secus fiat, pro inauspicato haberi, p. 281 exponitur. Inde ad Banjanes, quos p. 231 jure jurando prorsus ac omnino abstinere dixerat, digressus, eorum instituta ac ritus p. 298 s. explicat. Inter alia observat, ipsos adeo insano erga insecta, pulices puta, & reliqua animalcula, amore duci, ut nosoco-

socomium quoddam habeant, ubi pauperculus lecto, in quo hæc insecta degunt, alligatus viles bestiolas suo sanguine pascere cogatur. Nec satis. Epulum quoque muscis apparare quotannis; formicas oryza cibare, & in conviviis solemnibus canes convivarum instar excipere; imo non cædem solum bestiarum tenerarum, castreolorum, pullorum improbare, sed &, cum tale quid Christianos conari vident, infandum, ut ipsi rentur, factum præsenti pecunia redimere, allato loco Noster memorat. Hinc etiam esse ait p. 361, cur apud Indos simiam occidere capitale habeatur; existimare quippe, terram sanguine bestiæ contaminatam statim sterilem futuram, & minimum unius anni fame nefas expiandum fore. Siamenses vero raro loqui, verentes, ne insecta ex mente ipsorum in aere volitantia occidant; nec frigida, sed cocta uti, quia existiment frigidæ inesse vitam, quæ bibendo destruatur, uti tradit p. 333. seq. Non multum hinc abire Peguanos, illos felices reputantes, qui a crocodilis devorentur. Tantum vero abest, ut ab Indis polygamia probetur, asserente Nostro p. 325, ut potius viduæ juvenculæ, quæ nondum virum expertæ sunt, nunquam denuo nubere audeant. Observat tamen p. 325, puellas, ut aptiores ad matura conjugia fiant, lacte cocto cibari; viros butyro liquefacto. Siamenses eximiam fœminis reverentiam exhibere p. 331 refert, cui addit p. 344, fœminam cum viro defuncto comburi nolentem radi, & infamem haberi. De Japoniorum Tyranno p. 364 scribit, eum, postquam diademate revinctus est, nec comam tondere, nec ungues resecare. Thea abstinere Mascatenses & Coffea. Tabacum etiam & aquas vitæ aversari, adeo quidem, ut domum Judæi eas præparantis solo æquarint: in fures quoque & homicidas acriter animadvertere, eosque vivos muris includere, & lenta morte extinguere, p. 427 docet Noster. Relatum p. 471 legitur, portam Giddanam, Meccam ducentem, sacram esse, ut adeo nemo Christianorum, nisi Turcicam legem amplecti, aut pecunia culpam expiare, velit, eam transire audeat. Pag. 490-492 de Æthiopum nigrore disquirit, & victui multum tribuit, idque exemplo Indi confirmat, qui Surattæ ab Anglis educatus, carnibusque & vino nutritus, pallidior, quam reliqui, evaserit. Inde Hottentottorum indolem & consuetudines p. 495 persequitur, traditque inter alia, nullos ibi inveniri hermaphroditos: monogamos ipsos, si a Rege, qui tribus uxoribus gaudeat, discesseris, omnes esse:

uxores, maritis defunctis, membrum digiti minoris amputare, &, si plures moriantur, usque indicem digitum procedere: idem quoque viros facere. Porro superfluos liberos necari ait; qua occasione Regis Siamensium meminit, qui Proceres, cum opibus ipsorum inhiat, evirat, ut ita minus apti sint ad liberorum procreationem. De testudinibus in Ascensionis insula p. 513 tradit, iis morbos chronicos sanari, & insuper laxandi eas vim habere. Similem testudinum marinarum contra morbos virtutem p. 518 adstruit, adfirmatque earum genitalia siccata, vinoque indita & epota, præsentissimum esse adversus calculum remedium. Araconensium dum instituta exponit, id quoque p. 569 commemorat, ipsos cibis delicatissimis glires, mures, serpentes immiscere; ex adverso pisces nunquam comedere nisi putridos, imo condimentum inde conficere, quo cibos adspergant. Ex eo vero, quod p. 574 de loculis, quibus varia appingunt animalia, narrat, eorum de metempsychosi apparet sententia. Putant enim, animam defuncti in ea transmigraturam esse. Iidem, referente Nostro, liberis, ut syncipur planum ac latum nanciscantur, statim a teneris annis laminam plumbi alligant, neque removent ipsam, donec voti compotes reddantur. Nefandum & crudele pro avertendo malo omine medicamentum p. 579 adducit, quod ex sex millibus cordium humanorum, quatuor millibus vaccarum albarum, duobus millibus columbarum candidarum compositum fuit. Non minus notanda sunt, quæ ibidem de domo, cujus fundamenta ex mulieribus prægnantibus constant, narrat. Pag. 580 refert, Peguenses omnes gemmas *Rubinos* appellare, distinctione tantum a coloribus desumta, e. gr. Saphirus est Rubinus cœruleus, Amethystus violaceus, Topazius flavus. Tandem ex iis, quæ de Bombycibus tradit, hoc observasse sufficiat, ipsis Indicum Solem adeo accommodatum esse, ut sexies in anno nent.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM, congestus a JO. GEORGIO GRÆVIO. Tomus Nonus.

Trajecti ad Rhenum apud Franciscum Halmam, & Lugduni Batavorum apud Petrum van der Aa, 1699. fol.
Constat 4. Alph. & plurimis figuris.

UTi ritibus atque ceremoniis plurimis a cæteris urbibus populisque Roma se distinxit: ita vel maxime peculiares Ludorum rationes iniit, eoque nomine aliorum oculos in se convertit. Unde factum est, ut viri docti, harumque rerum intelligentes, in istis potissimum Quiritium antiquitatibus indagandis operam posuerint, editisque commentariis, quoad fieri potuit, sedulo eas enarrarint. Hos cum in numerato & promtu celeberrimus Grævius haberet, non potuit sibi temperare, quin id genus scriptores convenienti ordine dispositos, & peculiari volumini inclusos evulgaret, atque adeo nitidiori facie ornatos Reipublicæ literariæ offerret denuo & consecraret. Quod institutum paucis jam persequemur, rerumque summa & præcipuis capitibus indicatis, quid præstitum hic a doctissimo Grævio fuerit, commemorabimus.

Comparent in hoc nono Tomo p. 1 Onuphrii Panvinii Veronensis libri duo *de Ludis Circensium* cum notis Joannis Argoli, J. V. D. quibus jungitur p. 471 additamentum Nicolai Pinelli J. C, ubi id potissimum operam dedit, ut Græca, quæ in Argoli ad Panvinium commentariis leguntur, collatis exemplaribus emendaret, & Latina civitate donata augeret. Ad quod opus suscipiendum, exemplo Musurii, in Gymnasio Patavino quondam Græcarum literarum Professoris, incitatum fuisse ait, quippe qui Oracula Sibyllina, Græcis verbis a Lactantio proposita, Latina oratione apte cumprimis & eleganter reddidit. Inde p. 577 additur commentarius Julii Cæsaris Bulengeri Juliodunensis, Doctoris Theologi, de *Circo Romano Ludisque Circensibus; de Venatione Circi & Amphitheatri, ac de Theatro.* Sequitur p. 1061 Onuphrii Panvinii liber de *Ludis Sæcularibus*; & p. 1097 Agesilai Mariscotti de *Personis & Larvis, earumque apud veteres usu & origine* syntagmation. Succedit p. 1161 Marquardi Freheri *Cecropistromachia, antiqua duelli gladiatorii sculptura in Sardonyche exposita*, cum notis Henrici Gunteri Thulemarii, J. V. Doctoris, & Academiæ Heidelbergensis Professoris Ordinarii. Exhibentur præterea p. 1261 Justi Lipsii Saturnalium Sermonum libri duo, qui de *Gladiatoribus;* & p. 1290 ejusdem de *Amphitheatro* liber, in quo forma loci expressa, & ratio spectandi, ut & de *Amphitheatris extra urbem* libellus, in quo formæ eorum aliquot & typi. Hos excipit p. 1336 Onuphrii Panvinii de *Triumpho* commentatio, notis & figuris illustrata a Joachimo

Joanne Madero. Additus denique Index est, qui res atque verba justa serie tradit, &, quo demum loco præcipuæ operis materiæ quærendæ sint, sollicite exponit. Totum vero volumen antecedit præfatio a Clarissimo Grævio adornata, in qua cum multa alia egregie præcipiuntur, tum vero maxime, ubi secus, quam par erat, de id genus rebus existimarint scriptores, diligenter animadvertitur; quapropter etiam speciminis loco quædam inde afferemus.

Primum observat, Panvinium lib. I. de Ludis Circensium cap. 5 minus recte tradidisse, Circum Maximum *Armilustrum* dictum esse. *Armilustrum* enim locum in Aventino fuisse, in quo annuam festivitatem celebrarint milites armati gestantes ancilia a. d. XIX. Octobr. uti ex Kalendario vetere & Festo constare asserit; *Armilustri* vero nomine ipsam festivitatem notari: de quibus erudite disputantem commendat Famianum Nardinum lib. VII de Roma Vetere cap. VIII. Nec melius rem expedivisse Argolum, Panvinii explanatorem, qui lustrationem in Circo factam; armamentarium vero extra illum fuisse scribit. Quo ipso graviter errasse Argolum, nec idoneis rationibus inductum ita pronunciasse ostendit. Neque enim in Circo, sed Campo Martio lustrationem institutam; armamentarium autem & in Circo fuisse, allatis exemplis optimorumque testimoniis scriptorum confirmat. Inde de foris, seu sedilibus, in quibus in Circensibus ludis spectatores sedebant, disputat, eorumque originem altius paulo repetit. Existimat vero, auctoribus Dionysio Halicarnasseo & Livio, ante Tarquinium Priscum Romanos in tabulatis, quæ furcis suspendebantur, stantes spectasse ludos: inde Circo structo, foros sibi quemque tumultuario opere parasse, ita tamen, ut Patribus Equitibusque sua seorsim loca tribuerentur. Firmat hanc sententiam Livii testimonio, qui Lib I ita tradit: *Loca divisa Patribus Equitibusque, ubi sibi quisque spectacula pararet. Fori appellati.* Postea Tarquinium Superbum foros in Circo publicis impensis fieri curasse, imo tempestive providisse, ut tectis (quod jam tentarat Priscus) exornarentur. Unde simul ad liquidum perduci ait, quid Livius per *foros publicos*, & Dionysius per παστάδας ὑποστέγους intelligat. Hanc Circi faciem ad Julii Cæsaris tempora permansisse, quem primum triplicibus porticibus Circum auxisse, viri docti ex antiquis monimentis confectum dederint. Unde ipsos vanitatis coarguit, & protinus convincit, qui has

has porticus, ut & euripum Circi, a Tarquinio jam factum esse contendunt. Et quamvis suæ causæ præsidium a suffragio Dionysii Halicarnassei arcessere conentur, ostendit tamen Illustris Grævius, temere ipsum ad corroborandam hanc sententiam adduci, cum ibi, postquam dixisset, ut Circus fuerit exornatus a Tarquinio, addiderit descriptionem Circi, uti se habebat illo tempore, quo hæc literis mandabat. Inde columnas illas, in quibus ova & delphines erant, & quæ ad denotanda spatia, quot confecerant aurigæ, erigebantur, persequitur. Quando vero Dio Lib. XLIX non longe a fine scribit, *δελφῖνας καὶ ὠοειδῆ δημιουργήματα*, *delphinas & ovalia opera* ab Agrippa posita, id sic intelligendum putat, cum ovorum Circensium ante Agrippam meminerint Varro aliique, ab Agrippa delphines additos fuisse structuris ovalibus, sive fuerit earum forma oblonga instar ovi, sive super ova lignea (quod verius ipsi videtur, cum delphinorum nemo ante Augusti tempora meminerit) columnarum fastigiis inhærentia impositi præterea fuerint delphines. E contrario, quod Octavius Ferrarius in Electis censet, diversas duas pilas fuisse ova & delphines, ad numerandos flexus Venetorum & Prasinorum aurigarum, id sua sponte cadere, nec ullo idonei scriptoris suffragio probari posse, Grævius existimat. Non minus eleganter de *linea alba* commentatur, demonstratque, non fuisse funiculum album, sed sulcum transversum solo impressum, cui creta erat inspersa, qui a sinistro podio ad dextrum extendebatur, inter primas metas & carceres. Ad istam lineam nonnihil consistebant aurigæ ex carceribus emissi, antequam effunderentur in arenam, ut frontibus æquarentur. Huic rei, ut frontes aurigarum æquarentur, illosque morarentur, ne ante tempus justum transilirent lineam, inservivisse ipsi videntur *Moratores*. Producit idcirco aliquot inscriptiones veteres, & inprimis ineditam ex Gudiano corpore, quam hoc loco apponere consultum duximus.

DIS. MAN
A. TVCCIVS. A. L. STEPHANVS
AVRIGATOR. FACT. RVSSAT
ET. T. TVCCIVS. PACHRYSVS
MORATOR. EJVSD. FACTION
DEDICA

 Lo-

Loco cretæ nonnunquam calce usos affirmat ad lineam illam albam producendam Circo, indeque manasse loquendi genus *a carceribus ad calcem.* Aliam porro in Circo fuisse lineam, quæ ab Ovidio dicatur jungere, qui juxta sedent. III Amor. eleg. 2.

Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi.

Existimat Salmasius ad Hist. Aug. lineam Ovidio esse longum & rectum subselliorum ordinem per Circi extensum latus, in quo spectatores sedebant; ubi propter angustias non facile potuerit ille locus deseri, quem quis cepisset, sine incommodo & molestia. Sed tantum abest, ut ipsi assentiatur Clarissimus Grævius, ut potius adserat, Circum quatuor vias habuisse latiores a quatuor mundi cardinibus, sed plures angustiores, quæ dictæ fuerint semitæ, viæ, lineæ. Sedisse itaque puellam in ultimo subsellii loco ad lineam seu semitam, ita ut si ulterius voluisset fugere, cum se nollet ab eo, qui proxime sedebat, tangi, aut standum illi fuisset, aut de ordine subselliorum, in quo sedebat, cecidisset. Qua occasione contra Turnebum & Salmasium docet, *lineam divitem*, apud Martialem lib. VIII ep. 78, nihil esse aliud, quam orchestram, & equestria, in quibus Senatores & Equites spectabant opulenti; neque *sedere equiti* apud eundem lib. V ep. 14 notare aliud, quam assidere equiti, quod Suetonio sit *sedere in equite.* Miratur cæteroquin, Salmasium *Album Coracem* pro equi nomine habuisse, cum sit aurigæ nomen gregis Albati. Ex adverso contendit, quod in epigrammate Martialis, ex libro ejus septimo ab Onuphrio adducto, *Passerinus* & *Tigris* non sint aurigarum nomina, sed equorum, sicut & *Aquilo* & *Hirpinus* in alio lapide, qui p. 119 apud eundem Onuphrium laudatur, quos male adeo in aurigarum censum retulerit, cum fuerint nobiles equi, quibus vicerant aurigæ. Legi autem in lapide illo, ut ex Marquardi Gudii, qui lapidem illum inspexit, syntagmate didicisse se fatetur: AQUILONI. AQUILONIS; non, ut editum tam apud Onuphrium, quam Gruterum: AQUILONI. K. AQUILONIS. Exponit præterea veterem illam Quiritium formulam, *ad digitum pugnare*, comparatisque invicem doctorum virorum sententiis pronunciat, nihil notare aliud, quam hac conditione pugnare, ut paria non cessent a digladiando, quam alteruter succumbuerit, & erecto digito declaret & fateatur, se victum esse. Tandem cum Lipsius Lib. II. Saturn. c. 21 duas Amphithea-

theatri portas majores sibi adversas & oppositas commemoret, alteramque Libitinensem dictam esse adfirmet, alterius vero nomen se ignorare profiteatur, succurrit ipsi Grævius, alteriusque portæ nomen ex Passione S. S. Perpetuæ & Felicitatis restituit, appellatamque *Sanavivariam* esse ostendit. Uti vero per illam exportabantur, qui in Libitinæ censum venerant: ita per hanc, qui vivi illo certamine fuerant, & periculo defuncti, exivisse, præeunte Petro Possino in Paralipomenis ad dictam Passionem, observat. Plura adhuc supersunt a Grævio apposite dicta, sed illa scientes prudentesque prætermittimus, ne latius ista persequentes, fines nobis præscriptos excedere videamur.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM, congestus a JOANNE GEORGIO GRÆVIO, Tomus Decimus.

Trajecti ad Rhenum apud Franciscum Halmam, & Lugduni Batavorum apud Petrum van der Aa, 1699, fol.
Constat 5 Alphab. & plurimis figuris.

CONtinentur decimo hoc Antiquitatum Romanarum tomo ii potissimum scriptores, qui de re veterum Romanorum militari tradere, eamque evulgatis commentariis explicare, instituerunt. Primum locum occupant Nicolai Bergierii *de publicis & militaribus Imperii Romani Viis* libri quinque, e lingua Gallica in Latinam translati ab Henrico Christiano Henninio. Prodierant nempe jam anno 1622 Gallico sermone compositi, tantaque aviditate a viris doctis fuerant excepti distractique, ut nullo fere modo comparari insecuto tempore potuerint. Et quamvis serio adhibitaque diligentia eos investigaret celeberrimus Grævius, attamen nullibi exquirere potuit, ut adeo tam luculenti possessione operis ipsi carendum fuisset, nisi maxime Reverendus Abrincensium Antistes, Petrus Daniel Huetius, exemplar illorum, in Guidonis Patini Bibliotheca repertum acquisitumque, ipsi dono misisset. Quo impetrato Grævius auctor fuit suasorque Henninio, artis salutaris & elegantiorum literarum in Academia Duisburgensi Professori florentissimo, ut istos commentarios Latina civitate donaret, atqua ita efficeret, quo in plurium manibus essent, & ab iis etiam, qui Gallicæ linguæ imperiti sunt, intelligi auspicato possent. Quæ res feliciter cessit, quandoquidem doctissimus Henninius

ninius accurati & idonei interpretis officio functus destinata rite perfecit, illosque Latino sermone expressos, adjectisque (quæ singula & in hoc tomo comparent) Bergierii *addendis* & *emendandis*, nec non Joannis Baptistæ du Bos *animadversionibus*, suisque *notis* auctos & locupletatos, anno 1699 Ultrajecti evulgavit. His p. 821 jungitur Francisci Patricii *Res militaris Romana*, ex Italica in Latinam linguam conversa a Ludolpho Neocoro. Inde sequuntur p. 999 Hygini Gromatici & Polybii Megapolitani de *Castris Romanis*, *quæ extant*, cum notis atque animadversionibus Ratbodi Hermani Schelii: quibus p. 1107 s. annectuntur ejusdem Schelii dissertationes de *sacramentis*, *custodia castrorum*, *stipendio militari*, *stipendio equestri*, *stipendio ductorum*, *die stipendii*, *frumento & veste*, *tributo & ærario*, *præda*, *victu militum*, *itinere*, *agmine Polybiano*, *agmine Vespasii*, *cohortibus legionis antiquæ*. Succedit p. 1284 Claudii Salmasii *de re militari Romanorum* liber, opus posthumum, & p. 1454 Jo. Henrici Bœcleri dissertatio de *legione Romana*. Exhibentur præterea p. 1468 Francisci Robortelli Utinensis de *legionibus Romanorum* ex Dion. lib. IV, de *commodis*, *præmiis* & *donis militaribus*, de *pœnis militum* & *ignominiis* commentationes: nec non p. 1488 Erycii Puteani de *stipendio militari apud Romanos* syntagma, quo modus ejus hactenus ignoratus constituitur: & p. 1512 Vincentii Contareni de *militari Romanorum stipendio* commentarius. Tandem comparet p. 1526 Michaelis Angeli Causei, de la Chausse, Parisiensis, de *signis militaribus* opusculum, clauditque agmen p. 1532 Petri Rami, summi Philosophi & Oratoris, liber de *militia C. Julii Cæsaris*.

Præter Indicem amplissimum præfatio quoque a doctissimo Grævio adjecta est, ubi, si a cæteris accurate dictis discesseris, inprimis Viale argumentum a Bergierio pertractatum illustratur magis, fusiusque exponitur. Depromit hanc in rem nonnullas Inscriptiones nondum editas, sibique a summo, dum in vivis erat, viro Marquardo Gudio communicatas. Prima earum in Etruria inventa meminit *Viæ Nepetinæ*, *Cassiæ* & *Ciminiæ*, observatque Grævius noster, singulas has vias in Etruria sitas esse, Cassiamque duxisse a Clusio Florentiam; Ciminia vero a Viterbio quousque pertinuerit in Etruriam, nondum exploratum esse. Apponamus ipsam inscriptionem, ut accurati harum rerum existimatores, quam penitius intueantur, habeant.

T. HÆ-

T. HAERENNIVS T. F. CLAVD. CLAVDIANVS
IIII VIR. VIAR. CVRAND. TERMINAVIT
M. CORNELIVS. Q. F. POMPEIANVS
IIII VIR. VIAR. CVRATOR. VIAE. NEPETI :: ::
DIRECT. - - - DIVERTICVL....
CASSIAE. CIMINIAE. PASS. CCCCLXXX....
LAPIDEM. SIGNIN. ...

Cui hanc addit, easdem Cassiam & Ciminiam vias commemorantem Romæque inventam:

HERCVLI. ET. GENIO. ET. FAVNO. CONSER. DOM
TYETTIVS. PROBIANVS. V. C. CORRECTOR. ITER
VIAE. FLAMINIAE. ET. CASSIAE. CIMINIAE. VET
ET. AVRELIAE. TRIVMPHAL.......

Monet hic, *correctorem viæ* esse restitutorem viæ corruptæ & labefactatæ; videri vero vias Cassiam & Ciminiam concurrisse, & alibi junctas fuisse, ut quasi una habita fuerit, eo quod in inscriptionibus semper legatur sine copula *Cassia Ciminia*. Diversam ab istis porro exhibet inscriptionem, quæ *Ardeatinam* & *Severianam* viam prædicat, & his concepta verbis est:

IMP. CAES. M. JVLIVS. MAXIM
PIVS. FELIX. AVG
PONTIF. MAXIMVS. GERM. MAX
TRIB. POTEST. IIII. IMP. V.
COS. PROCOS. P. P. EX. TERM
LAP. MILL. N. XV.
ARDEATIN. SEVERIAN.

Id tamen admonet, in primo versu legendum esse C. JVLIVS. MAXIM. quandoquidem Maximini prænomen non Marcus, sed Cajus, fuerit. Duas insuper suppeditat viarum *Latinæ*, *Lavicanæ*, *Novæ Trajanæ*, *Semtimiæ*, *Ardeatinæ & Laurentiæ* mentionem facientes, quas tamen brevitatis studiosi consulto prætermittimus. Hoc solum tradimus, inquinate, pronunciante ita Grævio, & lapidarii oscitantia scriptum esse *Via Semtimia*, pro *Septimia*, cum confectum jam exploratumque sit, L. Septimium Pertinacem eam sternendam ponendamque curasse. Inde de IIII viris Viarum aut Viarum Curan-

darum, quorum & ſupra allata inſcriptio meminit, quædam adnotat, & huc facientes inſcriptiones duas allegat, hocque adeo negotium & curam operum & viarum publicarum in Urbe ad Ædiles pertinuiſſe, beneficio iſtius inſcriptionis itidem ineditæ demonſtrat:

C. CALPVRNIVS. C. F. PAL
VESTORIANVS
AED. CVRVL. TERMINA
VIT. OPERA. PVBL
TER

Uti vero Diis Vialibus Herculem non temere a Bergierio lib. IV, cap. 44 adnumeratum eſſe ſtatuit: ita & denuo ſuppetias ipſi fert, remque ad liquidum hac potiſſimum inſcriptione producit:

HERCVLI. COMITI
CONSERV. SACR
L. AELIVS. L. F. ESQ. PENIO
MILES. COH. VI. VIG. EX. V. S.

Idem de Fortuna Reduce in Dearum Vialium cenſum ab Henninio relata pronunciat, dictamque ſententiam petito ab inſcriptione iſta præſidio munit ac confirmat:

FORTVNÆ. REDVC. VIATOR
CONSERVATRIC. SACR
SEX. PERCILIVS. SEX. FIL
PRISCVS. MAGISTER
VICI. NOVANI. FABRICI
EX. V. S.

Huc tandem refert etiam Neptunum Reducem, tumque lapis ipſi poſitus & Oſtiæ erutus in inſcriptionum editarum libris non reperiatur, ejus verba adducit, quæ & nos hic repræſentabimus:

NEPTVNO. REDVCI
SACRVM
Q. MANLIVS. Q. F. PAL
SEVERIANVS
VI VIR. AVGVST. ET. FLAM
TITIAL. V. S. L. M

Solutum vero iſtud votum Neptuno Reduci fuiſſe ab iis, qui ex itinere maritimo ſalvi redierant domum, Clariſſimus Grævius exiſtimat.

Co-

Copiosus cæteroquin & prolixus est in decantandis Ratbodi Hermanni Schelii virtutibus laudumque ornamentis, & serio testatur, libris ejus, qui in hoc tomo continentur, tantopere non solum doctos homines, sed summos quoque Imperatores, qui non rudes erant literarum, in Germania Galliaque fuisse delectatos, ut ingenue adfirmarint, se ex illis non modo didicisse, quæ ad Romanorum militarem doctrinam, intelligendosque, qui illam descripserunt, priscos rerum Romanarum auctores optimos, sed & ad nostri temporis res militares rectius constituendas, & in nonnullis ad illam Romanorum disciplinam, qua orbis terrarum subactus est, conformandas spectare videantur. Inde summopere dolet, nec ejusdem duos tomos, quos de iisdem artibus bellicis Romanorum paratos habuit, nec Adversaria, in quibus multa in Theologia & Philosophia apte sciteque commentatus erat, lucem publicam aspexisse.

LA BELLEZZA DELLA VOLGAR POESIA &c.

ELEGANTIA VERNACULÆ POESEOS, OCTO DIAlogis demonstrata a JOANNE MARIO de CRESCIMBENIS, Custode Arcadiæ, una cum variis notabilibus & catalogo Arcadum, ad Eminentissimum & Reverendissimum Principem PETRUM OTTOBONUM, S. Eccl. Cardinalem Vice-Cancellarium.

Romæ per Jo. Francisc. Buagnium, 1700, in 4.
Constat 1½ Alphab.

PRæclare doctus illustrisque libelli hujus Autor, cujus Historiam vernaculæ Poëseos alibi recensuimus, conterraneos suos communi solum fama, & per transennam, quod ajunt, Poëtas judicari haud contentus, paulo propius illos exterorum oculis admovere, apertissimeque monstrare voluit, ipsis, sive Lyricos cantus in deliciis habuerint, aut immortalia Heroum facinora extulerint, sive socco Comico aut Tragico cothurno incesserint, sive pastorum amores aut divina mysteria carminibus suis celebraverint, id cordi serio fuisse, ut domesticum sermonem ad summum venustatis punctum proveherent, præcipuumque ideo honorem inter Musarum cultores jure optimo iisdem deberi. Quod ne temere asseruisse videatur, diversa e præstantissimis nationis suæ Poëtis exempla speciminis in modum profert, ad

Græcæ Poëseos stateram circumspecte expendit, verborum & idearum, ut vocat, amicissimum concentum sollicite inquirit, nec minus dissonantiam alicubi occurrentem bona fide detegit, illius causas judiciose explorat; atque, ut paucis multa complectamur, nihil fere intactum remanere patitur, quod ad confirmandam vulgaris Poëticæ laudem ac elegantiam, ulla ratione opportunum esse queat. Nostrum jam non est pensiculatius ista excutere, cum magis nos ad se trahat, quæ adjecta hic apparet Clarissimi Autoris Epistola ad Illustrissimum Comitem de Collonitsch, Canonicum Strigoniensis Ecclesiæ, de ortu atque institutis Arcadiæ perscripta, quam, historiæ literariæ ergo, prolixe referemus. Scilicet, cum de restaurando humaniorum disciplinarum, inprimis vero Poëseos, studio, a popularibus suis quadantenus intermisso, consilia agitassent Viri aliquot cordatiores, nihil utilius ipsis visum fuit, quam ut novam Societatem literariam, ad Reipublicæ normam sese habentem, quæ cunctos Italiæ eruditos caperet, mature fundarent. Fundaverunt quoque eam felicissimo ausu Romæ A. 1690, die 5 Octobris, & quo omnes de præminentia vel honoratiore loco rixæ averterentur, sapienter sanxerunt, ut sub veteris Arcadiæ pastorum specie larvis induti singuli convenirent. Hi fuere natales Arcadiæ, quæ tamen vix coaluerat, cum latissimas statim accessiones facere cerneretur, quandoquidem variæ non modo, eæque celebriores, in Italia Academiæ aggregari postularent, sed complures etiam literatorum, tam seculares, quam religiosi, Cardinales item & Principes, aliique ecclesiasticis dignitatibus spectabiles, quin & Fœminæ haud paucæ studiorum amantissimæ, eidem nomina dare sua gestirent, ita ut post decem annorum lapsum, Arcadum numerus ad sexcentos pervenerit. Septies autem quotannis in prato vel nemore, quod olim mons Palatinus aliaque loca, nunc Ducis Salviati amœnissimi horti subministrant, conventus celebrare gaudent Arcades, quorum sex in gratiam Pastorum Romæ commorantium edicuntur; qui poëmata sua ipsimet recitant, præter Cardinales ac Fœminas, quibus ad lucubrationes suas legendas, aliorum Pastorum opera uti concessum est; unicus vero ad proponenda absentium seu extraneorum carmina haberi solet, jucunditate & frequentia præ reliquis maxime nobilis, eo quod diversi totius literatæ Italiæ styli ibidem exhibeantur; omnes deinde

ver-

versus, dimissa concione, in tabulario reponuntur. Politiam hujus consortii quod attinet, illa, teste Autore nostro, Democratica seu Popularis est, utpote quod Principem vel Protectorem plane ignoret, Custodemque solummodo, totum cœtum repræsentantem, agnoscat, qui singulis Olympiadibus, id est, quaternis annis exactis, per suffragia eligitur, aut de novo confirmatur. Illi potestas competit, bis hyberno, vel, si necessitas urgeat, æstivo quoque, tempore, extra ordinem convocare Arcadiam, atque ejusmodi conventus appellantur Convocationes generales. Ipsemet pariter ex Arcadibus ætate provectioribus & prudentioribus, modo ii non sint ex Acclamatorum classe, accedente Societatis consensu, duodecim in Collegium sibi quotannis cooptat, cum quibus de omnibus negotiis, exceptis Acclamationibus & Surrogationibus, suprema autoritate decernit, salvo tamen penes Societatem, quæ a prædicto Senatu deliberata fuere, revocandi arbitrio. Præterea quolibet etiam anno constituuntur duo Subcustodes, unus Procustos seu Vicarius, & quatuor Deputati seu Superintendentes, quibus singulis certæ assignatæ sunt functiones. Quicunque vero Arcadum ordini accenseri cupit, illum annos viginti quatuor complevisse, generis vel morum nobilitate excellere, tandemque eruditionis fama præstare oportet; licet primum requisitum a Congregatione interdum remittatur, ratione Fœminarum autem insuper desideretur, ut versibus condendis jam ante operam posuisse noscantur. Aggregationes vero quinque modis absolvi solent. Primus vocatur *Acclamatio*, quoties Cardinales, supremi dominii Principes, Vice-Reges, Regumque Legati, admitti cupiunt; tunc enim viva voce suffragia eduntur. Alter dicitur *Annumeratio*, Fœminarum & Coloniarum causa introductus, ubi secreta vota colligi moris est. Tertius *Repræsentatio* nominatur, collegiorum, in quibus Juvenes nobiles aluntur, gratia institutus, quorum quidem unus duove ab ipso Collegio commendati, Arcadibus hic pariter, ac in reliquis duobus modis, secreto suffragantibus, admittuntur. Quartus in ordine est *Surrogatio*, dum in demortuorum vel albo expunctorum Pastorum locum alii substituuntur. Ultimus denique *Destinatione* expeditur, quando scilicet, non vacante ullo loco, Candidatis ingenio & doctrina pollentibus titulus Arcadis interea nomenque Pastorale defertur, donec loca quædam vacare contingat. Huic enim

Consortio associatus, nomen quoddam Pastorale, aliudque cognomen, a memorabili veteris Arcadiæ loco aut prædio mutuatum, e totius Congregationis sententia accipit, atque obstrictus est, ut de eodem pro virili bene mereri studeat; nulla hic inter Pastores occurrente differentia, nisi quod Acclamatis in subscriptionibus Arcadis Acclamati axioma Pastoritio nomini jungere fas sit. Coloniæ autem Arcadicæ, quarum mentionem fecimus, in aliis Italiæ civitatibus constituuntur, iisdem legibus ac moribus, quibus Romana Societas utitur, regendæ. Vice-Custodem habent, qui cœtui præest, ac denominationem suam vel ab urbe, ubi conditæ sunt, vel a potiore Academia, quæ inibi floret, sortiuntur, suntque sequentes: Coacta (Forzata) Aretii, Maceratensis Maceratæ, Animosa Venetiis, Bononiensis seu Rheni Bononiæ, Ferrariensis Ferrariæ, Physico-Critica Senæ, Alpheja Pisis, & Camaldulensis, quæ e Religiosis tantum constat, in provincia Ravennatensi. Sicuti de cætero in Arcadia antiqua ludi solennes habebantur: ita quoque laudatissima hæc Academia, ut illius indolem ac consuetudines per omnia referret, sub ingressum novæ Olympiadis ludos indicit, non quibus corpora, sed quibus ingenia exerceantur; in quem usum certæ Ephemerides compositæ prostant, quarum computum, paucis interjectis, Noster subnectit. Istud denique florentissimæ Societati inprimis curæ esse memorat, ut Pastores suos, tam vivos, quam mortuos, singulari honoris cultu prosequatur, adeoque illos dies, quibus eorum ad ampliores gradus promotiones denunciantur, lætos, qui vero eorum obitum indicant, mœstos, in fastis suis notari, Viris imo consummatæ doctrinæ monumenta e marmore statui jubeat. Postquam igitur de origine Arcadiæ hæc aliaque multa accurate explicuit, illius etiam Leges apponit, quas, cum & ante allata magis illustrent, & priscorum Νομοθέτων genium apprime redoleant, libenter hic publico impertiemur. Eæ autem ordine sic se habent: I. Penes Commune summa potestas esto. Ad idem cuilibet provocare jus esto. II. Custos rebus gerundis & procurandis singulis Olympiad. a Communi creator, minusque idoneus removetor. III. Custodi Vicarius, & Collegæ duodecim adsunto. Eorum singulis annis Custos, consulto universo cœtu, novos sex in orbem eligito, sex veterum retineto. Administros sibi duos adsumito. Præter hæc, alia munera publica ne sunto. Patronus nullus

lus esto. IV Suffragia secreta sunto, eaque in Custode creando, aut removendo, trifariam dividuntor, justusque numerus duæ partes sunto. Cæteris in rebus bifariam dispertiuntor, quique partem dimidiam exsuperat, numerus justus esto. Si paria fuant, iterantor. Deinceps res sorti committitor. V. Quicquid per Collegium de rebus communibus actum, gestumve fuat, quo perpetuo ratum siet, per Custodem ad Commune refertor. VI. Cœtus universus relationibus audiundis, actisque cognoscundis, hyeme saltem bis in ædibus; carminibus autem, & orationibus pronunciandis, præsentium quidem Pastorum per annum sexies, absentium semel, vernis & æstivis feriis in nemus Parrhasium per Custodem sub dio convocator. VII. Mala carmina, & famosa, obscœna, superstitiosa impiave scripta ne pronunciantor. VIII. In cœtu, & rebus Arcadicis pastoritius mos perpetuo, in carminibus autem, & orationibus, quantum res fert, adhibetor. IX. Arcadico nomine typis injussu publico ne quid editor. X Quot prædiorum Arcadicorum tituli, totidem Pastores, Pastorumque nomina sunto. Inque mortui, aut expuncti, locum alius sufficitor. *Sanctio:* si quis adversus H. L. facit, faxit, fecerit, quive facit, faxit, feceritve, quo minus quis secundum H. L. faceret, fecissetve, facturusve siet, confestim Exarcas esto, ejusque nomen coram Collegio per Custodem inducitor. Si quid in his legibus obscurum, perplexumve siet, sive comprehensum non siet, Communi Arcadum, consultis peritioribus inter Pastores, more majorum interpretandi, supplendique jus esto. Quodque decretum, judicatumve siet, penes Custodem adservator, in legum Tabulas ne redigitor. Nulli novas Leges ferre fas esto. Alphesibœus Carius Custos Cœtum universum ita rogavit. Velitis jubeatis Arcades, ut, quæ in his legibus ad nostri Communis regimen comprehensa, perscriptaque sunt, authoritate, jussuque communi justa, rata, firma, perpetuo sient, iisdemque Pastores posthac omnes perpetuo teneantur, ut, quicumque Arcadicum deinceps nomen adsumserit, obstrictus H. L. veluti sacramento siet. Cœtus universus scivit. Olympiad. DCXVIII. An. III. Ab Arcadia instaurata. Olympiad. II. An. II. Subsequuntur præcepta quædam in Coloniarum Arcadicarum erectione observanda, & catalogus geminus, in quorum altero singulos Arcadas pastorali, in altero gentilitio nomine designatos, juxta seriem alphabeticam commodissime invenire licet.

TRAI-

TRAITÉ DES MEDICAMENS ET LA MANIERE de s'en servir pour la Guerison des Maladies.

Id eſt,

TRACTATUS DE MEDICAMENTIS ET METHOdus ea adhibendi ad morbos curandos, per DANIELEM TAUVRY, Academiæ Regiæ Scientiarum Socium, Doctorem Medicinæ & Facultatis Medicæ Pariſienſis Aſſesſorem.

Pariſiis apud Bartholomæum Girinum, 1699, in 8.
Conſtat Alphab. 4, pl. 5.

TAndem Tractatus hic elegantiſſimus ad noſtras pervenit manus, poſtquam ab Eruditis dudum jam probatus, & aliquoties recuſus fuit. Eſt enim hæc, quam nunc exhibemus, editio ultima, reviſa, correcta & aucta. Artem ſalutarem promovendi multis abhinc annis Clariſſimum Authorem occupaſſe ſtudium, ex *nova* ipſius *Anatomia Rationali*, a nobis anno 1691 menſe Octobri pag. 471 tradita patet; quem laudatiſſimum conatum præſenti denuo teſtatur opere. In eo namque totus eſt Clariſſimus Tauvry, ut diſtinctum, inſtituta remediorum analyſi, adornatisque experimentis, exhibeat circa illa illorumque modum operandi conceptum. In duos dividitur liber tomos, totidemque partes ſinguli obtinent.

In *Parte I Tomi I* generalia tractantur de Medicamentis, qualia dicuntur Authori corpora mixta, pravam corporis diſpoſitionem in meliorem mutantia; quorum illa, quæ ex Regno Minerali deſumuntur, vacuantia potiſſimum, reliquis majorem quidem poſſidere creduntur efficaciam, ita tamen, ut non negligenda ſint, quæ vel Regnum Animale, vel Vegetabile, ſuppeditat, utpote majores vires alterantes obtinentia. Cum autem remedia ſint vel naturalia, vel artificialia, (ſimplicia & compoſita communiter dicta) horum neceſſitatem contra quosdam (qui eorum præparationem ex eo ſpernunt, quod natura ſufficientem ſuppeditaverit morbis medendi apparatum, & ſingulis affectibus ſpecifica oppoſuerit ſimplicia, quæ cognoſci facilius, quam compoſitiones inveniri, queant) defendit, negans, naturam in ſimplicibus ſuppeditaſſe, quæ vitam ſervent, nedum quæ morbos profligent, hanc potius noſtræ

ſtræ rationi eam commiſiſſe putans curam, inveniendi talia, quibus vel commodius vitam producere queamus; id quod panis & vini exemplis probatur. Neglectis aliis medicamentorum diviſionibus, tot eorum commode conſtitui poſſunt claſſes, quot tertiæ eorum qualitates ſeu ſpecificæ, quas occultas Veteres, adeoque inexplicabiles crediderunt, ſuppeditant, per ſecundas qualitates vel manifeſtandas vel explicandas. Circa medicamenta porro obſervanda ſunt eorum electio, præparatio, & miſtio. Electio dependet a tempore colligendi, ſolo natali, & qualitatibus ſenſibilibus, quæ cognoſcuntur ex ratione, experientia, & utrisque combinatis. Experientiam, cui ratio conjuncta eſt, acquirimus partim per analyſin, partim per experimenta, quæ circa remedia cum humoribus corporis noſtri miſcenda verſantur, partim per qualitates ſecundas, utpote quæ odore, ſapore, &c. manifeſtantur. Ordine ſingula pertractat Noſter; & quanquam ſint, qui modum per analyſin corporum qualitates detegendi inanem proclamant, dicentes, per ignem deſtrui pleraque principia mixti; ſalia eſſentialia in lixivioſa mutari, alcalia ignis eſſe productum; principia quinquinæ, opii, ſennæ non tales producere effectus, quales compoſitum edit; vas, in quo analyſis inſtituitur, medicamento virtutes ſuas communicare &c. omnibus tamen his rationibus apte reſpondet. Quanquam enim, inquit, ignis deſtruat quædam principia mixti, atque nova, e. g. alcali, producat, negari tamen non poteſt, per ignis torturam in aliis principia manifeſtari, e. g. ſalia acida, & productum ignis alcalium pro remedio nobis inſervit; imo dantur analyſes absque igne inſtituendæ, dum e. g. ſalia eſſentialia, oleum amygdalarum, nucum, &c. parantur. Ponamus porro, eſſe quædam mixta, quæ alium producunt effectum atque illorum principia, nihilominus ex horum analyſi de modo operandi certiores reddimur, quod opii exemplo demonſtratur; imo ſunt alia, in quibus alterutri principiorum efficacia, quæ mixto ineſt, adſcribenda venit, quemadmodum ſulphuris copiæ, qua turgent ex vegetabilibus quædam, vis odorem ſpargendi in acceptum eſt referenda. Tandem ne moleculæ a vaſe æneo medicamentis admiſtæ operatori imponant, in vitreo aut terreo analyſis inſtitui jubetur. Alterum modum quod attinet, hujus pariter efficacia in dubium vocari poſſet, dum medicamenta in humores cor-

cap. 2. (margin, beside "Circa medicamenta porro obſervanda ſunt")

cap. 3. (margin, beside "Alterum modum quod attinet")

corporis vivi & in sanguinem arteriosum aliter operari videntur, quam in sanguinem venosum, per venæsectionem e. g. extractum, nisi per phænomena in humoribus extra corpus observata ad conjecturam duceremur, quomodo remedia in corpore vivo agerent; & nisi constaret, medicamenta assumta cum chylo primum sanguini venoso admisceri, ita ut de sanguine arterioso ipsiusque alteratione
cap. 4. cogitare necesse non sit. Quibus præmissis, in quæ principia cor-
cap. 5. pora per analysin reducantur, docetur, tum sapores examinantur, &
cap. 6. primum corpora insipida, unctuosa, nitrosa & amara, dein acida,
cap. 8. acria, & aromatica, evolvuntur, eorumque principia & effectus explicantur. De odoribus dum agitur, hi principia mixti non solum manifestare, sed corpus humanum potentissime afficere, dicuntur; quod fœminæ docent hystericis passionibus obnoxiæ, aliique homines, quibus suaveolentia motum & sensum auferunt, graveolentia autem reddunt. Cujus rei ratio in eo consistere Nostro videtur, quod graveolentia levem capitis dolorem excitent, quatenus irritando nervos per duram matrem transeuntes hanc contrahunt, hinc receptaculo spirituum angustato hi per nervos iterum influant, partibusque motum & sensum restituant; cum e contrario suaveolentia poros dilatando spiritibus locum concedant commorandi in cerebro, ut ad partes vel plane non, vel non adeo copiose, influant. Atque his de electione medicamentorum traditis pauca de eorun-
cap. 10. dem præparationibus, partim ad augendas vires, partim ad qualitates nocivas corrigendas, partim ad assumtionem facilitandam neces-
cap. 11. sariis, ut & de mixtione, atque formulis adjicit Author. Tum per-
cap. 1. git, & *Parte II.* doctrinam hanc exemplis illustrat petitis ab Evacuantibus, atque *Emetica* dum exhibet, exponit, in quo vomitus consistat, quomodo singula emetica agant, in quibus morbis hæc conveniant, quid ante & sub operatione observandum sit, quæ sint nociva, & qua ratione operatio illorum nimia sit refrænanda? tandem in tabula Emeticorum seriem atque formulas, vel ex Medicorum libris desumtas, vel a se inventas, subnectit, qua pariter methodo reliqua lustrat evacuantia. Excitatur autem vomitus juxta Authorem, vel quando spiritus ex cerebro copiosius per nervos gastricos influunt, vel quando inhærentes in fibris ventriculi a quocunque vellicante ad motum majorem stimulantur, vel quando per poros fibrarum ventri-

triculi transpirare non possunt, ad quam ultimam classem oleosorum actio refertur. *Purgantia* operantur vel irritando & motum peristalticum augendo, vel excrementa liquidiora reddendo, sive id contingat per propriam humiditatem, sive propter obstructos poros venarum lactearum, ita ut omnis humiditas per intestinorum canalem descendat, sive per agitationem massæ sanguineæ, qua efficitur, ut copiosior bilis, succi pancreatici & intestinalis ad primas vias detur proventus. *Diuretica* vel augent serositatem sanguinis, ut cap. 5. aqua simplex, & mineralis, aut vinum album, vel humores corporis in motum adigunt, ut terebinthina, millepedes, cepæ, cantharides, vel figendo fibrosam sanguinis partem seri secretionem adjuvant, ut spiritus nitri, vitrioli, vel fundendo humores removent obstacula in vasis urinariis contenta. *Sudoriferorum* alia sunt volatilia, cap. 7. quæ in motum reducunt humores, horum principia commovendo, & materiæ ætheræ forsan ansam præbendo efficacius operandi, ut sal volat. viperarum, cornu cervi, sanguinis hum. urinæ, ammoniacum, vel alcalica absorbentia, quæ acidum, sanguinis texturam aliquatenus coagulans, absorbent, & seri secretionem juvant, ut antimon. diaphoretic. bezoard. min. lap. cancr. corallia &c. vel sulphurea & balsamica, quæ sulphure suo subtili sanguinem rarefaciunt, ut guajacum, sassaparilla, sassafras, carduus Bened. vel talia, quæ sanguinem non movent, hinc sero diutius circa glandulas cutis hærendi copiam faciunt, ut commodius imbibatur, & filtretur, ut opium, syrupus papaveris albi. *Masticatoria* irritant & aperiunt cap. 9. ductus salivales & salivam ipsam rarefaciunt, ac fluiditate donant, qualia sunt acria, ut pyrethrum, zingiber, sinapi, terra catechu, semen anisi, fœniculi, nicotiana &c. (atque eodem modo apophlegmatismi agunt) vel proliciunt salivam eo ipso, quo in ore volutantur, ut globus crystallinus, mastiche, cera sigillatoria; qua occasione, ut cura salivatoria per Mercurium institui debeat, docetur. *Sternutatoria* tandem sunt salia acria, & agunt vellicando, & irritando membranam interiorem narium, quæ per nervos olfactorios duræ matri eandem molestiam communicat, unde hæc spiritibus animalibus in fibras carneas refluentibus se contrahit, & spiritibus viam ad membra transcurrendi intercipit, qui per vias magis apertas, id est, ad musculos respiratorios, influere coacti talem motum efficiunt.

In *Tomi II* Parte I, quæ est tertia totius operis, ad *Alterantia* progreditur Author, quæ licet dispositionem sanguinis & humorum absque ulla sensibili evacuatione corrigant, non obest tamen, quo minus emmenagoga, carminativa, bechica, lochia & fœtum pellentia ad eandem classem referantur, utpote quæ per alterationem humores disponunt, ut evacuari commodius valeant. Hinc ista primum examinat, tum pergit ad alterantia, quæ qualitates generales corrigunt, incrassantia puta, attenuantia, & ultimo tradit specifica. Quemadmodum autem nulla fere alterantia absque fermentatione agunt, hinc suadet Noster, ut initio dosis eorum detur exilis, usus vero aliquandiu continuetur. De priori classe nunc nil attinet dicere, siquidem medicamenta, quæ menses, fœtum, secundinas, pellunt, pro causarum diversitate variant, adeoque aliter atque aliter operantur. Ad classem vero alterantium proprie sic dictorum quod spectat, quemadmodum humores corporis nostri vel nimis fluidi & rarefacti, vel nimis crassi minusque moti sunt, ita incrassantia & attenuantia potissimum sub examen vocantur. Quoniam autem massa sanguinea fermentis peregrinis scatens acciditatem vel acrimoniam p. n. contrahit, hinc hic loci itidem de febrifugis, antivenereis, antiscorbuticis & antihypochondriacis sermonem facit.
Part. III. cap. 12. *Attenuantia* igitur juxta Clarissimum Tauvry vel per accidens aperiunt, absorbendo acidatem in primis viis stabulantem, ut oculi cancrorum, corallia, succinum, &c. vel facilius funduntur, & ad massam sanguineam penetrant, ut salia lixiviosa, vel particulis metallicis imprægnata in primis viis nullam mutationem subeunt, sed integras vires ad sanguinem perferunt, ut antimon. diaphoretic. antihectic. Poterii, Cinnabaris antimon. &c. vel particulis aromaticis & volatilibus turgida sanguini majorem largiuntur motum, ut salia volatilia, myrrha, theriaca &c. *Incrassantia* constant particulis crassioribus, massæ sanguineæ se miscent, uniunt hujus partes, & destruunt id, quod fermentationi ansam præbebat; ut radic. altheæ, cichorei, nymphææ, semina frigida. Ad utramque classem referuntur *Narcotica*, quorum alia motum sanguinis intendunt, ut crocus, spiritus vini, alia supprimunt, ut semina frigida; nihilominus talia somnum non inducunt, quatenus sunt attenuantia, vel incrassantia, siquidem tantum abest, ut omnia attenuantia vel incrassantia hunc

hunc edant effectum, ut potius salia volatilia e. g. & acida vigilias inducant, & somniferorum operationem turbent; sed narcotica in spiritus agunt potius, quam in massam sanguineam, quatenus constant vel particulis oleosis volatilibus cum terrestribus mistis, vel salibus volatilibus acidis obvolutis. *Styptica* & *adstringentia* sanguinis serositates corrigunt, & partibus solidis naturalem reddunt tonum vel superfluitates serosas evacuando, modo per urinam, ut spiritus salis, aluminis &c. modo per alvum, ut rhabarbarum, succus rosarum, myrobalani, modo per vomitum, ut ipecacuanha, modo per habitum, ut sudorifera; vel absorbendo, qualia sunt modo terrestria, ut corallia, oculi cancrorum, terra sigillata, &c. modo styptica, ut rhabarbarum tostum, cortices granatorum, nuces cupressi, &c. vel vias obturando, ut mespila, cydonia, ova dura &c. vel principia fermentativa æque ac acida destruendo, ut plantago, equisetum, sperma ranarum &c. Quemadmodum porro febris essentia in sanguinis fermentationibus consistit, ita, quæcunque has possunt destruere, inter *febrifugorum* classem censeri merentur, sive sint incrassantia, sive emetica, sive purgantia, sive sudorifera, sive præcipitantia, sive sulphurea. Cortex Peruvianus febres fugat non quidem figendo humores, sed ratione particularum volatilium, oleosarum, paucarum acidarum, materiam peccantem absorbendo, & sanguini justam fluiditatem concedendo. Infusio jalappæ, frigoris tempore in intermittentibus pro sudore promovendo propinata, magnarum esse virium dicitur. *Antivenereorum* operatio consistit in acidi corrosivi spiculis infringendis & ex corpore proscribendis, id quod decocta lignorum & Mercurialia cum antimonialibus præstant. Et quoniam in *scorbuto* itidem acidum peccat, quod tamen non adeo corrosivum est, utpote sulphuribus terrestribus involutum, hinc in 2 classes ipsius remedia dispescuntur, quæ tamen omnia sal aliquod ammoniacum pro basi agnoscunt. Vel enim in his acidum superat particulas acres volatiles, ut in lapatho acuto, nasturtio aquatico, agrimonia &c. vel hæ copiosiores sunt, ut in persicaria, aro, lepidio &c. Quibus tertia adjungi potest classis, in qua particulæ acidæ per volatiles acres & magnam olei copiam sunt temperatæ, ut in salvia, sinapi, & junipero. Id quod etiam de *Antihypochondriacis* judicandum: quorum potiora ex Marte parata sunt, utpote particulis satis validis acidorum spi-

Marginal notes: cap. 15. (beside "Styptica"); cap. 16. (beside "Quemadmodum"); cap. 17. (beside "Antivenereorum"); cap. 18. (beside "Et quoniam"); cap. 19. (beside "Antihypochondriacis")

ſpicula obtundentibus prædita, cum e contrario volatilia, ut ſpiritus Sal. Ammon. fermentationes producendo ſymptomata absque cauſæ imminutione augent, niſi oleoſis ſint commiſta, ut Tinctura Croci, Caſtorei, Sal vol. oleoſum. Sed ad *Specifica* eſt properandum, quæ agunt modo peculiari in certum morbum aut certam partem. Quanquam autem talia in partes agere, non affecta maſſa ſanguinea, dicenda non ſint, non tamen negari debet, dari medicamenta, quæ facilius ſeparantur in hac, quam in alia parte, aut quæ huic humori promtius miſcentur, quam alteri, ſiquidem videmus, cantharidum uſum urinæ, non autem ſputi, aut fecum acrimoniam ſequi, & terebinthinam aſſumtam urinæ, non autem ſudori aut ſputo, violaceum largiri odorem. Sic negari neutiquam poteſt, dari medicamenta certis partibus appropriata, quando immediate has tangere poſſunt, qualia ſunt collyria, epithemata ſtomachica, fomentationes hepaticæ, ſplenicæ &c. Imo quanquam nemo absque arrogantiæ ſpecie aſſeverare queat, ſe poſſidere talia medicamenta, quæ ſemper & ubique hunc vel illum morbum profligent, nemo tamen inficias ibit, dari remedia, quæ epilepſiam, apoplexiam, paralyſin &c. felicius tollunt, quam alios morbos. Cujus rei ratio in hoc conſiſtere videtur, quod medicamenta ut diverſas obtinent particulas, ita diverſimode etiam agunt. Videmus enim acida omnia in genere cum alcalicis fermentari: alia tamen aliis qualitatibus conſtant particularibus. Sic ſpiritus nitri lapidem diſſolvit, quem alia acida intacta relinquunt; acidum ſulphuris ſanguinem non coagulat, ſecus atque reliqua agunt acida. Quoniam autem auxilia partibus diverſis dicata non inventa vel cognita fuerunt, quam ubi ipſos morbos profligarunt, hinc, ubi de remediis certis partibus appropriatis loquitur, haud inepte de illis, quæ morbis ſpecifice opponuntur, diſſerit Author Clariſſimus. Diſtinctis igitur capitibus tractat de *cephalicis, antepilepticis, antapoplecticis, antiparalyticis, de remediis contra deliria melancholica, maniam, & rabiem;* de *cardiacis* & *alexipharmacis, antipleuriticis, ſtomachicis, anthelminticis, antidyſentericis, hepaticis, ſpleneticis, antihydropicis, lithontripticis, hyſtericis, aphrodiſiacis, antaphrodiſiacis, lac generantibus & deſtruentibus, antipodagricis, & medicamentis, quæ in hæmorrhoidibus in uſum veniunt.* Quæ cuncta cum pro cauſarum varietate varient, nunc præferimus,

Opus

Opus claudit *Pars IV*, quæ tradit medicamenta morbis externis opponenda. *Anodyna* puta, *repellentia & adstringentia, resolventia, maturantia, & emollientia, suppurantia, mundificantia, & detergentia, corrosiva, incarnativa, vulneraria, epulotica, vesicatoria*, item *quæ ad ambusta, cariem, callum inducendum, gangranam, impetiginem, scabiem, tineam, strumas valent, quæ pilos generant, & destruunt, quæ nævos, clavos, verrucas, pediculos, perniones, oculorum & aurium affectus, dentium dolorem & stuporem, cancrum oris & uvulæ laxationem tollunt.*

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI GEOGRAphia Curiosa, seu de Pagis antiquæ præsertim Germaniæ Commentarius, cum insigni appendice.

Francofurti ad Mœnum, impensis Friderici Knochii, 1699, in 4. Alphab. 2, plag. 20.

QUi Germaniæ Antiquitates perquisiverunt, id quoque dederunt operam, ut Pagorum, quibus Germania distincta quondam fuit, historiam traderent, eorumque situm & naturam curatius explicarent. Suscepit tale institutum superiori ætate Henricus Bebelius, Justingensis Suevus, deque Sueviæ pagis apte & eleganter commentatus est. Neque contemnenda est opera, quam Marquardus Freherus, Consiliarius Palatinus, in describendis Superioris Germaniæ pagis præstitit. Maxime vero hic commemorari meretur Henricus Meibomius senior, Academiæ Helmstadiensis Professor olim clarissimus, qui Septentrionalis Germaniæ pagos cum cura exposuit, vocatisque in consilium ætatis mediæ scriptoribus, nec non tabulis, & actorum non fallentibus documentis, egregie delineavit. Quod institutum attigit deinde quoque in *Notitia Galliarum* Hadrianus Valesius, nec inepte persecutus est Caspar Sagittarius in *Antiquitatibus Thuringicis*. Enimvero cum ista destinata latissime pateant, & multis præterea difficultatibus involvantur, vix fieri potuit, ut prorsus expediri hucusque a Viris doctis potuerint, quin potius animadversum est, nondum satis explicata, latebrisque evoluta omnia, imo iter istud confragosum sane & lubricum sine casu & prolapsione neutiquam confectum esse. Quod cum intelligeret, de quo aliquoties in Actis nostris dictum est, doctissimus Paullini, id sibi agendum

ratus

ratus eſt, ut in hoc curriculo magis magisque procederet, collectisque copiis felicius progrederetur. Neque Virum eruditiſſimum ſententia fefellit, quandoquidem juſtis præſidiis inſtructus ſchedisque *Sagittarianis* a Summe Reverendo Helmſtadienſium Theologo, D. Jo. Andrea Schmidio, communicatis adjutus negotium, quoad fieri potuit, eo perduxit, ut apto demum volumine comprehenſum ante aliquot annos luci publicæ datum fuerit. Ita vero in eo opere (de quo nunc demum nobis diſſerere licet) verſatus eſt, ut pagos ſecundum ſeriem ac ordinem literarum enumerarit, &, quæ hanc in rem ex optimis quibusque ſcriptoribus dici poſſunt, ſummo ſtudio attulerit. Multi proinde hic comparent pagi ab aliis prætermiſſi, multi etiam dilucidius fuſiusque explanati, cujus inſtituti nonnulla daremus ſpecimina, niſi librum ipſum potius legi vellemus. Id prætereundum nobis non eſt, Appendicem huic operi adjeciſſe clariſſimum Paullini, nonnulla huc facientia aliaque monimenta complectentem. Primum locum occupat Caſparis Henrici Graunii, jam S. Theologiæ Doctoris & ſacrarum rerum Rochlicii in Miſnia antiſtitis, de *Dalemincia Slavorum* diſſertatio, Vitembergæ antea publice propugnata, & bona fide, pronunciante Paullini noſtro, ex antiquitate Miſnica eruta. Hanc excipit *Vita B. Waltgeri illuſtrium Comitum Hervordienſium in Weſtphalia ultimi*, ex vetuſto codice membranaceo edita. Succedit ipſius noſtri Paullini *Hiſtoria nobilis ſecularisque virginum collegii Visbeccenſis*, variis allatis chartis Imperatorum, Pontificum & reliquorum, tum vero & aliis egregie huc facientibus lectuque neutiquam injucundis digreſſionibus aucta, innexis inſuper Chronici MSti fragmentis ejusdem Congregationis. Tandem adduntur *Antiquitates Pagorum & Comitatuum Principatus Anhaltini*, ex antiquis rarisque monimentis erutæ, & plurimis diplomatis nunquam antea viſis illuſtratæ a Chriſtiano Knaut Med. D. & Archiatro Anhaltino. Singulis his opuſculis ſui ſunt ſubjecti indices, rerum ſummam apto ordine commonſtrantes.

ERRATA.

Sectione Supplementorum præcedente, pag. 402. lin. 17. 19. 21. 37. & pag. 403. lin. 3. 4. 5. pro *ſucco* lege *ſaccum*.

*** *** ***

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. XI.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE Ecclesiastique. Tom. VI. par Mr. le NAIN de TILLEMONT.

i. e.

COMMENTARII COMPONENDÆ HISTORIÆ Ecclesiasticæ inservituri. Tomus VI. Auctore NANO TILLEMONTIO.

Parisiis, apud Car. Robustel, 1699, 4.
Alph. 5.

In sexto hocce operis Tillemontiani tomo, gravissima Historiæ Ecclesiasticæ capita erudite, & ea, qua Auctor uti solet, methodo pertractantur. Namque, ut reliqua taceamus, Donatistarum usque ad Episcopatum Augustini, Arianorum usque ad Imperium Theodosii M. Concilii denique Nicæni historia in eo prolixe exhibetur. Nos hinc inde, quæ memoratu præ aliis digna visa fuerint, decerpemus.

In Botri atque Celesii ambitionem, Lucillæ item, fœminæ divitis &, ut Optato Milevitano audit, factiosæ, iracundiam & vindictæ cupiditatem, causam præcipuam orti schismatis Donatistici conferendam esse, ex Optato Milevitano & Augustino satis constat. Et Lucilla quidem, auctore Optato, correptionem archidiaconi Cæciliani ferre non potuit, eam reprehendentis, quod antequam ad S. Cœnam accederet, os cujusdam Martyris, ab Ecclesia tamen nondum Artic. VII. p. 11.

 in

men non sequitur, ut libenter Noster concedit, quod non privati quidam a Mensurio se separarint. Sed majorem difficultatem affert hoc Augustini effatum: *de Mensurio autem quid respondeam, cum ab ejus tempore usque ad obitum, plebs unitatis nulla conscissa est?* In quo dubio solvendo operosus Noster est. Eo tamen tandem res redit: Augustinum pariter atque Optatum hujus schismatis, eo quod momentum non traheret, nullam habuisse rationem; aut illud Optato quidem plane non innotuisse, Augustino autem paulo tardius, postquam scilicet jam contra Petilianum scripserat. Sed & alias ad dubium hoc tollendum conjecturas adfert, quibus non immorabimur. Ad Donatum autem istum de Casis-nigris revertimur, qui licet duplici ratione pro causa schismatis haberi queat, receptæ tamen sententiæ, quod non ab hoc, sed ab alio quodam Donato, nomen Donatistarum fluxerit, Tillemontius refragari non audet, idque ideo, quia hoc tempore potius a Majorino nomen sortiti sint. Sed de initio quidem schismatis ex Auctore nostro hoc observare visum fuit. Auctor est Optatus Milevitanus, cum Donatistæ a Concilio Romano ad Constantinum Imperatorem provocassent, Imperatorem in hæc erupisse verba: *o rabidæ furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Henricus Valesius autem ex Augustino luculenter ostendit, Donatistas quidem ab Arelatensi, non autem a Romano Concilio ad Constantinum provocasse, de quo nimirum solum apud eundem Imperatorem conquesti fuerint. Qua in re hactenus quidem illi suffragatur Tillemontius, ut tamen doceat, errorem hunc Optato vitio verti non posse, cum Arelatense Concilium illi plane ignotum fuerit, & deprehenderit tamen, a Concilio quodam ad Imperatorem Donatistas provocasse. Adeoque & Augustinum in Psalmo abecedario contra Donatistas, ubi Optatum stricte sequatur, idem asserere: ex quo velut in transitu colligit, in textu Optati nihil immutandum esse, quod nonnulli tentarint. Nec tamen dissimulat, videri alicui posse rem parvi momenti, & litem fere de voce solum esse, sive dicamus, Donatistas a Concilio Romano provocasse, sive eos apud Imperatorem de hoc Concilio conquestos esse. Discrimen tamen inter hæc intercedere, ex Augustino docet. Nimirum a Concilio Arelatensi dum provocarunt Donatistæ, hoc sibi voluerunt, ut ipse Impera-

p. v.

Artic. XXII. p. 54. item not. XIX. p. 709.

persecutione, responderit. A Constantino tandem Imperatore filii Crispi institutioni jam senex admotus, ad mortem usque, ut Auctor conjicit, quamque in annum 325 cadere putat, eo munere functus est. Godofredus auctor est, Lactantium a Constantino impetrasse anno 315 leges illas celeberrimas, quibus crucis supplicium abrogatur, uti & consuetudo notas frontibus hominum inurendi, & quibus pauperum sustentationi consulitur: ast gravioribus hoc evincendum fuisse rationibus, Noster pronunciat. Verosimilius esse, eum, cum Crispum bonis artibus instrueret, Institutiones suas, forte & pleraque reliquorum operum suorum, conscripsisse. Nec id praetermittit Tillemontius, Lactantium, licet in aula viveret, adeo tamen ab aulicis deliciis & seculi contagio fuisse remotum, ut in extrema quoque paupertate vitam transegerit: id quod ex Hieronymo probatur. Et haec praecipua & maxime notatu digna sunt, quae de vita Lactantii se invenire potuisse, Auctor profitetur.

Ad scripta Lactantii quod attinet, ut nunc nihil de ejus *Convivio* & *descriptione itineris* quod ex Africa Nicomediam suscepit, uti & alio scripto, quod sub titulo *Grammaticus* edidit, quae deperdita sunt, ut Auctor quoque monet, dicamus, sunt, qui Poema, cui titulus *Phoenix*, quodque operibus Lactantii vulgo addi solet, ab illo adhuc juvene, nec dum Christiana religione imbuto, confectum autumant. Sed dissentit Tillemontius, quod Hieronymus nullam hujus injiciat mentionem, nec illud ingenium, aut eloquentiam, Lactantii redoleat. Librum ejus de *Opificio Dei*, aut creatione hominis, paulo ante libros Institutionum scriptum contendit, imo forte primum Christianae religionis, quam Lactantius amplexus erat, fructum fuisse, quod capite vigesimo profiteatur, se ad veritatem Christianae religionis contra Philosophos defendendam, omnes ingenii collaturum vires. Libros *Institionum* non prodiisse ante annum 321 existimat: hinc nec mirandum, quod Constantino, jam tum quippe Christianam religionem aperte profitenti, eum dicaverit. Id manifestum putat, Lactantium extra Bithyniam ceterasque provincias, in quibus Licinius in Christianos saeviebat, constitutum, sub imperio Constantini vixisse. Parum itaque abest, quin in eam ingrediatur sententiam, eo tempore, quo Crispi praeceptorem egit in Gallia, hosce libros a Lactantio conscriptos: quamvis non desint, qui

p. 201.

 exi-

existiment, jam antea in Oriente anno 313, statim post finem persecutionis a Diocletiano excitatæ, hosce libros lucem adspexisse. Librum Lactantii de Mortibus Persecutorum a Stephano Baluzio primum in lucem productum constat, qui & scriptum eum putat, cum adhuc in Bithynia commoraretur Lactantius, eo quod Donato cuidam, Confessori hujus provinciæ, qui ex carcere egressus est A. 311 mense Majo, cum sex annos in eo transegisset, inscriptus sit. Nec Tillemontius refragatur, nisi in eo, quod idem Baluzius putat, hunc Donatum eundem cum illo esse, cui Lactantius librum de *ira Dei* dicavit. Obstare namque, quod de posteriore non tanquam de Confessore illustri loquatur Lactantius, imo profiteatur, erudiendum adhuc & confirmandum esse, ne auctoritate sapientum hujus mundi decipiatur. Sed quæ de reliquis Lactantii scriptis Auctor monet, cum non adeo magni momenti sint, his missis, ad alia progredimur.

Artic. V. p.251. item Not. II. p. 740. Præcursores ac socios Arii dum enumerat Tillemontius, mentionem quoque facit Paulini & Theodoti. Et ad Theodotum quidem quod attinet, constat, hunc vulgo in Ecclesia Romana Sanctis annumerari. Nec diffitetur Noster, tot eum ab Eusebio ornari elogiis, ut mirum non sit, Usuardum atque Adonem nomen ejus Martyrologio inseruisse, quos tum alii, tum maxime Baronius secutus sit. Nec tamen hujus auctoritas Tillemontium deterret, quo minus Theodotum inter Arianæ impietatis propugnatores referat. Præterquam enim, quod hoc nomine ab Ario laudetur apud Theodoretum, Theodoretus ipse, ut observat, hanc confirmat sententiam, innuens, eos doctrinæ Catholicæ Concilii Nicæni se opposuisse, quos paulo ante una cum Ario nominaverat, nec Paulino excepto, nec Theodoto, quos defendisset haud dubie, si innocentes judicasset. Alibi autem diserte enumerans, qui Arianismum foverint, nominatim Paulinum atque Theodotum commemorat. Theodotum inter eos quoque refert, qui venenum ab Ario hauserint, qui unam cum utroque Eusebio foverint sententiam, quive A. 331 Antiochiam venerint, ut deponerent Eustathium. Manifestum quoque esse porro dicit ex literis Constantini ad eundem huncece Theodotum, post Concilium Nicænum super proscriptione Eusebii atque Theognidis, socium fuisse Theodotum illorum, qui prin-

principes erant factionis Arianæ. His tandem Athanasium accedere, qui Theodotum iis annumeret, qui ante Concilium Nicænum similes Arii errores impios atque profanos docuerant; ut nunc cetera taceamus. Nec obstare hisce ait testimonium Eusebii, hunc Theodotum mirifice laudantis; hoc enim, tanquam ab homine Ariano profectum, quanti faciendum sit, nemini obscurum esse posse. Ex recentioribus eandem secum tueri sententiam dicit Vigerium Jesuitam, Fleurium, & Antonium Pagi.

Sed neminem ex omnibus Arii asseclis & sectatoribus celebriorem esse Eusebio Nicodemiensi, constat, & a nostro quoque Auctore observatur. Hunc cum cognatum Juliani Apostatæ veteres dicant, nexum & vinculum istius cognationis indagare, operæ pretium duxerunt viri docti. Baronius, Blondellus, & Valesius, per Basilinam Juliani matrem, Eusebium cum Juliano cognationis vinculo conjunctum fuisse statuunt, sed nullas eos asserti sui, quæ momentum trahant, afferre rationes, Tillemontius pronunciat. Idem Baronius existimat, eos quos Constantinus ad se vocaverat Alexandria, ut impietatis suæ pœnas darent, quosve Eusebius Nicomediensis atque Theognis receperant, & ad sacrorum etiam communicationem admiserant, (quæ deinceps causa fuit, ut ipsi suis dignitatibus exuerentur,) non Arianos fuisse, sed Meletianos. Ast perperam, ut Tillemontius auctor est: idque ideo, quod Constantinus apud Theodoretum de istis asserat, veram eos deseruisse fidem, quod de Meletianis eo tempore dici non potuerit. Accedere, quod a Concilio Alexandrino diserte dicatur, sedibus suis dejectos fuisse Eusebium atque Theognidem, tum ob impia facta, tum quod Arianos, in Concilio Nicæno condemnatos, in communionem recepissent. Atque hæc cum certa esse putet Auctor, Sozomeni atque Philostorgii commenta de exilio Eusebii atque Theognidis, prolixe profligat.

Art. VI, p. 253. it. not. IV. p. 741.

Not. VII. p. 743.

Arium hæresiarcham a Constantino in gratiam receptum & ab exilio revocatum, notissimum est. Causam solus Ruffinus memoriæ prodidit, quod Presbyter quidam, cujus nomen reticet, Constantino a sorore commendatus, fraudibus circumventum Imperatoris animum Ario conciliaverit. Ruffino fidem hic non adhibet Valesius: cur denegari debeat, non videt Tillemontius. Non

Artic. XIII. p. 271. it. not. X. p. 745.

mul-

multum equidem Ruffino in rebus historicis se tribuere, lubens fatetur: ast ejus fidem in dubium vocandam, cum, quod narrat, magna se commendat verosimilitudinis specie, & nullo idoneo argumento everti potest, abnuit. Ruffinum nomen istius Presbyteri non prodere. Non vero ideo, inquit, statim ipsa relatio in dubium vocanda? præsertim cum in historia nihil sit frequentius. Athanasius tamen hujus rei non meminit. Ast Athanasius, inquit, non scripsit historiam, ut omnium circumstantiarum ab eo exigi possit commemoratio. Accedere tandem addit, quod qui insecuti sunt Ruffinum historici ipseque Theodoretus ex eo hoc repetierint, nullam causam, cur repudiarent, videntes. Non æque

Art. XVII. p. 250. it. Not. XIV. p. 747. Tillemontio placet narratio Sozomeni de ordinatione Maximi Episcopi Hierosolymitani. Auctor enim est, hunc Diospolitanæ ecclesiæ Episcopum a Macario, Episcopo Hierosolymitano constitutum: ast cives Hierosolymorum cum apud se detinuisse. Nam cum confessionis gloria clarus & omni ex parte egregius esset, plebis judicio facile designatum, ut post obitum Macarii Episcopatum illic capesseret. Parum tandem a seditione rem abfuisse, ad quam evitandam Diospolitanis alium concessum Episcopum, Maximum vero mansisse Hierosolymis, ut post Macarii mortem Episcopali munere fungeretur. Addit, nonnullos autumasse, ipsius Macarii instinctu hæc gesta esse, quippe quem pœnituerit, quod Maximum Episcopum Diospolitanum ordinasset, utpote quem solum dignum judicarat, qui post obitum suum ecclesiæ Hierosolymitanæ præesset. Hæc Sozomenus. Ast Tillemontius obstare putat, quod jus ordinandi Episcopos Palæstinæ eo tempore non Hierosolymitanis, sed Cæsareensibus, Episcopis competierit. Et si vel maxime dicatur, Macarium jam tum ab Eusebio, qui eo tempore Cæsareensi Ecclesiæ præerat, se separasse, vix tamen credibile esse, quod contra constitutiones Concilii Nicæni Macarius ejusmodi quid ausus sit: præsertim cum Concilii istius auctoritas & tranquillitas ecclesiæ, & conservatio Eusebii, Constantino æque curæ cordique essent. Sed ut prorsus erroris Sozomenum convincat, demonstrat, Aetium, qui ante Concilium Nicænum Diospolitanæ ecclesiæ præerat, vixisse adhuc, cum Eustathius sede sua dejiceretur, adeoque non potuisse hocce tempore Episcopum novum ecclesiæ Diospolitanæ constitui

Sed

Sed Maximi quoniam est injecta mentio, Sozomenus communem famam fuisse dicit, eum fraudibus asseclarum Arii circumventum, in depositionem Athanasii consensisse. Socrates hoc plane affirmat. Ipse Athanasius hoc videtur innuere, asserens, Episcopos Concilii Hierosolymitani, a quibus anno 349 receptus esset, quorum primus & præcipuus fuit Maximus, excusasse facinus hac ratione contra illum commissum, obtendentes se vi coactos ejusmodi quid designasse. Fecisse hoc Episcopos illos fatetur Tillemontius: num omnes fecerint, & inter eos & Maximus, dubitat, quem nunquam Athanasii deseruisse partes, exerte testetur Ruffinus. Baronius citra ambages errasse Socratem dicit, idque inde evincit, quod Maximus Concilio Sardicensi interfuerit, uti ex nominum subscriptione appareat, quam ipse Athanasius conservarit. Quod tamen argumentum rem nondum conficere Tillemontius observat; cum constet, plures demum post Concilium subscripsisse. Henrico Valesio contra persuasissimum est, Maximum in Concilio Tyriensi condemnationi Athanasii subscripsisse, ut hoc etiam maxime argumento in dubium vocet fidem Ruffini, asserentis, a Paphnutio inductum Maximum, ut ex consessu Patrum istorum exiret, & causam Athanasii aperte adprobaret: sed fieri tamen potuisse addit Tillemontius, ut cum initio a partibus Athanasii stetisset, mutata deinceps metu sententia, aut Tyri, aut Hierosolymis, condemnationi Athanasii subscripserit. An autem ipse Arius a Concilio Hierosolymitano receptus sit, id vero est, de quo prolixe Noster disquirit. Henricus Valesius contendit, non ipsum Arium A. 335 receptum a Concilio Hierosolymitano fuisse, sed sectatores Arii, ideo quod in Epistola Concilii & plerisque locis Athanasii, ubi hujus rei injicitur mentio, legatur, τὰς περὶ Ἄρειον, qua formula ipse Arius quidem solus, aut Arius & ejus sectatores simul plerumque, interdum tamen etiam tantum sectatores ejus, denotentur. Hoc vero ita probat: certum & exploratum putat, mortuum esse Arium, cum sedi Constantinopolitanæ præesset Alexander: cui successit Paulus, priusquam Concilium Tyriense, quod ante Hierosolymitanum habitum est, celebraretur. Sed ad hæc Tillemontius respondet, de tempore, quo ad Constantinopolitanum Episcopatum pervenerit Paulus, quæ supponit Valesius, nondum evicta esse: saltem hæc

Art. XVII. p. 280. Not. XV. p. 748.

Not. XVI. p. 748.

non esse tanti, ut ideo a luculentissimis Socratis, Ruffini, Sozomeni, imo ipsius Athanasii, testimoniis discedendum sit, præsertim cum Athanasius diserte dicat, decreto Concilii Hierosolymitani recipiendum fuisse Ἄρειον καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ. Regerit quidem Valesius, hæc eo sensu dici, quod Arii discipuli recepti sint; hoc enim perinde esse, ac si ipse Arius receptus esset: quod nimis frigidum parumque verosimile Auctori nostro videtur. In Concilio porro Antiocheno Eusebiani A. 341 dicunt receptum fuisse Arium, postquam fides ejus examinata & probata esset; quod de nullo alio quam Hierosolymitano Concilio intelligi posse, Tillemontius judicat, licet Valesius de alio quodam antiquiori hoc intellectum velit, renitente tamen rursus atque repugnante Athanasio, qui, Concilium Hierosolymitanum primum esse Eusebianorum Concilium, diserte profiteatur. Valesius rursus instat: cur ergo Constantinus novam fidei declarationem ab Ario exegit? cur Alexander Constantinopolitanus Præsul eum aditu in templum prohibuit? cur Serapion ex Athanasio quæsivit, num in Ecclesiæ communione mortuus sit Arius, si receptus est a Concilio Hierosolymitano? Sed &, quod ad hæc respondeat, Auctori non deest. Etenim cum Concilii Hierosolymitani nullam rationem habuerint orthodoxi, mirum non esse dicit, quod & ab Alexandro ad sacrorum non sit admissus communionem Arius, & Serapion quæsiverit, num in ecclesiæ communione sit mortuus; quemadmodum etiam hoc negaverit Athanasius. Quod autem Constantinus novam fidei confessionem ab Ario exegerit, id ideo forte factum, quod jam percepisset, si non alias ecclesias, certe Alexandrinam absolutioni Arii sese opponere; quibus accedat, quod Socrates auctor sit, famam fuisse Constantinopoli, rediisse ad errores pristinos Arium, vel nunquam potius serio eos deposuisse; quam responsionem ad illas objectiones Valesio necessario admittendam putat, quandoquidem statuat, Arium a Concilio quodam ab hæresi immunem innocentemque pronunciatum esse. Cetera, præsertim quæ de formula οἱ περὶ Ἄρειον, disputat, lubenter prætermittimus, ne prolixiores, quam fas est, fuisse videamur.

Art. II. p. 637. it. Not. IV. p. 807. Tanta porro rerum memorabilium in hoc opere sese offert copia, ut ea fere obruamur. Sed ne prorsus, quæ de Concilio Nicæno erudite disseruit, sicco, quod ajunt, pede prætereamus, unicum

cum saltem adhuc observamus. Osium, ut Romani Pontificis legatum, ei Concilio interfuisse, multorum, præsertim Romanæ Ecclesiæ scriptorum, est sententia. Primum istius traditionis auctorem Gelasium Cycicenum esse, Tillemontius nos condocet, qui vixerit seculo V. Ausum eundem Gelasium esse hoc textui Eusebiano inserere, infelici licet successu, cum nexus sermonis apud Eusebium hoc prorsus non permittat: Valesium quoque non indicare, quod ejusmodi quid in codicibus manuscriptis invenerit; in impressis vero rectissime hoc additamentum esse omissum. Hoc certum putat, quod Osius huic interfuerit Concilio, & quod legati quoque Romani Episcopi adfuerint: inter hos vero & Osium fuisse, id a nemine veterum, qui fidem mereatur, asseri. Photium equidem videri eum legatis Romani Episcopi annumerasse, ast tot errores in historia hujus Concilii Photium admisisse, inde ut satis pateat, eam illi prorsus non fuisse perspectam. Primum equidem Osium Concilio Nicæno subscripsisse, sed nulla legationis suæ facta mentione, quam reliqui legati tamen Pontificis non omiserint. Baronium, ut receptam tueatur sententiam, provocare ad Epistolam, qua legati Sylvestri Episcopi Romani Concilii confirmationem ab eo petant, quos inter & Osius conspiciatur. Præterquam vero quod nondum constet, genuinam hanc esse epistolam, & Baronius ipse eam corruptam prorsus ac depravatam agnoscat, vel ex eo suspectam eam reddi posse, quod & Macarium inter legatos Episcopi Romani nominet, quod tamen nemini unquam scriptorum veterum in mentem venerit, aut venire potuerit. Cetera apud Auctorem ipsum legisse, neminem] pœnitebit.

COGITATIONUM NOVARUM DE PRIMO ET SECUNDO Adamo, sive de ratione salutis per illum amissæ, per hunc reparatæ Compendium.

Amstelod. apud Irenæum Aspidium A. 1700. 8.
Constat plagulis 12.

Theologiæ Harmonicæ specimen exhibiturus Autor, duo, quod ad genus humanum attinet, præsupponit principia: I. Deum Optimum Maximum, cum hominem in statu innocentiæ creaturus esset, immutabili lege constituisse peccatores morte æterna illico ple- *in præfat.*

plectere, eosque statim omni vita privare. II. Constituisse etiam, ut parentes nostri primi, si in obedientia perfecta absq; transgressione legis persisterent, liberos suos in statum vitæ absque ulla morte propagarent: atq; ex his duobus principiis rationem mortis, quam per Adamum ingressi sumus, vitæq; per Christum restitutæ, evidentem dari posse autumat. Tractatum ipsum in quinq; dispertitur partes, quarum I de lapsu Adami & promissione Redemtoris. II de liberatione nostra per Christum a potestate Diaboli. III de ratione passionum & obedientiæ Christi. IV de nova creatione. V de sacerdotio Christi, agit. Quibus, ob similitudinem argumenti, Consideratio efficaciæ passionum & mortis Domini nostri Jesu Christi, in avertendo æterno interitu & potestate Diaboli ab humano genere, quatuor abhinc annis lingua Germanica edita, nunc in Latinam translata
P. I. §. 1. ac emendata, subjungitur. In parte prima asserit, angelos in cœlo vix alio peccato quam superbia contaminari potuisse, ac primo ho-
§. 2. mini, si obedivisset, malos æque ac bonos angelos honorem defer-
§. 3. re ac subjici debuisse: hominem, cujus probatio gravior futura erat, quam angelorum, gloria etiam majori, quam angelica, aliquan-
§. 5. sqq. do gavisurum: eundemque summe sapientem, felicem, semper victurum, nec non liberos in statum vitæ, si in obedientia perstitisset,
§. 9. producturum: Deum quoque ob hanc ipsam parentis obedientiam liberis minora, si quæ forte admisissent, delicta condonaturum, nec
§. 10. ob ista mortem eis illaturum fuisse: cum Adamo non fuerit transgrediendi occasio, Deum proposuisse arborem scientiæ boni
§. 11. & mali, in experimentum obedientiæ; arborem autem vitæ in præmium obedientiæ, & remedium contra mortem: ac proin Adamum ante lapsum, probationis curriculo nondum absoluto, arbo-
§. 12. rem hanc vitæ non degustasse, imo neque vidisse: adeoque nec scientiam boni & mali, quam in arbore vitæ abscondita & nuditate
§. 13. corporis ignorata collocat, habuisse: verba illa *Gen. II. eodem die, quo comederis, morte morieris*, immutabile prorsus continere decretum, Adamum eodem plane, quo mandatum divinum sciens prudensque transgressus fuerit, die, occidendi & in æternum omnino destruendi, ac omni sensu & vita privandi: miserias hujus vitæ
§. 15. temporales, in quas genus humanum post lapsum Adami incidit, in pœna illa mortis Adami interminata non contentas fuisse: præce-

ptum

ptum istud ab arbore scientiæ abstinendi Adamum ante creationem Evæ accepisse, eidemque creatæ idem promulgasse: non §. 18.
modo Diabolum, ob subjectionem homini præstandam valde iratum, de eo perdendo consilia inivisse; sed Adamum quoque ipsum §. 19.
arborem vetitam oppido desiderare cœpisse, ac, quod vitita esset, ægerrime tulisse, inevitabili tamen interitu sibi, si comederet, proposito absterritum, diu ab ea abstinuisse: simulac vero mulier a Diabolo seducta fructum Adamo attulisset interdictum, ipsum quoque §. 20 sqq.
statim comedisse, spe concepta, propter Evam in vita se mansurum esse: itaque Adamum gravissime non ex ignorantia, sed voluntarie, peccasse; at Evæ delictum ex ignorantia commissum longe §. 24 sqq.
minus fuisse: hinc Deum statuisse Evam in vita conservare, eamque a morte liberatam retinuisse quoque prærogativas sibi concessas, quarum præcipua fuerit, liberos in statum vitæ propagare; hoc autem cum sine viro fieri haud potuisset, propter Evam ipsum etiam §. 31 sqq.
Adamum in vivis mansisse: quia tamen decretum Dei *Gen. II, 17,* immutabile sit, inde Adamum alia pœna, *Gen. III.* declarata, eaque §. 37 sqq.
longe graviori, quam quæ Evæ irrogata sit, affectum: illumque §. 39.
solum e paradiso ejectum fuisse, Evam vero in eodem mansisse, hac tamen lege, ut ad virum, quotiescunque opus esset, exspatiaretur: ex diversitate peccati a protoplastis commissi etiam esse, quod §. 40 sqq.
genus humanum respectu Adami sub jure mortis, respectu Evæ sub jure vitæ, magis tamen sub jure mortis, quam sub jure vitæ, fuerit, quoniam Eva quoque, tametsi levius, peccaverit: jus mortis re- §. 45 sq.
spectu Adami statim in homines venisse, jus autem ad vitam diu exspectandum, nec adeo tunc, cum exspectaretur, certum fuisse: §. 47 sq.
proinde spem vitæ æternæ, Adami posteris obtutu Evæ concedendam, non aliam nisi conditionatam (ubi conditio præstari & non præstari posset) proponi, eandemque tantum in obedientia hominis alicujus, ex semine mulieris eum in finem tandem aliquando excitandi, consistere potuisse: futurum nostrum Liberatorem nonnisi §. 49 sq.
hominem natura sua esse debuisse, qui sicuti primus Adamus perfecte obedire & non obedire posset: verba *Genes. III. 15. ille conteret tibi caput*, non de certissima Diaboli destructione, sed de ancipite certamine inter Messiam & Diabolum olim intercessuro, accipienda esse: Messiam, ut ipsa nativitate sua a morte immunis foret, non vul- §. 51.

gari, ſed miraculoſa & inſolita ratione produci, adeoque non Jo-
§. 52. ſephi, ſed ipſius Dei, filium eſſe debuiſſe: hinc etiam Apoſtolum
Hebr. VII, quod Chriſtus in Adami lumbis extiterit, clariſſime ne-
§. 53. gaſſe: ne quis putaret, propter Evæ merita promiſſum eſſe Meſſiam,
Deum promiſiſſe Meſſiam, non dum mulierem, ſed dum ſerpentem
§. 58 ſq. alloqueretur: hominem una cum mundo angelorum imperio poſt
lapſum ſubjectum fuiſſe, cum hoc tamen diſcrimine, ut Deus gen-
tem Iſraëliticam in hæreditatem ſuam adſciverit, reliquos autem
populos in hæreditatem angelorum Dei conceſſerit, juxta *Deut.*
§. 58 ſq. *XXXII. 8. & Exod. XXXIII. 15. 16:* Theocratia etiam abolita, Deum
populo Iſraëlitico per prophetas prædixiſſe, ſe gubernacula populi
aliquando eſſe reſumturum, idque in Meſſia adimpletum fuiſſe, in
§. 60 ſq. quo modo omnium excellentiſſimo Deus Pater habitarit: hanc in-
habitationem Dei Patris in Chriſto cauſam eſſe, quare eadem, quæ
Patri in Veteri Fœdere adſcribuntur, Chriſto etiam in Novo Teſta-
P. II. §. 62 ſq. mento tribuantur. Ad partem ſecundam progrediens docet, Dia-
bolum cum angelis ſuis non niſi poſt ſeductionem Evæ de cœlo præ-
cipitatum eſſe, ac verba illa *Gen. III. 14. Maledictus tu ac omnibus
animantibus terræ &c.* nihil aliud ſenſu allegorico denotare, niſi,
ejiceris e medio tui generis, e medio angelorum cœli, inter quos
§. 64 ſqq. hactenus es verſatus. Deinceps de origine dominii, quod diabolus
in aliquos angelos ſeductos & homines adeptus ſit, quædam in me-
dium affert; ac dominium Diaboli in homines non contemnen-
dum fuiſſe, ex hirco Azazeli in deſertum quotannis mittendo, ex e-
ductione Samuelis ab inferis, & animarum in inferno detentione,
§. 70. colligi poſſe judicat, traditque ab hac Diaboli poteſtate Chriſtum
nunc homines liberaſſe, atque animas piorum, ex inferno in alium
locum transportatas, in exſpectatione ſalutis ultimo die exhibendæ
§. 71 ſqq. confirmaſſe: Chriſtum quoad animam in infernum, in quo ante
mortem illius omnium tam impiorum, quam piorum, animæ fue-
§. 75. rint, deſcendiſſe, ex *Eph. IV. 8. & Pſ. CXXXIX. 15.* probare ſuſcipit, nu-
gaturque, eodem deſcenſus Chriſti ad inferos momento etiam reſu-
ſcitata, non tamen cum animabus ſuis conjuncta, eſſe corpora San-
ctorum, eaque in monumentis vel ſupra monumenta tamdiu ſte-
tiſſe erecta, donec Chriſtus reſuſcitatus eſſet, ac dein potentia Dei in
urbem ducta & multis exhibita, tandemque rurſus in ſepulchrum
repoſi-

reposita fuisse. Postremo locum *1 Petr. III. 18. 19.* non de descensu §. 77 sqq.
Christi ad inferos ac de prædicatione spiritibus damnatis, sed de prædicatione vivis gentibus tempore Christi facta exponit. In parte tertia perhibet, Adamigenas tum ob Adami peccatum, tum ob P. III. §. 83.
peccata propria, morti æternæ obnoxios esse: verba ἐφ' ᾧ *Rom. V. 12.* vertenda esse, quo facto, vel in qua; eaque non ad Adamum, sed ad proximum vocabulum mortis spectare, ut sensus sit, sic ad omnes homines mors pervasit, in qua omnes peccarunt, qui scilicet peccare poterant; per mortem autem hic denotari statum mortis, ut *versu ultimo*, idque innuere Apostolum, quod per peccatum Adami status, conditio ac necessitas moriendi sit in mundum introducta, in quo statu omnes peccaverunt, nemo a peccato abstinuit, adeoque etiam sua propria culpa mortem commeruit, & morte Christi indiguit. Equidem Christum etiam posteris Evæ, §. 84.
sed extra peccata propria consideratis, in paradiso promissum fuisse adeoque Deum humano generi in peccata lapso filium suum unigenitum potuisse non dare, licet illum in paradiso promiserit: du- §. 86.
plicem rationem mortis duplici quoque ratione depulsam esse: nimirum, quatenus propter peccatum Adami homines morti æternæ subjacuissent, Christum in deserto tentari; ob propria autem illorum peccata, Christum mori debuisse: merito dici, peccatum per §. 87 sq.
Adamum in hunc mundum esse ingressum, quia occasione Adami peccantis in eo statu vivant ejus posteri, in quo, licet sua culpa, se suosque liberos non raro corrumpant & cum iis inclinationes vitiosas communicent: Christum ad tentationes in deserto subeundas §. 89.
vi Spiritus irresistibili compulsum fuisse, ad mortem vero libere processisse: ex tentationibus apparere, Christum redemtorem non debuisse esse æternum Deum, qui consilia Diaboli nullo modo sequi poterat: Deum Patrem filium suum Jesum modo extraordinario ab omni peccato & vitiosis inclinationibus immunem per totos triginta annos conservasse: Satanam, cum tentationem Salvatoris nostri §. 94.
in deserto aggrederetur, se in Angelum lucis transformasse. Nisi §. 96.
Christus præstanda præstitisset, ipsum Abrahamum, Isaacum, Jacobum & reliquos fideles, licet ob singularem suam pietatem, post aliquam resurrectionem, præmium aliquod alicubi reportassent, aut reportare potuissent, morituros, nec æternum victuros fuisse: Christum §. 97 sqq.
Jesum §. 100 sq. §. 102 sq.

Jesum verum esse Redemtorem, verum & ἀντίλυτρον pro nobis obtulisse seipsum, a vocabulo tamen meriti & satisfactionis esse abstinendum; Apostolorum Johannem circa finem Epistolæ primæ
§. 104. dicentem, *hic est ille verus Deus & vita æterna*, per illum verum Deum, nonnisi Patrem, per vitam æternam, Filium Patris, Jesum Christum intelligere.

P.IV.§.105. seqq. In parte IV. humanum genus, una cum hoc universo, illis ipsis temporibus, quibus alias Evangelium liberationis nostræ inter gentes promulgari cœperit, omnino periturum fuisse, nisi Christus præstanda præstitisset, ex *Hebr. IX. 26. Gen. III. 17.* ex Clementis Romani epist. II. ad Corinth. §. 1. & §. 2. item ex *Joh. I. 10.* pro-
§.122. sqq. bare conatur. Qua occasione principium Evangelii Johannei *Cap. I. a v. 1. usque ad v. 14.* explicare aggreditur, sentiens ante omnia, titulum Evangelii Johannis, qui præfixus hodie legitur, spurium esse, genuinum vero ex Celso in hunc modum restitui posse: Ev-
§. 129. sqq. angelium secundum Johannem de Filio seu Λόγῳ Dei, aut sic, de Filio Dei, qui est ejus Λόγος. Deinde tradit Johannem per Λόγον non nisi hominem Jesum a Christo non distinctum intelligere, eundemque titulum Salvatoris ex veteri testamento, non tamen illis locis,
§. 136. ubi Deus per Verbum mundum creasse dicatur, sed ex *Ps. CVII. 20.* desumtum esse: Christum artem Λόγον vocari (α) quia Deus Pater per Christum tanquam per verbum suum sese manifestarit; (β) nova
§. 137. secula per ipsum condiderit: voce principii, tam in Evangelio, quam Epistola Johannis, non Mosaicum principium, sed prima illa per Baptistam & Christum Evangelii prædicati tempora denotari, totum-
§. 139. sqq. que comma, *in principio Logos erat apud Deum*, ascensum Jesu Christi in cœlum sub auspicium muneris prophetici factum signi-
§. 143. ficare: Λόγον a Johanne Deum appellari, quia ille virtute divina plenus, & maxime in terris potentia instructus fuisset: verba se-
§. 144. sqq. quentia apud Johannem, *omnia per ipsum facta sunt*, virtutes & miracula a Christo post Baptismum suum patrata indigitare, atque exinde evidenter patere, Johannem de veteri creatione hoc
§. 148. loco plane non agere. Verba illa *vers. 14. & Sermo caro factus est*, non idem notare atque Logon carnem assumsisse, sed carnem vel ho-
§. 150. minem fuisse. Tandem veterem creationem Christo hic non adscribi posse, inde probare sustinet, quod Platonicus ille Justinus, qui dica-

dicatur Martyr, Deum præexistentem incarnatum tunc nondum in
lucem produxisset: atque duo loca *Col. I. 15. 16.* & *Hebr. I. 10.* ad §. 151. sqq.
hypothesin suam de nova creatione accommodat, & coronidis
vice præexistentiam Jesu Christi *Joh. VIII. 58.* doceri negat, quo- §. 167. sqq.
niam Christus in illo cum Judæis conflictu nihil aliud insinuet,
quam se majorem Abrahamo esse, quia Abraham per ipsum tan-
dem pater multarum gentium futurus sit. In quinta eaque ultima P. V. §. 172. seqq.
parte novam ac peculiarem, quæ tertia sit, salvandi rationem pro-
ponit, statuens Christum a morte, quatenus illi propter pecca-
tum Adami obnoxii eramus, nos liberasse, gravissimas in deserto
tentationes superando; peccata sub fœdere priori perpetrata *Rom.
III, 25. Hebr. IX, 15.* expiasse moriendo; quæ vero nunc post
mortem Salvatoris admittuntur, ab illis nos salvare intercedendo: §. 177.
primam & secundam salutis rationem per duos hircos *Levit. XVI*,
item secundam & tertiam per duas aviculas *Levit. XIV.* repræsen-
tari: cum nemo salutem assequi possit, nisi pro quo Christus pri- §. 179.
us apud Patrem intercesserit, hinc apparere, Deum Patrem non
esse nunc omnia in omnibus, Filiumque in regimine hominum ad
salutem perducendorum Patri non subjici, sed Patris quodammodo
in hoc imperio esse socium: Christum notitiam cogitationum & §. 180.
orationum nostrarum habere, cum non implicet contradictionem,
ut finita creatura cogitationes angelorum & hominum habeat
perspectas: Christum etiam cultu religioso prosequendum esse: §. 181.
præter Patrem vero & Filium nullam aliam personam religiose
coli debere: Spiritum S. non personam a Patre distinctam, sed do- §. 182 sq.
num Dei Patris miraculosum & propheticum esse, nec ullibi in
Scriptura, præterquam ubi peculiaris ratio exigat, Spiritus S. men-
tionem fieri: *Math. XXIIX. 19.* non tres in una Deitate perso-
nas distinctas, sed tres doctrinas in uno mundo distinctas, unam
sub lege, alteram sub evangelio ante mortem Filii, & tertiam
post ejus mortem declaratam, considerandas esse. Quibus expo- §. 184. sq.
sitis totius fere tractatus summam strictim exhibet. Restat con-
sideratio efficaciæ passionum & mortis Christi, quinque partibus
jam perlustratis subjecta, in qua cum nihil a supra recensitis alie-
num compareat, illius recensionem instituere supersedemus. Id
adhuc superaddimus, Autoris hujus Φλυαρίας publicæ censuræ

nuper expositas, iisdemque stricturas quasdam in disputatione Theologica, sub Collegæ nostri maxime Reverendi, *D. Job. Schmidti*, præsidio habita, oppositas fuisse.

THESAURUS ANTIQVITATUM ROMANARUM, congestus a JO. GEORGIO GRÆVIO. Tomus undecimus.

Trajecti ad Rhenum apud Franciscum Halmam, & Lugduni Batavorum apud Petrum van der Aa, 1699, fol.

Constat 5 Alph. 1 plag. & plurimis figuris.

Undecimus hic tomus est, qui cura celeberrimi Grævii prodit, multosque ac insignes rerum Romanarum scriptores complectitur. Primo loco atque adeo p. 1 collocatus est Ezechielis Spanhemii *Orbis Romanus, ad constitutionem Antonini Imperatoris, de qua Ulpianus Leg. XVII. Digestis de Statu hominum, Exercitationes duæ*, nunquam antehac in publico visæ, ex quibus proinde nonnulla delibabimus. In prima erercitatione de civitate Romana agit, ejusque dandæ rationem, ductis ab ipso Urbis natali initiis exponit, & ad Antoninum Pium usque accurato ordine perducit. Quod institutum dum persequitur, observat, cives Romanos in municipiis natos non amisisse civitatem, sed honores & in patria, & Romæ simul gessisse. Firmat id tum aliorum, tum inprimis Milonis exemplo, qui Lanuvii dictator eodem fuit tempore, quo Romæ senatoriam dignitatem sustinuit, & consulatum petiit. Tum vero & de Latinis agit perillustris Spanhemius, eosque secundo Spurii Cassii consulatu, ac adeo jam anno Urbis CCLXI, in civitatem receptos esse probat, & ex Dionysio potissimum Halicarnasseo conficit. Paulo post idem obtigisse Hernicis, sed sine expresso suffragii ferendi jure, atque inde obtinuisse, ut civitas Romana modo cum jure suffragii, & capiendi in urbe muneris, (unde *municipiorum* nomen) modo sine eodem jure tribueretur, sicut tradiderint Livius, Vellejus & reliqui Romanorum scriptores, quorum huc pertinentia verba adducit. Inde occasione loci ex Plinio allati pronunciat, in censum civium Romanorum & illos collocandos esse, qui jure Latii, seu ge-

stis

ſtis in patria, quæ Latio illo donata erat, magiſtratibus jus Romanæ civitatis adepti cenſebantur, adeo ut tunc iis Romæ ad ſuffragia & honores aditus pateret. Quod ut dilucidius appareat, ex Appiano commemorat, Julium Cæſarem, antequam rerum potiretur, Novocomum ſub Alpibus oppidum illo Latii jure donaſſe, ut qui annum ibi obiiſſent magiſtratum, cives Romani continuo fierent. Caute vero ſeparandum eſſe monet *jus Latii & Romanæ civitatis*; nec Latinas colonias civium Romanorum jus habuiſſe, niſi quatenus per illud Latium, ſive per geſtos in patria, quæ illo jure Latii gaudebat, magiſtratus id beneficium conſequutæ eſſent. Conſtitiſſe equidem e civibus Romanis Latinas colonias, attamen ne privato quidem Quiritium jure uſas eſſe, imo ipſam civitatem, licet ultro & voluntate, amiſiſſe. Qua in re ab illis Romanæ ſeu Romanorum civium coloniæ, docente perilluſtri Spanhemio, ſe diſtinguebant, quæ etſi ſuffragii petendorumque in Urbe honorum, & proinde publico jure carebant, privatum tamen, utpote libertatis, connubiorum, patrium, legitimi dominii, hereditatis, teſtamenti, uſucapionis, nexus, retinebant. Non itaque prius Romanorum civium coloniis publicum illud jus patuiſſe, quam toti Italiæ civitas data eſſet: imo ne omnes quidem tunc iſto jure donatas eſſe, quandoquidem demum poſt conceſſam Italiæ civitatem, nonnullis provinciis impertitum fuerit. Diſputat hinc contra Guilelmum Goeſium, qui in Antiqu. Agrar. p. 12, 13 aſſeruerat, Romanorum civium coloniis jus illud ſuffragiorum ab Auguſto collatum eſſe. Adduxerat inprimis Goeſius Sueton. Auguſt. cap. 46, ſuamque exinde ſententiam firmare conatus fuerat; enimvero oſtendit perilluſtris Spanhemius, non univerſam tum Italiam, ac proinde in ea quoque colonias (quæ illud jam ante Auguſtum habuerant) jus ſuffragiorum adeptas primum dici a Suetonio, ſed ad excogitatum ab Auguſto modum ibi reſpici, quo propter rei difficultatem, & moleſtiam veniendi Romam ſingulis comitiis, inutile ferme populis Italicis jus ea ratione planum & expeditum redderetur. Cui accedere ait, quod non tam de Italicis populis in genere, quam de deductis illis novis ab Auguſto in Italia coloniis (quæ eodem, quo reliquæ in Italia coloniæ pridem gaudebant, ſuffragii jure donari quoque debuerant) loqui ſibi Suetonius videatur. Cæterum probe a *Latinis* ſeu

libertis separandos esse *colonarios Latinos*. Hos enim antiquo Latii jure deductos in colonias; illos inter amicos manumissos. & lege Junia Narbona sub Augusto Latinis colonariis exæquatos, atque inde *Latinos Junianos* dictos esse. His ad liquidum perductis copiose tradit, & commentatur, quomodo Romanæ civitatis beneficium latius se diffuderit, & primum lege Julia, a L. Julio Cæsare consule (non a Cæsare dictatore, uti perperam existimet Antonius Augustinus) anno U. C. DC LXIII lata, aliquot Italiæ populis concessum, atque inde lege Plotia, seu Plautia, a M. Plautio Sylvano tribuno plebis constituta, firmatum amplificatumque fuerit. Commemorat porro, qua ratione Gallia Cisalpina, Transpadana, civitates Transalpinæ, & aliæ extra Italiam gentes ac oppida, in eandem civitatem ultimis Reipublicæ temporibus susceptæ fuerint; ubi simul contra Sigonium ostendit, non omnia municipia jus suffragii consequuta legibus suis prorsus & omnino privata esse, sed tantum alicui municipiorum classi accidisse, ut acquisita civitate legibus Romanorum, amisso suarum arbitrio, tenerentur. Pergit hinc differendo, &, quæ dandæ civitatis ratio sub Julio Cæsare, Augusto & reliquis ad Antonium Pium Imperatoribus obtinuerit, ulterius disquirit. Cumque omnia scito invicem se ordine excipiant, arctoque nexu copulentur, tum vero & late pateant, ultro & consulto hanc in rem dicta omittimus. Id præterire non possumus, quod de D. Paulo addit, eum nempe ideo se Romanum pronunciare, quod vel majores ejus ista fuerint dignitate ornati, vel pater ipsius (id quod Græca scholia tradant) eam pecunia redemerit. Contra a vero aberrare, nec idonei scriptoris auctoritate se tueri, quod vulgo de Tarsensibus referant auctores, & inepte adfirment. Neque enim eos unquam civitate, sed immunitate & libertate (post urbem ipsorum a Cassio afflictam) a M. Antonio, & deinde ab Augusto concessa usos esse: neque *coloniæ* (quod olim Patino se credidisse ait) sed ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ nomen Tarso in antiquo Regiæ Gallorum gazæ numo sub Caracalla cuso tribui. In altera exercitatione penitius illam Antonini constitutionem, qua omnes in orbe Romano cives sunt effecti, considerat, &, quis ejus auctor sit, curatius exquirit. Distinguit vero se a vulgo eruditorum, & aliam prorsus viam sequitur, atque ab Antonino Caracalla, non Antonino Pio, aut M. Antonino, constitutionis originem arcessit, eam-

eamque in rem Dionis Cassii Excerpta allegat. Idem evincere ait dictionis genus ab Ulpiano usurpatum, legesque alias ab eodem Antonino Caracalla latas, & solum Antonini nomen præ se ferentes. Hoc autem ista potissimum constitutione effecisse Antoninum, ut vicesimæ hereditatum ac manumissorum vectigal, quorum illud hactenus soli cives Romani pendebant, non autem provinciales, seu peregrini, ab hisce quoque persolveretur: imo ejus loco decimæ pro vicesima vectigal, & duplicatum proinde onus induceretur. Id quod pluribus persequitur, & de peregrinis solum, seu provincialibus, non vero libertis, constitutionem intelligendam esse, demonstrat. Dilucidius inde exponit, quomodo omnes in orbe Romano provinciales cives Romani facti, Romanarum legum observatio in provinciis indicta, Roma legum parens vocata, & edicta provincialia sublata sint. Qua occasione de edictis Prætorum, atque edicto provinciali perpetuo, quod ad exemplum edicti urbani perpetui sub Hadriano aut sub Pio conditum fuit, nec non de *jure suarum legum*, seu, ut Græca lingua loquentes exprimunt, *αὐτονομίας*, a primis liberæ Urbis & sequutis temporibus variis populis & oppidis concesso differit. Quod vero multos doctorum virorum seduxit, & similitudinis errore decepit, id hic quoque conficit & explanat Vir perillustris, & tempestive monet, in limine Novellarum Justiniani non Καρχηδένιος, sed Καλχηδένιος legendum esse, cum antiquam libertatem non Carthagini, quippe quæ eodem jure sub Romanis post veterem ejus instaurationem nunquam usa fuerit, sed in Africa Calchedoni restituerit Justinianus. Idem sentit de *jure Latii* & *jure Italico*, quæ confundat in notis ad Plinium Harduinus, eoque ipso significet, se hujus rei rationes non satis habuisse perspectas. Contra quem proinde, sed summa adhibita animi moderatione, disputat, ostenditque, jus Italicum in levatione census, alienationibus, traditionibus nexi, mancipationibus, annali exceptione, & jure capiundo situm, atque adeo a jure Latii diversum fuisse. Tandem de aditu ad honores provincialibus per istam constitutionem facto, de comitiis sub Cæsaribus, de provincialibus aut barbaris ad imperium & summos honores, Theodosii maxime & filiorum Arcadii & Honorii ætate, evectis, de legio-

nariis, auxiliis e Barbaris, ac tironum ſupplementis tam ad legiones quam ad auxilia Barbara indictis, de connubiorum inter Romanos cives & peregrinos prohibitione ſublata, deque pœnis, a quibus immunes erant Romani & inde poſt hanc conſtitutionem provinciales, erudite agit & commentatur. Quæ omnia late a nobis commemoranda eſſent, niſi inſtituti ratio arctioribus finibus nos circumdediſſet. Id ſerio adfirmamus & confidenter aſſerimus, adeo accurate & eleganter expedita, & ex omnis ævi ſcriptoribus confecta eſſe ſingula, ut facile appareat, perilluſtrem Auctorem nemine in hoc doctrinæ genere inferiorem, eoque ipſo inter reipublicæ literariæ proceres magno loco & numero habendum eſſe.

Sequuntur p. 174 *Faſti Magiſtratuum Romanorum ab Urbe condita ad tempora divi Veſpaſiani Auguſti*, Stephano Vinando Pighio *ſuppletis Capitolinis fragmentis* reſtitui; quibus ob argumenti ſimilitudinem p. 242 annexa eſt *deſcriptio Conſulum, ex quo primi ordinati ſunt, ſive integri Faſti Conſulares, quos Idatianos docti viri hactenus appellarunt*, opera & ſtudio Philippi Labbe. Succedit p. 270 Tironis Proſperi Aquitani *Chronicon integrum ab Adamo ad Romam captam a Genſerico Wand. Rege*. Hoc excipiunt p. 332 *Faſti Conſulares anonymi*, quos e codice manuſcripto bibliothecæ Cæaſareæ depromſit, & diſſertatione illuſtravit F. Henricus Noris, Auguſtinianus, nunc Romæ Cardinalis: nec non p. 384 anonymus *de Præfectis Urbi ex temporibus Gallieni, ut & fragmentum Faſtorum ab anno Chriſti 205 ad 353*, ex editione Ægidii Bucherii: & iterum p. 404 *Epiſtola Conſularis*, in qua Collegia LXX conſulum ab anno Chriſtianæ epochæ XXIX, imperii Tiberii Auguſti decimo quinto, ad annum CC XXIX imperii Alexandri Severi octavum, in vulgatis Faſtis hactenus perperam deſcripta, corriguntur, ſupplentur & illuſtrantur, auctore F. Henrico Noris. Apponuntur inde ſcripta doctorum virorum, qui de notis veterum Romanorum, numis, & menſurandi computandive ratione tradiderunt, atque adeo ex inſtituto hoc laboris genus ſuſceperunt. Hinc videas p. 508 Sertorii Urſati Equitis de *notis Romanorum* commentarium; & p. 1132 Ludovici Savoti diſſertationes de *numis antiquis*, diviſas in quatuor partes, atque

ex

ex Gallica in Latinam linguam translatas a L. Neocoro. Has comitantur p. 1328 Alberti Rubenii *de gemma Tiberiana & Augustea*, nec non de *urbibus Neocoris* commentationes: ut & p. 1369 Marquardi Freheri, Consiliarii Palatini, *de re monetaria veterum Romanorum, & hodierni apud Germanos Imperii*, libri duo. Inde p. 1436 Robertus Cenalis *de vera mensurarum ponderumque ratione:* & p. 1606 Lucæ Pæti, Jurisconsulti, *de mensuris & ponderibus Romanis & Græcis, cum his, quæ hodie Romæ sunt, collatis* libri quinque apponuntur. Hinc p. 1675 sistuntur Prisciani Cæsariensis, Rhemnii Fannii, Bedæ Angli, Volusii Metiani, Balbi ad Celsum libri de *numis*, *ponderibus*, *mensuris*, *numeris*, *eorumque notis*, *& de veteri computandi per digitos ratione*, ab Elia Vineto Santone emendati, ut & a Jo. Friderico Gronovio. Additus denique p. 1715 est Alexandri Sardi Ferrariensis *de numis* liber, in quo prisca Græcorum & Romanorum pecunia ad nostri æris rationem redigitur. Commemoranda ceteroquin, si ab indice accurato & amplo discesseris, est præfatio tomo huic a celeberrimo Grævio præfixa, ex qua etiam more nostro nonnulla excerpemus.

Primum observat, temere ab Ursato, in commentario de notis Romanorum, Joannem Calvinum lexici Juridici auctorem cum Joanne Calvino, celebri illo sacrarum literarum interprete, confundi, cum iste fuerit Noviodunensis Gallus, ille Wetteranus Germanus. Cæterum monuerat Ursatus, Lazium in commentariis Reipublicæ Romanæ forte perperam scripsisse, *Augustales* apud Romanos fuisse apparitores. Corroborat hanc fluctuantis Ursati opinionem Grævius, & certo adfirmat, *Augustales* sodales aut flamines fuisse sacerdotes ex primoribus Romanis lectos, ut novi Numinis Augusti, post obitum inter Deos relati, sacra procurarent, cujus rei testem allegat Tacitum An. lib. I, 54. Imitatas id colonias & municipia esse, ubi ex decurionibus & primariis viris creati fuerint. Præfuisse vero sacris, ludis, spectaculis & aliis functionibus publicis, uti demonstrarint Thomas Reinesius epistola prima & tricesima ad Rupertum, & Petrus de Marca in dissertatione de Primatu Lugdunensi, ex quibus uberiorem explanationem petere jubet. Id porro monet, in antiquo, quem Ursa-

tus

tus allegat, codice corrupte & inquinate tradi, A ſignificare quinquaginta. Scriptum enim fuiſſe Λ pro L, quam notam eſſe quinquagenarii numeri, auctoritate & conſenſu antiquorum titulorum adfirmat. Cum vero eodem modo in antiquis monimentis prima litera exprimatur, (ut in lapide, qui penes ipſum Grævium eſt, JOVI. O. M. SVMMO. EXSVPERANTISSIMO &c. APOLLINI. LVNAE &c.) ſimilitudinis errore librarios ſcioloſque deceptos has literas inepte permutaſſe. Inde inſcriptionem Nannetenſem, cujus Salmaſius epiſtola tertia & ſexageſima meminit, adducit, & quid C. M. LOCIS ſignificet, explanat. Inſcriptio hæc eſt:

NVMINIBVS AVGVSTORUM
DEO VOLIANO
M. GEMEL. SECVNDVS. ET. C. SEDAT. FLORVS
ACTOR. VICANOR. PORTENS. TRIBVNAL. C. M.
LOCIS. EX. STIPE. CONLATA. POSVERVNT.

Aliam autem, quam Salmaſius, interpretandi rationem ſequitur, & C. M. LOCIS vel ſimpliciter exponit *cum locis*, ita tamen, ut hoc explicandi modo ſervato ςιγμὴ tollatur, ſcribaturque CM; vel *cum multis locis*. Per *loca* vero intelligit ſubſellia, in quibus ſedebant vel ipſi judices (inde *longi ſubſellii judicatio* apud Cicer. III ad Fam. 12 ipſi eſt judicium, in quo multi judices ſedent); aut aſſeſſores, qui & conſiliarii dicantur; aut teſtes, qui inde nimirum ex ſubſellio dicebantur excitari, cum citati reſponderent. A litigatoribus vero iſta ſubſellia conducta eſſe, teſtimonio Sueton. Neron. 17 probat ac evincit. His eleganter & ſcite confectis, illuſtrandam ſuſcipit hanc inſcriptionem a Grutero pag. 38 repræſentatam:

APOLLINI
GRANIO
SIGNVM. CVM
BASE. MIRPA

Inprimis vero in explicanda voce MIRPA multus eſt, cujus rationem & ſignificatum neque Marcus Velſerus & Scaliger, neque Reineſius intellexerunt, aut aſſequuti ſunt. Illi pro nomine quodam proprio venditarunt; hic notas eſſe putavit, quæ lectorem ſpe-

spectent ac compellent, ut hæc verba innuant: *Mature in rem propera. Abi.* Enimvero omnes has interpretandi rationes fundamento minus stabili subniti, Grævius pronunciat: & Velserianam Scaligeranamque sua sponte cadere; Reinesianam vero exinde destrui, quod in ista inscriptione consecretur Apollini Granio signum cum base, ubi nullus vere locus huic formulæ esse possit. Cumque adeo voti aut doni eucharistici rationem habeat, neque mortuo homini ac D. M. posita sit, perabsurde sic lectores compellari censet. Ipse vero existimat MIRPA denotare materiam basis, & explicandum *marmorea Paria.* MIR vero pro MAR poni modo inscriptionibus usitato, quippe in quibus sæpius I pro A legatur, bases quoque ex marmore olim factas esse, adductis ex Grutero inscriptionibus demonstrat. Monet insimul pro *pavimento* apud Gruterum pag. 39 occurrente, in Msto Sigonii, testante Marquardo Gudio, qui Ligorii libros evolvit, scriptum esse *palmento.* Adducit inde quatuor inscriptiones ineditas ex opere Gudiano depromtas, quarum tres *palmentum* referunt, quarta ad basin seu [illegible]obasin marmoream pertinet. Plura ad istum Ursati librum notari posse ait, sed ea ultro se differre in tomum Inscriptionum, suo tempore, si vita & otium suppetierit, publicandum. Ne quis vero miretur, multorum aliorum, qui in isto de ponderibus & numis veterum argumento elaborarunt, utpote, Guilelmi Budæi, Georgii Agricolæ, Joachimi Camerarii, Leonardi Portii, Henrici Glareani, Josephi Scaligeri, Petri Ciaconii, Joannis Friderici Gronovii, Willebrordi Snellii, Matthæi Hostii, Erycii Puteani, & reliquorum libros hic non comparere, monet celeberrimus Grævius, ultro a se prætermissos esse, cum non ita pridem in Belgio excusi fuerint, atque adeo sine detrimento & indignatione Bibliopolarum his tomis inseri nequiverint. Promittit tamen fore, ut suo tempore appendix has & reliquas huc pertinentes commentationes complectens sequatur. Quæ destinata ut illustris Grævius feliciter expediat, & inprimis Inscriptionum illud, quod adornat, volumen luci publicæ quamprimum donet, communi reipublicæ literariæ nomine precamur & quæsumus.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM congestus a JO. GEORGIO GRÆVIO, Tomus duodecimus.

Lugduni Batavorum & Trajecti ad Rhenum, apud Petrum van der Aa, & Franciscum Halmam, Anno 1699, fol.

Constat 4 Alph. 12 plag. nec non figuris & tabulis æneis compluribus.

Duodecimum jam recensemus tomum, qui amplissimi operis ultimus est, & reliquos huc pertinentes scriptores continet. Eandem itaque, quam hactenus tenuimus, viam sequemur, & quid potissimum præstitum fuerit, breviter strictimque commemorabimus.

Primo loco illi conspiciuntur auctores, qui antiquitates Romanas, quatenus ad potum attinent, & conviviorum instituta exponunt, persequuti sunt, utpote p. 1 Vincentius Butius de *calido, frigido, & temperato antiquorum potu, & quo modo in deliciis usi fuerint*; pag. 44 Julius Cæsar Bulengerus de *conviviis*; p. 233 Erycii Puteani *reliquiæ convivii prisci, tum ritus alii, & censuræ.* Inde sequuntur de rebus ad balneas spectantibus commentationes, inprimis p. 281 Andreæ Baccii de *thermis veterum* liber singularis; p. 381 Francisci Robortelli *Laconici, seu sudationis, quæ adhuc visitur in ruina balneorum Pisanæ urbis, explicatio*, & p. 389 Francisci Mariæ Turrigii *notæ ad vetustissimam Ursi Togati, ludi pilæ vitreæ inventoris, inscriptionem.* Succedit p. 405 Martini Lipenii *strenarum historia* a prima origine per diversas Regum, Consulum & Imperatorum Romanorum, nec non Episcoporum ætates ad nostra usque tempora. Proxime inde absunt illi, qui de triremibus commentati sunt, exhibenturque p. 553 Marci Meibomii de *fabrica triremium* liber; pag. 681 Constantini Obelii de *fabrica triremium Meibomiana* epistola perbrevis ad amicum, & pag. 705 Isaaci Vossii de *triremium & Liburnicarum constructione* dissertatio. Quibus annectuntur p. 737 Jacobi Philippi Thomasini de *donariis & tabellis votivis* liber singularis; Vincentii Alsarii de *invidia & fascino veterum* libellus p 885; Jo. Schefferi de *antiquorum torquibus* syntagma p. 901; nec non p. 949 Michaelis Angeli Causei de

de la Chausse dissertationes tres, quarum prima de *vasis, bullis, armillis, fibulis, annulis, clavibus, tesseris, stylis, strigilibus, guttis, phialis lacrymatoriis, & de manibus aeneis vota referentibus*: altera de *Mutini simulacris*, tertia de *aeneis antiquorum lucernis* agit & disquirit. Tandem comparent scripta sepulchrale argumentum pertractantia, collocaturque primo loco, atque adeo p. 993, Octavii Ferrarii dissertatio de *veterum lucernis sepulchralibus*. Sequuntur p. 1021 *picturae antiquae sepulcri Nasoniorum in via Flaminia*, delineatae & aeri incisae a Petro Sancto Bartolo; explicatae vero & illustratae a Joanne Petro Bellorio, quas demum ex Italica lingua in Latinam transtulit Ludolphus Neocorus. Has p. 1077 excipiunt Jacobi Gutherii de *jure Manium, seu de ritu, more & legibus prisci funeris* libri tres, nec non p. 1337 ejusdem *Choartius major, vel de orbitate toleranda* ad Annam Robertum J. C. praefatio, ut & p. 1354 Petri Morestelli *pompa feralis, seu justa funebria veterum*. Subjicitur denique index summa rerum & verborum capita convenienti, & literarum inprimis ordini congrua, serie repraesentans.

In praefatione, quae disserendi materiam nobis suppeditabit, primo rationem reddit celeberrimus Graevius, cur nec Marsilii Cognati de sanitate tuenda, nec Joannis Freinshemii de potu calido, nec Joannis Henrici Meibomii de cerevisiis potibusque aliis praeter vinum cerebrum sauciantibus, libri, in hunc tomum fuerint relati, ideoque factum esse affirmat, ne volumen nimis intumesceret. Inde inter alia monet, Bulengerum de conviviis cap. 10 minus recte inter varia convivia numerasse *coenas adjiciales*, cum in omnibus libris apud Varronem, Senecam, Plinium legatur *adiciales* pro *aditiliales*, quam sententiam auctoritate Petri Fabri, Lipsii, Gruteri, Harduini, fulcit ac tuetur. Appellari vero ita coenas, quae in aditu sacerdotiorum aliarumque curationum a recens inauguratis datae fuerint. Huc pertinere etiam, atque adeo inter varia convivia locum sibi vindicare *coenam liberam*, quam lautissimam fuisse, & damnatis ad bestias pridie ante, quam pugnarent, datam esse, ex passione S. S. Perpetuae & Felicitatis probat. Ostendit porro, male cum Justo Lipsio eundem Bulengerum capite 24 *intempestiva convivia* tueri, cum antiqui emendatique codices ad unum omnes *tempestiva con-*

vivio habeant. Dicta vero ita esse, quod de die, sive adhuc multo die cœperint agitari, ac proinde Ciceronis locum ex libro de senectute affert: *Ego propter sermonis delectationem tempestivis conviviis delector.* Qua occasione de justa cœnæ hora agit, traditque, non decimam, uti perperam existimet Bulengerus, sed nonam fuisse, unde veterum suffragiis se munit, adductisque Martialis & Juvenalis testimoniis negotium ad liquidum perducit. Quando vero, quod gulones fecerint, post cœnam epulis indulserint, id non intempestivum convivium, sed comissationem dici consuevisse. Inde de variis potus generibus differit, pronunciatque, *mulsum* ex melle & aqua factum, ideoque Græcis hydromeli dictum: *œnomeli* vinum melle mixtum: *melomeli* vero fuisse potum ex melle & pomis, non vinum sine ulla admixtione dulcissimum, uti falso existimarit Salmasius. Contra *conditum* vinum esse melle, pipere, aliisque aromatibus conditum, eamque ob causam a Plinio *piperatum* dicit. Inserviviſse autem *conditum* stomacho imbecilliori confirmando, & plerumque ante cœnam eo veteres usos esse. His rite confectis, varias *aceti* rationes persequitur, illiusque aliud potui fuisse, (quod testimoniis optimorum auctorum atque exemplo militum Christi cruci assidentium declarat) aliud extinguendis ignibus servatum, aliud condimenti loco habitum, affirmat. Et quod ad acetum inter condimenta relatum attinet, non *ὄξος σκευαστικὸν acetum factitium*, quod arte paratur, sed ab initio esse acetum, & vocari solitum *vappa*, Siculis *βάμμα*, pro quo Æoles dixerint *βάππα*. Quod vero hoc acetum omnium condimentorum optimum habitum, & per excellentiam ἦδος (non εἶδος, uti inquinate scribatur apud Bulengerum) appellatum fuerit, & aceti Scyllitici nomine præterea venerit, ex Athenæo & Columella deducit & conficit. Tandem de *caldariis* disputationem suscipit, veterumque hac de re sententiis collatis, & rite explanatis, contendit, non ætate Vitruvii Pliniique vasa, quibus aquam calefaciebant, ita dicta, sed adjectivum (uti vulgo loquuntur) esse, & vel conclave seu locum, ubi calda fuerit lavatio, vel vas, in quo calefacta sit aqua, subaudiri.

M. A. SINAPII PHIL. ET MED. DOCT. NOB. UNGARI Tractatus de Remedio Doloris, sive Materia Anodynorum, nec non Opii Causa Criminali in foro Medico.

Am-

Amstelodami apud Janssonio-Waesbergios, 1699. in 8.
Constat 11. plag.

Nunquam magis gratus aut magis opportunus ægro contingit, nec unquam æstimationi suæ famæque viam aperit meliorem certioremque Medicus, quam dolorem ægri commode leniendo. Hoc enim symptoma validissimus ille est aries, quo humana valetudo, sive integra, sive jam labefactata, ita concutitur, ut sæpenumero mortis faucibus miseri tradantur; dum vires enervat, somnum arcet, appetitum diminuit, spiritus animales vel extinguit, vel in motum irregularem agit, sensus hebetat, febres continuas, & convulsiones ac alia horrenda phænomena concitat. Operæ igitur pretium visum fuit generoso Autori, symptoma hoc examinare, & ipsius remedia tradere. Dolorem igitur definit per tristem sensationem a motu irregulari & violento fibrillarum nervearum ortam. C. 1. Quoniam enim in morbis intemperiei sine materia Veteribus dictis, ut in levibus phlogosibus, item in humorum principiis, cephalalgia, odontalgia, quacunque compressione nervosarum partium, gravitate, distensione &c. absque ruptura & laceratione vasorum dolor percipitur, Antiquorum placita sequi, & eum per continui solutionem definire dubitavit. Quemadmodum autem variæ doloris observantur species, ita singulas ab aliis oriri dicit causis. Sic gravativum deducit a materia viscosa terrestri, flatibus, cruditate, obstructionis principio; pulsatorium ab obstructione sanguinis arteriosi & inæquali ejusdem propulsu; pungentem, lancinantem, mordicantem, urentem &c. a diversa salium figura, penetratione pororum, & vellicatione fibrarum: exacerbari vero eundem non solum a bile, prout Veteribus visum fuit, sed a gradu intensiori cujusque humoris acris, sive ille sit bilis, sive melancholia, sive pituita acida, existimat, quibus obstructionis incrementum accenset. c. 2. Imo si contingat, ut anodyna adhibita eundem exacerbare videantur, culpam partim in Medicum rejicit, qui medicamenta appropriata non selegit, aut dolore ad suppurationem vergente discutientia acriora vel incrassantia applicuit, partim in ipsa anodyna, quæ cum causa doloris colluctantur, & fermentant, sed tandem victoriam obtinent. c. 3. Quemadmodum autem venæsectio, purgantia, vesicatoria, salivantia,

 dia-

diaphoretica, & diuretica, imo ipſe dolor, doloris remedia pro cauſarum & circumſtantiarum diverſitate eſſe obſervantur: ita anodynum ſpecificum univerſale in cauſa calida æque ac frigida
c. 4. dari negat. Examinat tum ſeorſim anodyna ab elementis, animalibus, vegetabilibus & mineralibus petita, eorumque vis in quo conſiſtat, explicat. Inter alia, an infuſio Thee & Coffee ad hanc claſſem ſit referenda, disquirit, & potus *Content* dicti, item *Ban-*
c. 5. *gues* ſive *Aſſeral* præparationem tradit. Quibus de remediis præmiſſis, Opium fingit ad tribunal medicum citatum, & homicidiorum per vim deleteriam & omnibus fere corporis partibus nocivam perpetratorum accuſatum fuiſſe; qua occaſione tam patroni quam adverſarii ejus cum hypotheſibus ſuis allegantur, & Aletophilus advocatus cauſam pro eo acturus introducitur, laudans illud ab antiquitate & nobilitate; verum opium a meconio diſtinguendum eſſe monens, illudque optimum pronuntians, quod nigri coloris, inflammabile, amarum, & quaſi acre ad guſtum, odoris gravis, atque ſtupefacientis eſt; caliditatem ejus vimque operandi non in ſale acri, ſed ſulphure, conſiſtere probans, dicensque narcotica, imprimis vero opium, utpote quod ſulphur viſcoſum valde concentratum gerat, poſtquam cum ſanguine ad minutiſſima cerebri vaſa deferuntur, facta in eo cum ſpiritibus fermentatione, id quod volatile eſt, facile tranſire, ſeque ipſis ſpiritibus animalibus aſſociare, ſulphur autem viſcoſum, volatilis hujus intimum comitem, vaſa capillaria glutine ſuo & viſcoſitate obſtruere, & cum phlegmate ſanguinis miſceri; quod ſi igitur iſta obſtructio omnimoda & fortis ſit, ſequi affectum ſoporoſum aut ſomnum, ſin imperfecta, & particulæ quædam ſulphuris viſcoſi narcotici in ſpirituum ſedem irruperint, iisque ſe aſſociaverint, oriri falſas apprehenſiones, combinationes idearum, perturbatam rationem, & temulentiam; prout autem ſpiritus vel agiles vel fixi fuerint, concitari modo hilaritatem & furorem, modo torporem, ſtuporem, & melancholiam ſic dictam ſomnolentam. Sic ad reliqua adverſariorum argumenta reſpondet idem Advocatus, & culpam lethalitatis non in opium, ſed nimiam ejus propinatam doſin & Medicorum imperitiam, qui opio idololatricum deferunt honorem, & Panaceas ex eo contra omnes morbos, omni-

um-

umque morborum causas se paraturos jactitant, rejiciendam esse refert; & quanquam modus opium extrahendi Langellotti per succum cydoniorum & spiritum vini nullo modo sit culpandus, jubet tamen duplici laudano instructum esse Medicum, altero cum acido aqueo parato, pro phrenesi, mania cum vigiliis, &c. subjugandis; altero cum sulphureo alcalino correcto, pro melancholia e. g. domanda. Ut autem imposterum mala ab infirmis opio utentibus arceantur, nec opium ipsum amplius tot calumniis injuriose afficiatur, leges quasdam circa usum ejus a Magistratu Medico impetrat. Tacemus reliqua, quæ de Medicastrorum copia, & varietate, Empiricorum secta, & Lapidis Philosophici atque Panacearum confectoribus ludicrum in modum narrat Autor.

VITA THEODERICI REGIS OSTROGOTHORUM ET ITALIÆ, auctore JOHANNE COCHLÆO Germano. Cum Additamentis & Annotationibus, quæ Sueo-Gothorum ex Scandia expeditiones & commercia illustrant; opera JOHANNIS PERINGSKIOLD.

Stockholmiæ literis Enæanis, 1699, in 4. Alphab. 3. pl. 14.

Cochlæi hicce liber, qui A. 1544 Ingolstadii editus, ast hactenus fere sepultus jacuit, e cineribus erui dignus a Peringskioldo, Archivi Antiquitatum Sueciæ Secretario Regio, patriæque Antiquario, judicatus fuit. De primo ejus auctore Cochlæo non est, ut hic quicquam dicamus; ita enim ille in controversiis, quæ tunc, cum Lutherus doctrinam Pontificiam repurgare cœpisset, agitatæ inter Theologos sunt, inclaruit, ut vix alicui ignotum esse putemus. Libuit vero Cochlæo paulisper animum relaxare a contentiosis, quos vocat, adversus novas sectas libellis, & jucundiore aliqua rerum commemoratione recreare. Unde hunc de vita Regis Ostro-Gothorum Theoderici libellum edidit atque simul alium de gestis Totilæ, ejusdem gentis Regis, surbisq; Romanæ eversoris, promisit, cujus jacturam deplorat clarissimus Peringskioldus in Annotationum suarum initio, ita tamen, ut abunde compensatam eam judicet, scripto hocce de vita Regis Theoderici, quod ipse multo labore & accuratione, ex veterum monumentis collegerat. Sed nos, prætermisso Cochlæi libello, ipsarum Anno-

notationum rationem potius paucis sistemus. In eo autem fere est earum Auctor, ut Cochlæi verba abunde primo ex antiquis Gothicis Runicisque monumentis illustret, & deinde exterorum quoque Historicorum testimoniis confirmet. Ubi de nomine Theoderici commentatur, originem ejus Gothicam ostendit, asserens
p. 237. componi ex vocibus Thiod & Rikur, vel Rekur, quæ compositæ populis divitem vel populorum debellatorem significent, quod
p. 251. prior populum, & posterior divitem sive potentem indigitet. Ad ea verba, ubi Cochlæus Theodericum ex illustri Amalorum Gothicæ gentis familia oriundum dicit, memorat Peringskioldus, inclutam Amalorum gentem, quæ Italiæ vicinorumque regnorum quondam dominatrix fuit, originem suam debere popularibus suis Sueogothis, quibus antiquitus Hamalungi, Amalungi, Aumalungi aut Humlingi dicti fuerint, & sati ex regia Igglingorum familia stirpes suas passim dilatarint, coactoque sub ducibus suis exercitu, cum in peregrinas terras delati essent, gemina de causa Gothi dicti sint, cum quod Gothica exiverint patria, tum etiam quod familiæ suæ primum ducem ac propagatorem agnoscerent Gautium sive Gotum, cujus abnepos Ostrogothus deinde populo nomen dederit. Tandem in duas distinctos Gothios hos stirpes fuisse, alteram Balthiorum, quæ in Hispania sedem fixerit; alteram Amalorum, quæ Italiam occuparit, ex qua Theodericus fuerit, Multus hic Auctor est in describendis hisce familiis, quarum ordinem & genealogicis tabulis exhibet, in ipso libro ab harum rerum curioso inspiciendis. Ubi Cochlæus dixit, pro *Bar-*
p. 300. *baris* habitos esse Gothos, subjunxit statim, quod multis nationibus Barbari fuerint, tum rebus gestis clariores, tum animi virtute & procerum nobilitate præstantiores. Hoc Cochlæi testimonium ita arridet Peringskioldo, ut ipsi merito inter præstantissima exterorum judicia de Sueogothorum gente commemorandum veniat. Postquam idem de vera vocis *Barbarorum* significatione & apud veteres usu disseruisset, eamque cum clarissimo Rudbeckio a Boreo, h. e. Saturno ejusque filiis Borbarn, derivasset; unde totum genus Scythicum a Græcis, vim sonumque vocis non satis rite capientibus vel dijudicantibus, Barbarum dici cœptum esse arbitratur: ægre fert Hugonis Grotii in Prolegomenis ad Procopium

pium p. 38. de Gente sua judicium, quo ait: *Ingenium, sunt, qui deesse Septentrionalibus putant, corporis robore ferocibus;* ac in contrarium multa, tum suorum, tum exterorum præclara adducit testimonia, quæ ut & sequentia alia nos brevitatis studio prætermittimus. Quam fœcunda vero variarum gentium Scandia genetrix extiterit, ostendit tabula præprimis, quam ex Olai Magni Upsaliensium Archiepiscopi *Charta Gothica* adducit, quæ ita se habet: *Ex Scandia*, h. e. *Suecia, Gothia, Norvegia*, sunt *Gothi, Suedi, Dani, Nortmanni, Ostro-Gothi, Longobardi, Daci, Picti, Vestro-Gothi, Turcilingi, Slavi, Carpi, Gepides, Avares, Rugi, Caibi, Samogetæ, Heruli, Alani, Cimerii, Massogetæ, Vinuli, Burgundi, Cimbri, Huni, Suevi, Sembi, Bulgari, Amazones, Suizeri, Livoni, Littavi, Parthi, Tabiphali, Sciri, Franci, Getuli.* Linguarum cognationem quoque ostendit pluribus, & de hisce gentibus lectu certe dignissima subjicit varia. Ubi de Odoacre Herulorum Rugorumque Rege, qui ante Theodericum Italiam invaserat, sermo est, monet Peringskioldus, illius quoque nomen ad originem Gothicam referendum esse. Derivari enim ab *Oddur*, quod mucronem denotet, & *Geir*, i. e. gladio. Sicuti jam supra probaverat, Herulos quoque & Rugos ex Suecia progressos fuisse. Plura hic adferre nolumus, cum hæc sufficere videantur ad ciendum Lectoris harum antiquitatum studiosi appetitum. Illud tamen Lectores ignorare nolumus, spem facere Cl. Peringskioldum, antiquitatis patriæ restauratorem perindustrium, se editurum Monumenta Sueo-Gothorum antiqua & recentia, quibus describendis poliendisque indefesso labore & vigiliis per plures annos operam insumserit, & plura alia polliceri, quæ partim sub prælo sudarunt, cum Auctor hanc præfationem scripsit, omnia ad antiquitates Gentis suæ illustrandas faciunt.

HISTOIRE DE LA DECOUVERTE ET DE LA CONQUETE du Perou.

i. e.

HISTORIA DETECTÆ ET OCCUPATÆ AB HISPANIS Peruviæ, auctore AUGUSTINO de ZARATE. Ex Hispanica in Gallicam linguam traducta a S. D. C.

Amstelodami, apud Ludov. de Lorme, 1700, 12. Alph. 1½.

Antonii de Solis Historiam *Mexicanæ* in America Septentrionali ab Hispanis, duce Ferdinando Cortesio, occupatæ, ex Hispanico in Gallicum sermonem traductam, in his Actis A. 1692, pag. 524 sqq. recensuimus. Æquum itaque est, ut præsens opus, quod *Peruvianæ* regionis in America Meridionali ab Hispanis, Francisci Pizatri inprimis auspiciis, detectæ ac subjugatæ, Historiam, ab Augustino de Zarate olim compositam, & ex Hispanico itidem in Gallicum sermonem non ita pridem conversam, complectitur, silentio non prætereamus. Quemadmodum vero tum nonnisi summa capita Historiæ Mexicanæ, quod nova non esset, sed novo tantum habitu Gallico induta, exhibuimus: ita in recensenda Peruviana hac Historia, eandem ob causam (nam Hispanica lingua jam A. 1555 Antverpiæ, & iterum Seviliæ A. 1577 prodiit) pari brevitate defungemur. Summa nimirum totius operis, in septem libros distincti, hæc est. Franciscus Pizarrus, communicato cum Didaco Almagro consilio, Peruviam A. 1525 primus detexit (L. 1.), impetrataque a Carolo V Cæsare eodemque Hispaniarum Rege licentia, invasit occupavitque (L. 2.), Atabaliba Rege, qui rerum ea tempestate in Peruvia potiebatur, victo, capto & judiciali sententia capitis damnato. Mox orta inter Franciscum Pizarrum & Didacum Almagrum æmulatione (L 3.) bellum civile inter Hispanos ipsos exarsit, donec Didacus ille Almagrus a Ferdinando Pizarro, Francisci fratre, conserto prælio victus capite truncaretur. Vicissim Didacus Almagrus junior (L. 4.) patris mortem vindicaturus, Franciscum Pizarrum per sicarios occidi curat, nec tamen facinus fert inultum. Nam & ipse a Vaca Castrensi, quem Cæsar ex Hispania in Peruviam rebus componendis submiserat, in prælio capitur, capiteque plectitur. Missus inde (L. 5.) Proregis titulo a Cæsare in Peruviam Blascus Nonius (*Nugnez*) Vela, a Consalvo (*Gonzalez*) Pizarro, alio Francisci fratre, qui dominatum invaserat, profligatur, inque prælio occumbit. Denique in Peruvium missus a Cæsare Petrus Gasca, JCtus, nec nisi Præsidis titulo fultus, (L. 6.) ad saniorem primum mentem Consalvum Pizarrum revocare nititur; cum vero mitibus consiliis obtinere nihil posset, justo tandem (L. 7.) prælio eum vincit, capite truncat, rempublicam componit, Peruviam Cæsari in solidum vindicat, a Proregibus deinde, quorum primus Antonius

nius

nius de Mendoza fuit, gubernandam. Cæterum libri ipsius lectio nec ingrata, nec inutilis, futura illis est, qui post ingentem rerum Hispanicarum post Caroli II obitum conversionem, de Americanarum, quæ Hispanis hactenus subjectæ fuerunt, provinciarum statu præsenti futuroque varia, pro suo quisque ingenio & affectu, fingunt ac hariolantur. Nobis id unum adjecisse suffecerit, Gallicum Historiæ hujus Peruvianæ interpretem in Præfatione errorem quendam Thuani notasse. Hic enim Historiarum libro I prodidit, Vacam Castrensem, cujus mentionem supra fecimus, a Consalvo Pizarro fuisse trucidatum; quem tamen in Hispaniam rediisse incolumem, ex Zarata nostro abunde constet.

JO. SAUBERTI, F. DE SACRIFICIIS VETERUM Miscellanea, quibos accedit ejusdem de Sacerdotibus & sacris Hebraorum personis commentarius. TH. CRENIUS recensuit, emendavit, & præfatione, notis ac indicibus auxit.

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmans, 1699, in 8. Alph. 2 plag. 3.

Aliquoties jam in Actis nostris doctissimi Crenii institutum laudavimus, & serio constantique sententia testati sumus, nihil eo utilius reipublicæ literariæ evenire posse. Id quod denuo pronunciamus, quando differendi occasionem nobis suppeditant præsentes libri, ejus cura & solertia paulo nitidius ante triennium fere editi, ideoque in hoc Supplementorum tomo commemorandi. Nimirum evulgaverat anno 1659 Jenæ suum de Sacrificiis veterum librum Joannes Saubertus, F. post S. Theologiæ Doctor, & linguarum primo Orientalium, inde Theologiæ in Helmstadiensi, tandem in Altorfiana Academia, Professor, & sacrarum rerum Antistes, in eoque, quæ diu ante hac de re dixerant Jo. Guilelmus Stuckius, Lilius Gregorius Gyraldus, & Guil. Choulius, examinarat. Hunc elegantissimum ingenii fœtum cum vix hodie in officinis librariis extare comperisset Crenius, consultum ipsi visum est iterum luci exponere, nonnullisque accessionibus auctum, & diligenti cura emendatum, orbi erudito consecrare. Quod eo gratius futurum judicavit, quo ardentiore cupiditate olim hic liber le-

ctus fuit, & quo magis ingenii doctrinæque laude, dum viveret, floruit maxime reverendus Saubertus. Cumque laudatus Saubertus simili prorsus studio, & peculiari adeo libro (a D. Jo Fabricio anno 1694 edito, & Saubertinæ dictorum Scripturæ sacræ Explicationi adjecto) eas Hebræorum antiquitates exposuisset, quæ ad sacerdotes attinent, & de viris sacram dignitatem sustinentibus tradunt, placuit ipsi eundem hic subjungere commentarium, & comitis instar associare. Habuerat præterea in animo his annectere celeberrimorum virorum Georgii Calixti & Jo. Hülsemanni eadem de re libros: enimvero, ne opus justam magnitudinem excederet, in aliud tempus locumque distulit. Cæterum in notis subjectis ita versatur clarissimus Crenius, ut testimonia & effata auctorum minus accurate aut falso citata emendet, & recte dicta pronunciataque confirmet magis, adductisque scriptorum sententiis corroboret. Tandem præter præfationem, copiosam sane, & verba Gen. IV, 3, 4 prolixe explicantem, tres comparent indices, quorum primus exposita Scripturæ sacræ dicta commemorat, alter auctorum allegatorum nomina recenset, & tertius rerum pertractatarum summa capita consueto literarum ordine repræsentat.

CONRADI SAMUELIS SCHURZFLEISCHII EPISTOLÆ nunc primum editæ.

Vitembergæ Saxonum, apud Jo. Guil. Meyerum & Gottfridum Zimmermannum, 1700, in 8.
Alph. 2. plag. 16½.

Prorsus ac omnino illorum institutum collaudandum est, qui non cætera solum doctorum virorum scripta in lucem emittunt, sed epistolas quoque, & ad familiares perscriptas literas publicant, atque adeo, ut a pluribus legi possint, efficiunt. Quos inter cum optimo jure Schurzfleischianarum epistolarum editores referantur, non possumus non, quin illorum destinata publice prædicemus, &, ut reliqua florentissimi Polyhistoris opera in lucem vindicent, oremus magnopere & obtestemur. Tanta enim Schurzfleischii fama est, & eruditio, ut nihil nisi limatum & egregium ab eo proficiscatur. Accedit dictionis elegantia, & exquisita oratio, quæ uti optimo

ptimo Latinitatis ævo prorsus congruit, ita vel maxime scripta ejus ornat ac commendat. Equidem monent in præfatione, qua lectorem compellant, editores, reperiri nonnulla in epistolis vocabula, quæ suspicionem faciant, eum interdum ab emendata loquendi ratione discessisse, & ejusmodi usurpasse voces, quæ Romana civitas arceat & merito aversetur. Enimvero præterquam quod plerasque epistolarum primis demandati sibi muneris annis & ante scripserit, ultro quoque (quod porro editores affirmant) ipsi ignoscent, qui materiam scriptioni subjectam considerabunt, quæ uti maximam partem publicas res complectitur, ita nullum alium exprimendi modum requirit. Et sane vel maxime superiorum temporum commentariis scribendis epistolæ hæ inservire videntur, quandoquidem res lustris abhinc aliquot gestas accurate recensent, & de viris rerum civilium omnisque doctrinæ peritissimis pronunciant. Neque tamen inficiamur, & alia hic reperiri, quæ humanitatis studia propius attingunt, & omnium temporum historiam explicant, ut facile inde appareat, ipsum jam ea ætate optime fundatas studiorum rationes habuisse. Cujus rei documenta jam suppeditabimus, ita tamen, ut res proxime elapsorum temporum, quippe omnibus notas, non attingamus, sed alia potissimum altius paulo repetita, & apposite ab eo dicta, adferamus.

Epist. 23 ad perillustrem Henricum Liberum Baronem a Frisen scripta disquirit, quo tempore prima constitutio Imperii Germanica lingua scripta sit, idque anno 1236 factum esse adfirmat. Et quamvis aliter videatur viris ingenio & doctrina exquisita, Jo. Aventino, Martino Crusio, Christophoro Lehmanno, Cyriaco Spangenbergio, Melchori Goldasto, qui existimant, Rudolphum Habspurgicum, qui & Rufus dictus, primum edicto sanxisse, ut in conficiendis Imperii tabulis & formulis publicis tantum Germanicæ linguæ usus esset: attamen, cur aliter sentiat, efficere ait tabularum Germanico sermone anno 1236 scriptarum vestigium a se repertum. Quod autem veræ & genuinæ istæ sint tabulæ, id multis se indiciis perspexisse, & imprimis eo adductum esse auctoritate Gottfridi Monachi, idonei, quod Historiam seculi XIII attinet, & diligentis scriptoris. Contra nullum historicum æqualem tale quid de Rudolpho prodere, neque monimentum superesse fide di-

gnum, aut curiæ Rudolphi congruens; ipsum præterea Limnæum ita timide loqui, ut non immerito de ejus veritate dubitasse videatur. Inde de *Palatinorum* origine ep. 37 disputat, atque ostendit, eos Augustorum consessibus adhibitos obiisse officia aulæ, non lege quadam succedendi, sed libera voluntate Imperatorum. Serius, idque demum, ut colligit, Friderici Ænobarbi ævo, munus ad posteros transferendum accepisse, sed seculo, quod hinc subiit, XIII majori fortunæ beneficio usos esse, prærepto cæteris Principibus jure eligendorum Imperatorum. Nec sine causa vigilasse septem Palatinos, (inter quos duo eminuerint, Saxo, & alter ad Rhenum, aucti postea dignitate Interregum) atque altius perpendisse turbatum patriæ statum, ac fatale illud post Friderici II tempora interregnum, cæteris dormientibus, nec remedium sanandi vulneris habentibus. Ingentem vero seculo XIII factam conversionem esse, cum Palatini usu juris jus suum conservarint, alii non utendo amiserint. Eadem epistola de *Burggraviis* nonnulla commentatur, miraturque, doctissimum Conringium dubitanter de iis sentire & scribere. Sibi autem certa indicia esse ait, auspicio Rudolphi Habspurgici multum recessisse a veteri sorte, & cum ante eum infra Principum dignitatem fuerint, Principibus tunc cœpisse æquari. Magdeburgicum Burggraviatum ultimos tenuisse dynastas Schrapelanos, atque ab his jure hereditario ad Saxonas Ascanios, & inde ad Vittekindos translatum esse. De *Palatinatu* vero *Saxoniæ* speciatim agit ep. 233, & graviter Historicorum vulgo irascitur, eo quod nec interiores hujus rei rationes explanarint, neque etiam docuerint, quomodo & quo tempore Palatinatus Saxoniæ ad Thuringiæ Landgravios atque ab his ad Marchiones Misniæ, postea ad Ascanios, ac demum postliminio ad Marchiones nostros delatus sit. Ipse vero, cum deficiant diplomata, judicio historiæ ac ratione sufficienti id sibi consequutus videtur, si dicat, Palatinatum non prius ad Thuringiam fuisse adjunctum, quam proscriberetur Henricus Leo, ac Ducatu Saxoniæ privaretur. Quod cum accideret, Ducatum quidem in Bernardum Ascanium esse collatum, Palatinatum autem, tanquam ex alia causa quæsitum, pervenisse ad Thuringos, jamdudum titulo Nordthuringiæ partem Saxoniæ Cisvesaranæ, ubi tunc Palatinatus erat, complexos, & Guelfis, quibus auferebatur, vicinos, idque neminem cla-

clarius ac apertius, quam Monachum Lauterbergensem, expressisse. Palatinatus vero titulum, postquam ad Misnenses Marchiones devolutus fuit, tamdiu usurpatum legi, donec Ducatus Saxoniæ cum eo, auctore Friderico Bellicoso, atque Electoratus conjungeretur. Nam ab hoc tempore diplomata Friderici Bellicosi, quæ quidem ipse viderit, non exhibere Palatini Comitis titulum, quem tamen ante sumtam Electoris dignitatem usurparit. In diplomate autem inaugurationis beneficiariæ nihilominus Palatinatum Saxoniæ comprehendi, idque indicio sibi esse, nunc Saxoniæ Ducatui ita esse innexum, ut nec possit divelli ab eo, nec debeat. Epistola 40, uti de Interregno agit, ita tempestive ac graviter monet, illud minus recte putari ab excessu Friderici II, cum patri superfuerit Conradus IV, Principum suffragiis designatus Rex Romanorum. Eximit porro tabulis Regum Romanorum Alphonsum Arragoniæ Regem, & contra iis vindicat Richardum Anglum, asseritque diplomata in sanctioribus Principum tabulariis esse, quæ sub titulo Regis Romanorum impertitus sit Richardus, ut adeo justa reprehensione non careat, quod Caspar Peucerus scribat, cum nihil præter inane nomen imperii tenuisse.

Epist. 48 commemorat, se possidere diploma vetus ac probum, unde intelligatur, Merovingos initia posuisse ejus urbis, quæ medio ævo *Erphesfort*, hodie *Erfurt*, appellatur. Inde a Merovingis pervenisse ad Carolingos, quos qui Franco-Gallos vocant, omnium minime ineptire; Limnæum tamen in Notitia Franciæ sæpe loqui & judicare præter verum. Quanquam enim ut Franci acquisiverint Galliam, fecerintque suam, tamen quatenus Franco-Gallos postea possedisse. Sequenti epistola ad illustrissimum sui sexus decus, Henriettam Catharinam Frisiam, exarata de variis numis differit, negatque, Carolum Magnum *Magni* elogium numis curavisse incidi. Quando vero numi cujusdam his insigniti verbis, TIMO ABBAS PISOVV, meminit, monet simul, Principes Præsulesque Germaniæ jam ab antiquissimis temporibus habuisse jus cudendi numi, idque non Cæsaris, sed sua, effigie. Non minus lectu digna sunt, quæ ep. 59 continentur, ubi de jure scripto castrensi Germanorum refert. Adfirmat autem, a Taciti usque ævo ad tempora Friderici Ænobarbi, solos mores valuisse: Fridericum demum in Roncaliis cam-

campis A. 1180 redegisse in leges, primumque hujus gloriæ fructum tulisse, ut auctor idem conditorque juris militaris scripti haberetur. Constitutionem hujus rei servavisse Goldastum, cætera legi apud Radevicum. Quod vero de Friderico eodem pedibus a Papa conculcato vulgo adferant, id prorsus a vero abire, nec Romualdi, Frisingensis, Radevici, aut aliorum veracium scriptorum, testimonio sustineri, nec melius se tueri illam sententiam, quæ tradat, Fridericum aquis submersum periisse, cum apud Tagenonem in diario, & graviores scriptores, altius de eo silentium sit. *Domicellos* stylo seculi XIV vocari Dynastas; Judices vero Saxoniæ Carolingico ævo non *Scabinos*, sed serius, prius autem *Graviones*, quos vulgo *Comites*, vocari solitos, ep. 80 tradit. Epistola 102 illos castigat, qui asserunt, Fridericum III *Archiducis Austriæ* titulum frequentissime usurpasse, cum tamen monimentis & publicis sanctionibus, quas quidem se vidisse ait, facile conficiatur, Ducis solummodo titulo usum. De Maximiliano vero pronunciat, eum primum adhibuisse hunc titulum, licet quandoque invidiæ metu ab eo abstinuerit. Non minus illos epistola 401 perstringit, qui pervulgatam illam de Ludovico Saltatore fabulam recensent, suoque assensu firmant. Non quidem negat, Gibbichsteinium illo seculo, quo Henricus III Salicus rerum potiebatur, carcerem Principum perduellium fuisse, imo hoc ex Ditmaro & Vippone ultro sequi; at quo minus credat, Ludovicum in eum carcerem fuisse conjectum, hoc se adduxisse, quod Henrici III filius non ea tunc valuerit auctoritate, distractis factione Saxoniæ Principibus. Maxime vero tum se de fabula judicasse, cum loci situm speculatus sit, & cognoverit, non per naturam fieri potuisse, ut hoc modo se a vinculis liberaret. Saltatoris vero nomen aliunde inditum esse. Epist. 210. refert, præfecturas illas sacras ordinis Teutonici, quæ *commendæ* vocantur, Friderici II ævi institutas esse, seque vidisse membranam anni 1323. in qua Gebhardus Portseldius se scripserit hac formula: *Dei gratia Commendotor in Sublinburg*. Commemorat porro amicum quendam suum vidisse codicem manu exaratum, qui eundem annum Hassiæ *commendæ* ostenderit.

Epist 116 de Martino Crusio nonnulla commemorat, adfirmatque ipsum magnam suorum Annalium partem Caspari Bruschio debere, & præterquam quod Jo. Aventino diligentissime usus sit, multa quoque accepisse a Laurentio Frisæo, Consiliario, dum viveret, Vurcenburgico. Longe plura supersunt in his epistolis graviter dicta & nervose explicata, inprimis vero accurata de viris doctis (quorum plerumque nomina expuncta sunt) judicia, quæ ultro & consulto prætermittimus.

* * *

ACTORUM ERUDITORUM,

quæ Lipsiæ publicantur,

SUPPLEMENTA.

Tom. III. Sect. XII.

THE SATIRES OF DECIMUS JUNIUS JUVENAlis, translated into English Verse &c.

hoc eſt,

SATIRÆ DECIMI JUNII JUVENALIS, VERSIbus Anglicis a Drydenio aliisque præclaris ingeniis traditæ; una cum Satiris Auli Perſii Flacii ab eodem Drydenio Anglice redditis. Præfixa eſt præfatio de origine & incrementis Satiræ ad Carolum, Dorſetiæ Comitem. Auctore JO. DRYDENIO. Cum figuris æneis.

Londini apud Robert. Knaplok, 1697, in 8.
Conſtat Alphab. 1. plag. 16.

Quamvis ad plures hujus translationis gloria redundet, ac præter Joannem Drydenium, filii illius, Carolus atque Joannes, Tatius item, Bowleſius, Stepnejus, Hervejus, Congrevius, Powerus atque Creechius eandem perfecerint; merito tamen illius, quem primum nominavimus, Joannis nimirum Drydenii nomen præ reliquis expreſſum in titulo videtur. Hic enim uti inter Poetas Anglos ſummum nomen adeptus eſt, ita non modo maximam Juvenalis partem ac integrum Perſium in patrium idioma traduxit, ſed etiam operi eruditam non minus, quam prolixam præfationem præmiſit; in qua cum primo Carolum, Dorſetiæ Comitem, ob carminis gloriam & eximiam poetandi facultatem, miris laudibus evexiſſet, mox, præeuntibus plerumque Caſaubono, Heinſio, Dacierio, Rigaltio, & illo, p. 25.

illo, qui Juvenalem in usum Delphini edidit, quædam de Satira, ejusque origine, progressu atque consummatione, nec non versionis hujus ratione disserit, ex quibus sequentia produxisse sufficiat.

Principio circa originem Satiræ auctores admodum dissentire Drydenius adserit, aliis cum Heinsio atque Scaligero, eam Romanos a Græcis accepisse, aliis cum Casaubono, Dacierio, & Rigaltio, Romanos ejus inventores extitisse, adfirmantibus. Licet enim ea naturæ humanæ sit depravatio, ut dicacitas & mordendi cupido omnibus veluti insita atque innata sit, aliter tamen rem sese habere ait cum illo poematis genere, quod Satira vocatur, hominumque vitia salse ac multa acerbitate perstringit. Hoc scilicet non aliunde originem traxisse arbitratur, quam ex priscorum diebus festis, in quibus oblatis sacrificiis, reliquum temporis spatium tum apud Græcos, tum apud Romanos, faceriis jocisque variis consumptum fuerit. Quemadmodum ergo Romani dies festos celebrandi consuetudinem nequaquam a Græcis hauserint, ita nec Satiras eo tempore usitatas a Græcorum ritibus Romuli nepotes accepisse, colligere videtur; præsertim cum Romana Satira a Græca diversa plane fuerit, ac præterea non modo Quintilianus Satiram totam Romanis adscribat, sed etiam Horatius carmen Græcis intactum eandem adpellet. Rejecta igitur illorum opinione, qui Satiram a Satyris, aut eo animantium genere dictam putant, quod veteres Semideis annumerabant, Casaubonum potius secutus, ob rerum vel carminis varietatem a satura Satiram derivat, ac quomodo illa inprimis apud Romanos majora subinde incrementa ceperit, Dacierio duce exponit. Postquam nimirum Romanorum Satira primum Saturninianis ac Fescenninis versibus constitisset, quibus homines in theatris sese invicem proscindebant, ac postea, histrionibus ex Hetruria Romam vocatis, ab obscœnitatibus purgata & magis magisque expolita fuisset, tandem Livii Andronici opera, qui primus Græcorum more Romæ ludos instituit, novam induere formam visa est. Post Andronicum Ennius, operæ pretium esse arbitratus Satiras conscribere, non ut in theatris recitarentur, sed ab aliis legerentur, jocis atque facetiis, quibus prisca Romanorum Satira abundabat, haud penitus rejectis, magnam in hoc scribendi ge-

nere

nere laudem adsecutus est. Huic successerunt Pacuvius, Ennii nepos vulgo habitus, atque Lucilius, hujus imitator felicissimus, p. 42.
qui carminis elegantia reliquos anteivit ac veluti novam scribendi rationem ingressus est, quæ alios postea excitavit, ut quoque componendis Satiris animum adplicarent. Inter alios Varro doctissimus Romanorum Satiram conscripsit, ab auctore suo Varroniam deinceps adpellatam, quæ non modo diversa carminum genera, sed prosam quoque orationem comprehendebat, ac modo Latinis, modo Græcis verbis constabat; ad cujus generis Satiram, præter Varronis fragmenta paucissima maximeque corrupta, Petronii Satyricon, Luciani Dialogi quidam ejusque Historia vera, aureus Apuleji Asinus, Claudii Apotheosis a Seneca conscripta, Juliani Symposium, &, ut ex recentioribus quosdam nominemus, Erasmi Encomium Moriæ, Barclaji Euphormio, ac forsitan alia quædam aliorum scripta referri possunt. p. 43.

His omnibus latius expositis, celeberrimos Satiræ scriptores, Horatium, Juvenalem & Persium, Drydenius inter se confert, circa quorum præstantiam auctores diverso partium studio agitati maxime dissentiunt; aliis, uti Heinsio ac Dacierio, Horatium reliquis præferentibus; aliis uti J. C. Scaligero & Rigaltio, Juvenali primas partes tribuentibus; aliis denique, inter quos Casaubonus eminet, Persio palmam concedentibus. Nostrum Auctorem quod attinet, ab odio & amore ille se longissime abesse profitetur, ac ita primum de Persio judicat, ut eum Juvenali atque Horatio partim inferiorem, partim vero superiorem esse adfirmet. Ille nimirum, judice Drydenio, uti ipse Casaubonus diffiteri nequit, nec verborum puritati, nec numeri elegantiæ, studet, & dictione dura horridaque, figuris nimium turgidis, & tropis admodum coactis, utitur; dicendi genus, quod sequitur, adeo obscurum est, ut doctissimi commentatores id illustrare frustra laboraverint; ad carmen scribendum accessit, perinde uti Lucanus, adhuc juvenis, nec ea judicii maturitate instructus, quæ poetam demum solet perficere; vitia insectatur potius, quam describit, & si quas dicendi Veneres habet, non ex suo ingenio, sed Horatii scriniis, eas depromit. Uti vero hæc et alia, quæ imprimis Scaliger in Persio reprehendit, vitia satis evincunt, eum ad p. 48. p. 35.

Juvenalis atque Horatii præſtantiam minime accedere: ita econtrario his duumviris aut anteferendus, aut certe æquiparandus in multis Perſius propterea Drydenio videtur, quod & philoſophiam Stoicam, omnium optimam, tum in ſcriptis, tum in vita conſtanter expreſſerit; & virtutis ſtudium tanta cura inculcaverit, ut eum, una cum decima Juvenalis Satira, Epiſcopus Sarisberienſis in Epiſtola ſua Paſtorali cunctis Eccleſiæ Miniſtris diligenter commendaverit; & ea ſinceritate ſcribat, ex qua facile adpareat, de veritate, quam aliis inculcat, ipſi eſſe perſuaſiſſimum, ac ſingula ſerio eum agere; in quo ab Horatio longe diſtet, qui ri-
p. 57. dendo plerumque verum dicere ſoleat. Hinc Auctor Juvenalem cum Horatio comparat, & hunc quidem utilitate præſtare, atque ad formandos mores aptiſſimum eſſe, illum vero dulcedinis plurimum atque ſuavitatis habere probat. Licet enim & Horatius ſua jucunditate gaudeat, languida tamen illa quaſi Drydenio videtur, nec ita comparata, ut ficta & coacta veluti urbanitate ſua lectoris animum adficere queat. Additur, quod Juvenalis & exquiſita inventione, & ſonora dictione, & numeri ſuavitate, & majeſtate verborum, & rerum gravitate, quæ omnia ad procreandam voluptatem apta ſint, Horatium longe vincat, qui leviora ſolum vitia perſtrinxerit, & graviora omiſerit, quod ipſe illis eſſet
p. 75. immerſus. Denique Drydenius de his antiquæ Satiræ ſcriptoribus ita exiſtimat, ut iſtos quidem omnibus aliis anteponendos eſſe cenſeat, ſed Juvenali primum, Horatio ſecundum, Perſio vero tertium, locum tribuat, iſtos Virgilii verſus ex lib. V. Æneid. ſingulis eleganter adplicando:

Tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris inſignem victor habeto.
Alter Amazoniam pharetram plenamque ſagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, & teriti ſubnectit fibula gemma.
Tertius Argolico hoc clypeo contentus abito.

Quæ cum Auctor de Satiræ præcipuis ſcriptoribus diſſeruiſ-
p. 77. ſet, eam quoque breviter deſcribere, ejusque naturam explicare, æquum eſſe judicat. Allata proinde Heinſii deſcriptione, quam obſcu-

obscuram atque difficilem adpellat, eam, quod humile scribendi genus Satiræ proprium esse dicat, non nisi Horatii Satiris adplicari posse censet, qui solus submisse scribat, reprehendendus propterea potius, quam laudandus. Hinc suam ipsius de iis, quæ ad Satiram requiruntur, sententiam exponens, unicum solum thema primario in isto poemate pertractandum esse docet, exemplo Juvenalis, Persii, & ex recentioribus Boileavii, qui unum solum finem semper respicere soleant. Deinde Satiram scribenti illud videndum esse ait, ut lectores ad quandam virtutem sectandam imprimis excitentur, & adversus vitium virtuti oppositum præmuniantur; quamvis obiter & aliæ virtutes commendari, & alia vitia reprehendi, queant. Ipsum stylum multo sale temperandum esse monet; carminis genus Satiræ aptissimum illud existimat, quod Heroicum Anglis vocatur; verborum vero rerumque lusus non minus in Satira, quam in Heroico poemate, sectandos esse comprobat. Ceterum hæc ipsa Juvenalis atque Persii Anglica translatio, uti in fine præfationis Drydenius docet, ita comparata est, ut sensum potius, quam verba, exprimat, adeoque non tam eruditis, quam fœminis atque illis, scripta sit, qui latinæ linguæ ignorantia laborant. Quapropter non modo ea facilitate gaudet, ut brevissimæ notæ, quæ Satiræ cuivis annexæ sunt, indoctis quoque lectoribus sufficiant, sed illa etiam elegantia confecta est, ut, si ipse Persius & Juvenalis Anglice scripsissent, elegantius scribere haud potuissent.

CONSIDERATIONS THEOLOGIQUES ET CRITIques sur le Projet d'une nouvelle Version de la Bible de Mr. Le Cene.

h. e.

CONSIDERATIONES THEOLOGICÆ ET CRITICÆ IDEÆ, quam de nova Versione Gallica Scripturæ S. dedit Carolus le Cene, Auctore JACOBO GOUSSETIO, Professore Groningano.

Amstelodami, apud Danielem Pain, 1698. in 8.

Alph. 1. plag. 10.

Si quæ natio, nostra ætate, studio S. Biblia in vernaculam linguam transferendi eminet, laudemque inde promeretur, certe Gal-

licæ id encomii debitum, lubentes fatemur. Nam inter eos, qui Pontifici Romano adhærent, non solum Lovanienses Theologi, verum etiam Jansenistæ Portus Regii, ac Montenses, Bohoursius item ac Simon, novas nobis interpretationes Gallicas dederunt; sed ex Reformatis quoque Carolus Cenius idem tentavit, editaque A. 1696 Idea novæ Versionis (*Projet d'une nouvelle Version Françoise,*) quam in Actis A. 1697, p. 227 sq. recensuimus, institutum suum declaravit. Hujus Viri conatus admodum perniciosi visi sunt Auctori hujus libri, Jac. Goussetio, Theologo Groningano, cujus luculentos linguæ Ebraicæ Commentarios nuperrime editos propediem in Actis his nostris recensebimus. Hinc *in Præfatione*, nhil sibi esse privatæ litis cum Cenio, præmonet; ejus autem Interpretationem novam, si talis fuerit, qualem in Idea multis speciminibus promisit, periculosæ plenum opus aleæ futurum, atque Socinianis Arminianisque faventissimum, censet. Commemorat eodem loco, Cenium & in Galliis, & in Anglia, suspectum semper fuisse, & novarum ac paradoxarum opinionum amore miro agi. Hinc in ipso opere statim ad specialia se convertit. Nam *Libro I* probatum it, Cenium suis de nova interpretatione consiliis evertere ea, quæ de Christi missione & Divinitate, deque ipsa sacra Triade, hactenus Ecclesia fuerit confessa. Et *prima* quidem *Sectione* vindicat oraculum de Schilo Gen. XLIX, 10. quod Cenius cum Clerico de tribu Juda explicaverat atque enervaverat; *Sectione secunda* vaticinium Deut. XVIII, 15. 18. contra Cenium, illud cum Judæis de sacerdotibus Leviticis interpretantem, copiose defendit. Acrius instat *Sect. III*, qua adversarium in eo esse probat, ut perpessionem ac
p. 28. mortem Christi sine Dei decreto ac consilio, velut casu, factas evincat, Pajoniique errorem instillet, & cum eo providentiam omnem immediatam ac specialem Deo eripiat. Quare in dictis Act. II, 23. IV, 27. 28. a Cenio corruptis, multus est, probatque, ἔκδοτον non significare donatum, sed traditum; ὁρίζειν non esse declarare, sed determinare. Digladiatur porro cum adversario *Sect. IV.* circa vocem ילד, quam Cenius a notione gignendi ad elevationem in dignitatem detorserat, atque locum Ps. II, 7. ita explicaverat, emendicatis undique etiam ex profana eruditione argumentis, quæ illi Goussetius omnia eripit, & maximam partem ex ingenio Viri conficta esse

esse ostendit. Nec placet Nostro, quod Cenius nomen primogeniti Christo non alio sensu tribuat, quam quia excellentissimus inter res creatas sit, quodque per Filium hominis Matth. XII, 8. omnes homines intelligat. De Spiritu S. Cenium sequius sentire, *Sect. V.* indicat, qui Gen. I, 2, per Spiritum Dei, ventum vehementem intellexerit. Nostro vulgata ista exegetarum explicatio, (quando nomen Dei rebus creatis additum eorum excellentiam designare docent) parum probatur. Eam enim Kimchio auctori suo remittit, & quoties ejusmodi locutiones occurrant, toties singularem aliquam Dei circa res istas actionem, vel ad eas respectum, indicari pronunciat. Observat quoque *Sect. VI*, Cenium oracula S. Literarum de Trinitate eversum ire, dum verba Gen. III, 22. I, 26. de Angelis explicat, eosque ludibrio habet, qui formulam baptizandi in nomine Patris, Filii & Spiritus S. sollicite observent; ubi Noster de phrasi *in nomine* eleganter commentatur. *Libro II.* de operibus Dei tractat, quae a Cenio extenuari & tantum non tolli contendit. Nam *Sect. I.* illi exprobrat, quod creationem, imo omnia opera Dei externa, per Angelos facta, cap. XV. libelli sui Artic. 21. docuerit, & *Sect. II.* eundem in doctrina de praedestinatione Arminianum agere monet. Inde *Sect. III.* Cenio Electionem neganti se opponit, probatque, ἐκλέγειν plus esse, quam amare, εὐδοκίαν indicare beneplacitum absolutum, dicta Eph. I, 4. 5. Matth. XI, 25. 26. Luc. XII, 32. Phil. II, 13. Joh. XV, 16. 19. 1 Cor. I, 27. sqq. Rom. XI, 5, a Cenio depravari: agit etiam fusius de libro vitae, & dicta Ps. LXIX, 29. Es. IV, 3. Luc. X, 17. 20. interpretatur. De Reprobatione & decretis a concursu Dei circa malum, ex hypothesi Sublapsariorum prolixius disputat *Sect. IV. V. VI.* cui doctrinae valde se inimicum Cenius ostenderit. Noster oracula 1 Pet. II, 8. Ezech. XIV, 9. 1 Sam. II, 25. XII, 11. 2 Sam. XXIV, 1. Exod. IX, 16. Rom. IX, 17. 13. 1 Reg. XXII, 23. Es. VI, 10. Deut. XXIX, 4. ab illo inquinari probat. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ admonet, falso affirmari, quod כִּי interdum *igitur*, *idcirco*, significet, multisque argumentis probat, eos hallucinari, qui τὸ *odisse* in sacris literis nonnunquam per *minus amare* explicant. Continuat Auctor noster elenchum suum *Libro III*, quo Cenium Pelagianismi arguit, talemque daturum interpretationem Biblicam auguratur, quae homini in salutis negotio ferme omnia tribuat. Igitur *Sect. I.* conqueritur, quod Cenius loca de hominis corruptissimo statu agen-

p. 90.

p. 115. seq.

p. 204.

p. 225. seq.

tia

tia elumbia faciat, & contra eundem defendit, vocem *Adam* non significare homines plebejos, nec *posse* pro *velle* in sacro Codice sumi, aut particulas *propemodum* vel *solum* in dicta de hominis corruptione inserenda esse: qua occasione oracula Gen. VI, 5. Rom. IX, 16. vindicantur. Consimiliter male habet Goussetium *Sect. II*, quod novus interpres peccata passim emolliat, & pro *inutili* Matth. XII, 36. ponat *perniciosum*, pro peccatore flagitiosum. Reprehendit quoque eundem *Sect. III*, quod pœnas peccatorum enervet, & *Sect. IV*, quod officium Christiani extenuet, denique *Sect. V*, quod meritum bonorum operum stabiliat: ubi peculiarem Auctoris hermeniam notamus, qui cum alias receptas Reformatorum explicationes utplurimum amplectatur, tamen per servum ἀχρεῖον Luc. XIV, 34. intelligit talem, qui non meretur, ut gratias illi dominus agat, ejusque servitia in beneficii loco habeat, quod Cenius reddiderat per mancipium humile & abjectum. Nec desunt aliæ conquerendi occasiones *Lib. IV*, quod videlicet Cenius spiritualia maximam partem in terrestria transformet, τὸ *creare* in regenerationis negotio metaphorice explicet, unctionem pro nuda elevatione in dignitatem aliquam habeat, & per aquas a ventre fidelium currentes Joh. VII, 38. fertilitatem terræ intelligat, qui locus *Sect. I.* studiosa analysi explicatur. Similiter *Sect. II. & III.* quæ contra perseverantiam sanctorum & satisfactionem Christi hinc inde Cenius mutaverat, refellit, & dicta 2 Cor. V, 21. Gal. III, 13. Heb. XI, 24. melius explicanda esse evincit, simulque in eos, qui licentiam textum sacrum transponendi & loca parallela fingendi sibi sumunt, invehitur. Denique *Lib. V*, quæ residua erant, conjunctim proponit. Nam Cenium castigat, quod Paulum Petri discipulum fuisse ex Gal. I, 18. doceat: quod τὸ *ire in proprium locum* Act. I, 25. non de Juda, sed de Matthia, explicet, adeoque non leve argumentum pro animæ immortalitate labefactet: quod cum Beckero Diabolum ex variis Scripturæ locis, præsertim Marc. IX, 29. Eph. III, 10 eliminet: quod 1 Cor. X, 4. contra Reformatorum mentem interpretetur: quod oraculum Rom. V, 12-18. frigide tractet, itaque torqueat, ut doctrina de peccato originis detrimentum grave patiatur: quod nomina Dei leviter habeat, speciatim *Elohim* judicem denotare, & sic transferendum esse affirmet. Hac data occasione comma,

ma, Rom. V, 13. non simpliciter proponi, sed objectionem a Paulo factam esse observat, multisque hoc pacto difficultatibus occurrit. De cetero passim Cenii temeritatem incusat, quod Graecis Hebraicisque vocibus ex ingenio significationes affingat, atque e. gr. *ἄερα* semper *tenebras*, *ἐξελθεῖν augeri*, *evehi*, indicare, tanquam pro comperto pronunciet. Pollicetur alterum volumen, quo reliquos Cenii errores articulos fidei non evertentes (nam ad hos solum in priori hac parte respiciendum duxit) sub censuram vocabit.

JOANNIS JENSII LECTIONES LUCIANEÆ. Accedit ad J. G. GRÆVIUM, V. Cl. super aliquot Diodori Siculi locis epistola.

Hagæ Comitis, excudebat M. Vitwerf, 1699, in 8.
Constat Alphab. 2, plag. 11.

Cum variis mendis depravatum, nec satis hucusque explanatum Lucianum deprehenderet, qui hactenus in Dordracena & Hagensi scholis cum laude docuit, clarissimus Jo. Jensius, non potuit sibi temperare, quin ipsi quoque scriptori elegantissimo lucem accenderet, maleque adfecto præsto esset, & quoad fieri posset, mederetur. Quod eo magis congruum aptumque judicavit, quo diligentiori cura se Lucianum & Aristophanem legisse, & dicendi genus, orationisque usurpatæ indolem & omnes differentias cognovisse ait. Peregit igitur incepta, rationibusque a vulgo quam maxime abductis exæquare accuratos interpretes, atque optime de Luciano mereri studuit. Conqueritur tamen, MStis codicibus plane se destitutum fuisse, atque adeo nonnisi antiquissimas nonnullas editiones in auxilium vocare & conferre potuisse. Ex his magnopere laudat, quam evolvendam explorandamque sibi amplissimus Joannes a Witt dederit, Florentinam editionem multa rectius exhibentem, & proinde Aldina, quam hodiernæ plerumque sequantur, magis perpurgatam emendatamque. Ita vero destinata sua persequutus est, ut totum Lucianum perlegerit, & ubi res exigebat, limam adhibere, atque adeo plenius & cum cura expolire eum annisus fuerit. Quas observationes suas paginis editionis Salmuriensis respondentes tribus libris inclusit, & *Lectionum Lucianearum* nomine aliquot

hinc annis evulgavit. Neque tamen non & alia præterea hic repe- riuntur, quæ humanitatis studiosos oblectare & capere possunt. Nam non solum loca inquinata, quod jam monuimus, restituit, & sermonis genium præceptis exemplisque adductis exposuit, sed Latinæ quoque & Græcæ linguæ convenientiam demonstravit. Et quod ad utriusque orationis convenientiam attinet, aliquot ejus specimina pag 271 seq. adfert, probatque a Græcis, Luciano maxime, & Latinis eodem sensu dici *ἅμαξαι βλασφημιῶν*, *plaustra convitiorum*, *κακῶς ἀκούειν*, *male audire*, *μόνον οὐκ* vel Attice *μονονουχὶ*, *tantum non* pro *fere*, *ἀμέτρητον ὅσον*, *immensum quantum*, *οὐδὲν εἶναι πρός τι*, *nihil esse ad hoc*, sicut quod Lucianus in Hermotimo dicat, *οὐδέν ἐστι ταῦτα πρὸς τὸν ἐν τῇ ἀρετῇ βίον*, Latini vertant, *nihil ista sunt ad vitam, quæ in virtute degitur*. Eodem modo constituta esse *μένειν* & *ὑπομένειν*, *manere* pro *expectare*, sicut iisdem verbis Græci exprimant, quod Latini dicant, *manet ipsum pœna*; *εὖ* vel *καλῶς ἔχει*, *bene habet*; *πρῶτα, δεύτερα φέρεσθαι primas, secundas ferre*; *πρεσβύτερα τὰ τοῦ θεοῦ ποιεῖσθαι*, *res divinas antiquiores*, id est, potiores, *ducere*; *μίαν καὶ τὴν αὐτὴν εἶναι*, *unam eandemque esse*; *ἔκ τινος νεκρὸς*, *ex aliqua re*, v. g. ex vulnere *mortuus*, & plura alia studiose hic congesta. Quo pertinere videtur, quod pag. 392 de Æschyli loco in Prometheo versu 396, ubi hodie vulgatum legimus:

> Λευρὸν γὰρ οἶμον αἰθέρος ψαύει πτεροῖς
> Τετρασκελὴς οἰωνός.

præcipit. Existimat quippe pro *ψαύει* satis apte (licet in nonnullis MStis, teste Scholiaste, *ψαίρει* scriptum olim fuerit) legi posse *ψαίει*, atque adeo *ψαίειν οἶμον* plane ceu apud Latinos *radere iter* dici. Qua occasione Luciani locum in Tragopodagra vers. 22, qui in editione Salmuriensi & Amstelodamensi ita,

> Ἀλλὰ λιγὺ ψάλλει κείνα περὶ δέμας Πόθεις

in Florentina vero, Aldina & Basileensi in 8, anni 1545, & Parisiaca Bourdelotii hoc modo, & quidem ex sententia Jensii paulo rectius, licet ob violatas metri leges nondum prorsus emendate, exhibetur,

> Ἀλλὰ λιγὺ ψαίρει κείνα περὶ δέρμα πίτυς,

ista ratione sanari & restitui posse censet:

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ λιγὺ ψαίρει κείνου περὶ δέρμα πίτυϊ;

ut sensus sit, pellem Marsyæ in pinu suspensam, & tempore siccatam, unaque cum ramis vento motatam quasi sibilum edidisse: Apollodorum quippe, Philostratum & alios de antiquis tradere, eos Marsyam ex arbore pinu suspensum & excoriatum finxisse. Λιγὺ ψαίρειν vero per *tenuem sibilum edere*, apte omnino explicari posse. Tum vero etiam voces non ubivis obvias diligenter adnotavit & enucleavit, imo peculiarem pag. 309 seqq. vocum Lucianearum plurimarum, quæ in Thesauro Stephani non comparent, indicem texuit. Nec suscepit non de variis Græcanicæ eruditionis capitibus cum viris doctis disputationes, quas inter illa notari meretur, quam cum clarissimo viro, Richardo Bentlejo, pag. 167 iniit. Negaverat quippe Bentlejus, diphthongos αι & οι sequente consona corripi debere; quam proinde sententiam oppugnare, simulque ea, quæ jam ante de hac re contra nonneminem dixerat, fulcire denuo & corroborare allaborat doctissimus Jensius. De Scholiis vero super Luciano Græcis, ex Bibliotheca Is. Vossii a Jo. Clerico editis, pag. 6 pronunciat, eorum auctorém Thoma Magistro recentiorem esse, cum Thomæ istius verba, quæ hodie in voce αὐθέκαστος exstent, in scholiis ad Luciani Phalarin citentur. Lectionibus his Lucianeis subnectitur Cl. Jensii epistola ad celeberrimum Virum Jo. Georgium Grævium, ubi aliquot Diodori Siculi loca rimatur & exquirit. Unicum ex istis commentationibus speciminis loco adferemus, & quidem illud maxime, quod de Diodori loco lib. IV, cap. 3, pag. 148 edit. Steph. anni 1559 disserit, & contra Palmerium longe aliter statuentem tuetur. Asseruerat quippe Palmerius, tradi in isto loco a Diodoro, veteribus primo loco inter cœnandum sumtum fuisse dilutum, deinde meracum. Sed aliam explanandi viam Noster ingreditur, & ex verbis Diodori solerter & cum cura introspectis conficit, veteres inter cœnandum (ita enim intelligit verba hæc ἐπὶ τῶν δείπνων, non ut Palmerius videtur intellexisse, *initio cœnæ*) sibi invicem propinasse vinum meracum, idque poculum Ἀγαθοῦ Δαίμονος appellasse; finita vero cœna, discessuris jamjam convivis, propinatum fuisse dilutum, vocatum Διὸς Σωτῆρος; idque fecisse ideo ut τὸ μανιῶδες καὶ ἡ τῶν φρενῶν παράλυσις, quæ accidisset per meracum, temperaretur & διορθῶται diluto; ideoque illud po-

 culum

culum dixiſſe Διὸς Σωτῆρος, quod quaſi eos defenderet a periculo, cæteroquin ipſis diſcedentibus & multo meraco calentibus imminenti. Reliqua ipſis lectoribus cognoſcenda relinquimus. Tres ſub finem comparent indices. Primus ſcriptores vel illuſtratos, vel notatos; alter voces & dictiones Græcas; tertius rerum ſumma capita juſto ordine digeſta exhibet.

RELATION CURIEUSE ET NOUVELLE DE Moſcovie.

Id eſt

CURIOSA ET NOVA DE MOSCOVIA Relatio.

Hagæ Com. apud Meyndert Uytwerf, 1699, 12. plag. 10.

Ex quo tempore Ruſſis Europam reliquam, inque Europa noſtram etiam Germaniam frequentius inviſere, atque ipſi Magno eorum Duci nuper ad nos placuit commeare; quicquid ad regionis illius populique indolem deſcribendam facere viſum eſt, avide cumprimis excipi evolvique cœpit. Inde nec jam Lectori ingratum quid facturos nos arbitramur, ſi de præſenti libello quædam, & quale Autoris ejus inſtitutum ſit, exponamus. Gallus ille natione, & a Marchione Bethunio, cum Legatum ageret hic apud Polonos, a. 1689 in Ruſſiam miſſus, quæ ab a. 1682 ad a. 1689 rerum in ea facies, quique graviſſimi motus in Imperio excitati fuerint, exponendum ſibi ſtatuit. Diviſa narratione in diverſas particulas, ipſum iter ſuum primum, inde notabilem commutationem, quæ a. 1682 Theodori Magni Ducis mortem conſecuta eſt, commemorat, quando
p. 37. ſeq. Sophia ſoror Theodori, ambitioſiſſima fœmina & quædam quaſi Ruſſorum Tanaquil, regnum ad ſe rapere cogitans, excitatis in vindictam mortis ejus Prætorianis militibus, quos Strelizen vocant,
p. 48. ſ. cum Covanskio, qui illis præerat, primum fecit, poſtea vero quam hunc ipſum ad imperium graſſari, atque filio ſuo Catharinam, regiam Principem ſuamque ſororem, uxorem deſtinare vidit, Galiſchinii uſa conſiliis, quem & Magnum Cancellarium & Regni Adminiſtratorem conſtituerat, Covanskium occidi curavit, amovere Petrum fra-

fratrem minorem meditans, ut ob imbecillitatem mentis majoris natu fratris Johannis, penes se esset universi imperii cura. Iste Galischinius Princeps dicitur fuisse singularis prudentiæ, comitatisque miræ erga exteros, cultu magnificus insuper, Latinique sermonis cumprimis gnarus; qui, quod non tam natalium, quam meritorum, rationem habiturus, præcipuis officiis ultimæ quoque caveæ homines admoveret, Bojarorum invidiam concitavit non vulgarem: quorum etiam suffragiis, cum a. 1687 ex pacto cum Polonis inito, Tartaris Crimeis bellum esset inferendum, ut honesto ita titulo abs aula abduceretur, indignante quamvis Sophia, exercitui omni supremus Imperator datus est. Ista vero expeditio, uti pergit Autor, parum fuit auspicata, siquidem gravissimo Solis æstu longe lateque adustis campis, cum commeatus deesset 400000 hominum exercitui, irrito conatu a fluvio Samare, ad quem processerant, regredi omnes oportuit; qua occasione ut Johannes Samuel Errich, qui Russicis Cosaccis præerat, (Hettemann ipsi dicunt) Galischinii criminationibus in odium adductus apud Russos, inque Siberiam inde ablegatus, & ipsi in isto munere Mazeppa Pistarz, i. e. Status Secretarius, suffectus fuerit, explicatur. Redux in patriam Galischinius consilium dedit, ut ad fines regionis urbs strueretur, in qua commeatus tanto exercitui necessarius posset servari, quod factum, urbique ad fluvium Samare erectæ Novobrogodillæ nomen inditum, sed nec ideo tamen altera expeditio felicior fuit, quæ A. 1689 adversus eosdem Tartaros est suscepta; siquidem Galischinius, qui longius hoc anno progressus fuerat, & jam ipsi Precopiæ imminebat, atque castris non procul ab urbe positis non parvum terrorem Tartaris injecerat, cum horum quidam cum Russici exercitus milite sermonem habuisset, atque fieri posse dixisset, ut Princeps Tartariæ, quem Chamum dicunt, pacem faceret, istius monitu motus exercitum reduxit ab urbe, & elusus deinde a Legato Tartarico, moras identidem nectente, & de pacis conditionibus sui Principis responsa expectare se simulante, domum remeavit infecta re, missis antea nunciis ad Polonos, in quorum gratiam illud bellum erat susceptum, inque ipsam Russiam, de profligatis & ad internecionem cæsis Tartarorum copiis, quibuscum tamen vix una velitaris pugna commissa fuerat. Cum vero Sophia inter hæc minui suam autoritatem, neque suæ voluntati

p. 55 s.
p. 67 s.
p. 76.
p. 84.
p. 103 s.

a Petro fratre annui videret, de tollendo hoc e medio consilia iniit, usura militum Prætorianorum manibus, & Galischinii, cui rem
p. 13. comunicaverat, solertia. Isti autem nefandi conatus statim innotuerunt Petro, duorum militum indicio, qui conscientiæ agitati stimulis ad locum, ubi Magnus Dux tum commorabatur, Obrogensko dictum, advolarunt, & omnes machinationes detexerunt, quo facto ipse Petrus in monasterium S. Trinitatis semet contulit, & vocatis ad se Senatoribus Nobilibusq;, percussores, quorum antesignanus erat quidam Theodor. Thekelavitan, occidi jussit, ipsam vero sororem in cœnobium, & Galischinium in Siberiam secedere man-
p. 151. davit; quod prolixius Noster & ipsius deinde Sophiæ indolem describit, quæ deformi & crasso corpore ac facie non minus turpi, ingenio tamen fuit astuto ad fraudem & magnorum moliminum capaci, quodq; in Macchiavelli schola videri possit nutritum. Ea, quod porro addit Autor, Galischinium prorsus in suas partes pertraxerat, quippe qui consilio prudentiaque omnes ad unum Russos supe-
p. 158. rabat, profundique erat ingenii Princeps, ex quo ipsa etiam liberos peperisse fertur, quamvis frustra laborarit, ut ejecta in monasterium
p. 164. propria conjuge, secum iniret matrimonium. Idem tamen cædem Petri fertur dissuasisse, & consilium subministrasse de conjuge potius Johanni Magno Duci adducenda, ex qua, vel adjutore quovis alio, liberos gigneret, & detrudendo tum in monasterium Petro; at vero cum infantem quidem illa, & Itali cujusdam Chirurgi ope, sed sequioris sexus suscepisset, & sentientes quid ageretur, qui Petro favebant, eidem etiam uxorem quærerent, quæ filium primo partu enixa est, vana extiterunt Sophiæ & Galischinii destinata, qui ipse etiam spe de filio suo in thronum evehendo, quam clam fovebat, excidit, & paulo post cum exercitu in Tartariam missus est. Laudat
p. 175. iterum Galischinium Autor tanquam virum salutis populi cupidissimum, qui de literarum cultura, qua deinceps feri gentis animi mitigarentur, & de nobilibus peregre mittendis solerter cogitaverit, ædificiis auxerit urbem, quorum, dum Status Ministrum egit, supra 1000 ex lapidibus erecta sunt, ac insuper & fluvium Moscuam ponte junxerit lapideo, qui unicus est istius materiæ in universo regno, tum vero & ebrietatis, quod commune est Russorum vitium, osor, blande humaniterque sit versatus cum exteris, & quæ sunt alia.

alia. Quando mores describit incolarum, tres familias omnium illustrissimas laudat, Principum scilicet Sirkache, Galischin, & Harthemonovich; meminit & Patriarchæ eo tempore mortui, p. 194. qui nullis aliis meritis, præterquam barbæ suæ magnitudine ad illam dignitatem ascenderit, & Evangeliorum libris singulare statui precium memorat, vidisseque se addit, quorum unus 25 aut 30000 p. 196. uncialibus sit æstimatus. Tandem & subjungit, quo consilio Spatarum quendam Valachum ad Sinenses miserit Galischinius, & quo p. 219. studio modum invenire laboraverit, ut terrestri itinere ad illam gentem commode posset iri, qui tamen conatus, cum Galischinius Principis sui gratia jam excidisset, Batavorum & dehortationibus in ventos fertur abiisse.

NOUVELLEES OEUVRES MELE'ES DE MR. DE SAINT-EVREMONT.

OPUSCULA NOVA MISCELLANEA CAROLI SANCT-EVREMONTII.

Parisiis apud viduam Claudii Barbini, 1700, 8.
1. Alph. plag. 8.

Quæ aliquot abhinc annis prodiere opuscula miscellanea Sanct-Evremonii, politissimi eloquentissimiq; Equitis Gallici, magno multorum applausu excepta sunt; quæ res editorem permovit, ut ramenta scriptorum Evremonianorum undique conquireret, & in volumine hoc publicaret. Hic in Præfatione commemorat, Criticum quendam virgula nuper censoria Sanct-Evremonii stylum notasse, cui ipsis Herois sui verbis respondet, multa illi scripta attribui, quorum auctorem se diffiteatur; quæ autem genuina sunt, a quinquaginta jam annis constanter omnibus placuisse. In hoc libro autem continentur maximam partem Epistolæ, præsertim ad Lionnium Comitem scriptæ, & Poemata, atque Axiomata moralia: non desunt tamen, quæ ex elegantiis his excerpantur, solidiora. Sic v. gr. scita delineatio Heroicæ mentis Turennii, cum observationibus ejus fata concernentibus habetur p. 5. seqq. Vitia carminum & dramatum Phil. Quinalti, celebris apud Gallos Poetæ Dramatici, præsertim frigidæ ejus & obtusæ argutiæ, p. 21 seq. ingeniose reprehenduntur. De axiomatibus moralibus Ducis Rupifaucaltii differitur

p. 56 seqq. inter quæ sequentia præ ceteris Auctor laudat: intellectum a voluntate nostra plerumque decipi, & pigritiam omnes affectus extirpare, cujus laudes p. 59 deprædicat. Scitum est judicium Auctoris de Salustio & Tacito p. 121, priorem omnia naturæ & temperamento hominum adscribere, atque in eo describendo totum esse; posteriorem ubivis artes politicas quærere, iisque eventus rerum tribuere. Vita Hugonis Lionnii, supremi Status administri apud Ludovicum XIV, p. 181 seqq describitur. Hic Gratianopoli A. 1611 natus, apud Servientium avunculum rebus gerendis adsuevit, hinc Richelio & Mazarino innotuit, Secretarium Legationis Gallicæ in Pacificatione Monasteriensi egit, Regis nomine litem inter Urbanum VIII Papam & Ducem Parmensem composuit, Consilio Status A. 1643 admotus fuit, atque A. 1646 secretis negotiis Reginæ imperantis præfectus. Hinc Præfectus Ordinum Equestrium Regiorum, & Legatus Regius ad Principes Italos & Cardinales, in electione Alexandri VII Pontificis occupatus, ad Hispanos pacis sanciendæ causa; ad Germanos elegendi Imperatoris gratia; quæ ipsi res tantæ gloriæ fuit, ut in album Francofurtensis Reipublicæ sequentia de se consignaret: *intra triennium a Rege Christianissimo præfectus, Romae, Madriti, Francofurti, creationi summi Pontificis, unicus pacis arbiter, electioni Imperatoris*. A. 1659 Administer Status creatus est, non tantum non indignante Mazarino, ut potius moriens eum Regi plenissime commendaret. Ejus cura consilioque Hispanus Gallo proedriam cessit, Corsi Romæ puniti sunt, paces & fœdera quamplurima sancita. Obiit Parisiis A. 1671. De Plutarcho & Seneca censet Sanct-Evremontius p. 223, 224, illum serios potius lectores facere, quam tranquillos; hunc austeritatem potius, quam constantiam docere. Reliqua Lectoris diligentiæ permittimus.

ANNALIUM POLONIÆ CLIMACTER TERTIUS, ad punctum abdicationis Joannis Casimiri Regis, per Regnum Poloniæ res gestas inclusive continens, scriptore VESPASIANO à KOCHOW KOCHOWSKI.

Cracoviæ, ex officina Francisci Cesary, 1698, fol.
Constat 1 Alph. 20. plag.

Cli-

CLimacteres priores duos Annalium horum secundo Supplementorum tomo, sectione VII, p. 351 recensuimus, sed breviter, indicatis summis rerum, quæ in Polonia intra annos quatuordecim proximos ab excessu Uladislai IV gestæ fuerunt, capitibus. Tertium ergo, qui ante paucos annos prodiit, Climacterem tanto magis æquum est ut silentio non prætereamus, quod Potentissimo Saxoniæ Electori, eidemque Poloniarum hodierno Regi, Domino nostro longe Clementissimo, dedicatum deprehendimus. Sed insistemus pristinæ methodo, & septem annorum, qui ab anno 1662 ad abdicationem usque Joannis Casimiri Regis fluxerunt, summam recensione non prolixa complectemur.

Universum vero illud septennium inter civiles Polonorum dissensiones fere transactum est, quæ postquam ab externis bellis liberata utcunque (nam cum Moschis nondum convenerat) Polonia esset, invaluere. A. 1662. Hinc enim Regni exercitus ob non soluta stipendia tumultuabatur, & Confœderatione, seu ut vocabant, Sacro Nexu inter se constituto, in Regia inprimis & Cleri bona grassabatur: inde & Aula Regnique Proceres scindebantur in partes, quod quidam improli Regi Johanni Casimiro designandum mature successorem censerent, & Regina inprimis Ludovica Maria, imo & Rex ipse, qui obnoxius Conjugi erat, omni studio anniterentur, ut Principi e Regia Galliæ Domo aditus ad thronum pararetur; quæ consilia, quod ad liberam novi Regis electionem enervandam spectare viderentur, Magnatum & Nobilitatis pars maxima damnabat & execrabatur. A. 1663. Et militum quidem Polonorum seditio, cum excommunicationis a Primate Regni Leszczynio jam indictæ metu animi utcunque mitigati essent, post difficillimos eam in rem labores a viris publici boni & quietis amantibus impensos, composita tandem sic fuit, ut Nexus Primores Regem Regnique Senatum deprecarentur solverentque Confœderationem, exercitui vero parata partim pecunia, partim ipsis Reipublicæ clenodiis seu insignibus oppignoratis satisfieret. Ast Aulæ dissidia non tam facile conquiescere, etsi publicis Regni Comitiis propositio de eligendo Regis adhuc superstitis successore rejecta jam solenniter fuisset. Nam & Regina non desiit institutum per mille artes prosequi, certe constanter illi insistere fuit credita: & non defuere ex cordatioribus,

qui magno illi animo obniterentur, quos inter maximæ auctoritatis Georgius Lubomirskius erat, ſupremus Regni Mareſchallus, idemque exercituum Dux Campeſtris. Atque hæc præcipua Regis & Reginæ in Lubomirskium odii cauſa creditur, etſi plures Kochowkius cumulat, huc non tranſcribendas, legendas tamen apud Auctorem ipſum iis, qui tricarum Aulæ experti ſunt aut noſcendarum cupidi. Interceſſit Regis adverſus Moſchos in Ukray-
A.1664. nam & Moſchuam ipſam expeditio, auxiliantibus ſpe prædæ Scythis, & licet ſublecta fide, Coſaccis etiam, ſed cui Mareſchallus inclinatæ valetudinis prætextu uſus non interfuit; qua poſt rem varia, ut fieri ſolet, fortuna geſtam peracta, indictisque mox poſt reditum Comitiis, tum vero ira Regis in Lubomirskium palam detonuit, perduellionis accuſatum, & poſtquam humillima deprecatione omnique ratione alia placare Regem nequicquam anniſus eſſet, cauſa tumultuarie & contra Regni leges tractata, Rege ipſomet judicio præſidente, damnatum: qui ut tum quidem majori vi cederet, Vratislavium ſeceſſit, honorifice tanquam S. R. Imperii Princeps (qua dignitate patrem ejus Stanislaum Lubomirskium, Palatinum Cracovienſem, Ferdinandus III Imperator decoraverat) & quidem ſpectatæ in Domum Auſtriacam fidei, exceptus. Ita natum civile in Polonia bellum, cum non deeſſent e Nobilitate, qui ſeu ſortem tanti Viri miſerati, ſeu indignati iniquius cum eo actum, Lubomirskio, haud obſcure faverent, & ipſe partem exercitus in Nexum denuo ſociatam facili negotio ſibi conciliaſſet. Itaque ſpe omni mitigandi Regis præciſa, innocentiam ſuam publi-
A.1665. cis ſcriptis teſtatus rediit in Poloniam, cornuaque obvertit Regi, ſuffultus inſuper a Majoris Poloniæ Nobilitate, quæ propria auctoritate Regeque ægre ferente ſub ſigna convolaverat, de variis conqueſta, & in partes Lubomirskii inclinare publice credita. Jamque ad Czeſtochoviam conſerta tumultuaria pugna, Regii a Lubomirskianis ſuperati fuerant, iterumque apud Palczynum adverſæ acies conſiſtebant, ſpectabatque res ad decretorium prælium, cum Mediatorum interventu arma utrinque ſuſpenſa fuere, his legibus, ut in generalibus Ordinum Comitiis a Rege proxime indicendis de reſtitutione Lubomirskii, amneſtia Nexui firmanda, aliisque conſtitueretur, Lubomirskius interim Regem ſub tentorio de-

deprecatus extra fines Regni secederet, ac pacate expectaret Comitiorum finem. Sed hæc malacia erat in graviorem tempestatem eruptura, animis utrinque ita exulceratis, ut bona fide coalescere tam facile non possent. Recruduit itaque bellum, hinc præter partem exercitus Regi obnoxiam, Lithuanis & Cosaccis Regem, inde Nexu & maxima Nobilitatis Polonicæ parte Lubomirskium propugnantibus, commissumque tandem ad Montwy justum prælium, A. 1666. quo postquam aliquandiu collatis signis dimicatum esset, Regii tandem atroci ac miseranda clade affecti fuere, sed quam mox pax firmior consecuta est. Nam tantum abest, ut abuti victoria Lubomirskius sustinuerit, ut potius non dubitaverit denuo Regem deprecari; tametsi Aulæ diffisus, e qua hæc forte vox emanaverat, *haud prudentis venatoris esse, implicitam retibus feram emittere, ut iteram capiatur quærendam*, mox festinatis itineribus in Silesiam abiit, sub initium anni 1667 Vratislaviæ ex apoplexia defunctus. Vicissim Rex, ut ex civilibus turbis eluctaretur, indulsit adversariis, quæcunque salva Majestate posset, non amnestia tantum promulgata, sed &, cum formido novi ex Gallia Regis, & ne libera electio labefactaretur, depelli plerorumque animis alia ratione non posset, rescripto publicato, quo electionis libertati abunde cavebatur. Ita sopitis intestinis turbis, non tamen ærumnarum finis erat. Nam & a Turcis imminebat bellum, eorumque velut præcursores Scythæ ac Cosacci Polonicum ad Batohum in Ukrayna exercitum tantum non ad internecionem ceciderunt, ipso ductore Machovio in Tauricam Chersonesum abducto: & quod acerbissimum Regi accidebat, Ludovica Maria Regina quarto Calendas Maji A. 1667 e vivis excessit. Tametsi vero, postquam supremum exercitus A. 1667. regimen Joanni Sobieskio Regni Mareschallo commissa esset, lætior rerum facies affulgeret (nam jam ad Podhaicios Scytharum & Cosaccorum sub Dorozenkio vim feliciter is repulerat; alia etiam Cosaccorum manus Regi fida, dum Scythæ absunt, in ipsam Tauricam irruperat, regione late devastata; denique pax etiam cum Scythis primum, inde & cum Cosaccis coaluerat) nihilominus Rex post tot calamitates curarum fessus, & suavissima conjuge orbus, ut quod vitæ reliquum erat, in quiete transigeret, de abdicando regimine consilium cepit, nec ab eo vel a Romano Pontifice Clemen-

te IX, vel ab Imperatore Leopoldo, vel a Galliæ Rege dimoveri se passus, Senatu etiam frustra abdicationem deprecante. Comitia denique eam in rem indixit, & tametsi Equestris etiam Ordo per supplices preces retinere Regem niteretur, Regni coronam deposuit; tabulis seu diplomatibus geminis eo nomine confectis, quorum altero Joannes Casimirus ab obedientia & juramento fidelitatis subditos absolvebat, altero Regni Ordines abdicationem ratam habebant.

HISTOIRE DE L'ETABLISSEMENT des Ordres Religieux &c.

i. e.

HISTORIA INSTITUTIONIS ORDINUM RELIgiosorum, auctore HERMANTIO.

Rothomagi apud Jo. Bapt. Besongne, 1697, in 8. Constat 1 Alph. 20 plag.

Constitutum Auctori est, vitas potissimum eorum, qui religiosos Ordines instituerunt, describere, eaque occasione totum corpus istorum Ordinum succincte recensere, eorum autem origines cumprimis indagare. Hinc postquam originem religiosarum congregationum Christo & Apostolis adscripserat, cap. I; Cœnobitas Eremitis prætulerat, cap. II; deque habitu istorum & vivendi genere cap. III egerat, quod simplex & frugale fuit: sequentibus LXXVIII capitibus de singularibus Ordinibus & eorum auctoribus agit. Videas hic vitas & facta Pauli Eremitæ & Antonii, Pachomii Cœnobitarum Patriarchæ, Basilii & ejus Ordinis, Augustini Canonicorum Regularium auctoris, Benedicti, a quo Benedictini, Columbani, Chrodegandi, a quo Canonici in Occidente, Romualdi, a quo Camaldulenses, Jo. Gualberti, a quo Vallumbrenses, Stephani Mureti, a quo Grandimontenses, Brunonis, a quo Carthusiani, Bernhardi Cistercienfium restauratoris, Norberti, a quo Præmonstratenses, Guillelmi, a quo Ordo Montis B. Virginis, Francisci ab Assisio, Humilianæ a Cerchis Tertiariorum fundatricis, Dominici, Sylvestri Guzolini, a quo Sylvestrini, Brigittæ, a qua Ordo S. Salvatoris, Francisci a Paula, a quo Minimi, Franc. Xime-

Ximenii, Hieronymi Æmiliani, a quo Somascii, Ignatii Lojolæ, Theresiæ Carmelitarum restauratricis, Joannis de Deo, a quo Ordo Charitatis, Philippi Nerii, Joh. Barrerii, Caroli Borromæi, Petri Furrerii, Franc. Salesii, Petri Berulli, Vincentii de Paulo, Jo. Antonii le Vachet, Joannis Eudes, Armandi Jo. Buthillerii Abbatis Trappii, & aliorum. Inter alia memoratu digna recensentur ab Auctore novæ congregationes religiosæ seculis XVI & XVII institutæ, nec in vulgus notæ; quales sunt Ordo Somasciorum, educandorum orphanorum gratia ab Hieronymo Æmiliani institutus, & A. 1540 confirmatus: Congregatio Barnabitarum, informandæ juventutis causa a tribus Presbyteris Mediolanensibus fundata, & A. 1535 confirmata: Clerici Doctrinæ Christianæ, auctore Cæsare Busio, catechisationis curam penitiorem habentes: Ordo Charitatis, a Jo. de Deo Lusitano ortus, ægrotos singularibus beneficiis excipiens. confirmante A. 1617 Paulo V: Patres beatæ mortis, a Camillo de Lelis producti, agonizantibus sua auxilia offerentes, Gregorio XIV A. 1591 privilegium concedente: Presbyteri oblati, quos Carolus Borromæus, levandi muneris Episcopalis causa, ut visitarent, & emendationem morum promoverent, Mediolani genuit: Congregatio B. Virginis, parente Petro Furrerio, informationi virginum adolescentium dicata: Religiosæ Visitationis Mariæ a Franc. de Sales & Chantalia institutæ: Congregatio Missionis, cui Vincentius a Paulo, ut Hugonotas ad Ecclesiam Romanam reducerent, originem dedit: Virgines Unionis Christianæ, sive novæ Catholicæ, a Jo. Anton. Vacheto, educandarum puellarum, & fœminarum sacris Calvinianis litantium reducendarum gratia fundatæ: Congregatio Jesu & Mariæ, institutore Jo. Eudes, quæ formandis bonis sacerdotibus operam dat: Virgines scholarum Christianarum, a Nicolao Barræo informationi puellarum destinatæ: Congregatio S. Cyri, a Ludovico XIV & Maintenonia eodem consilio, sed ad solas nobiles pertinente, stabilita. Nec desunt singularia plurima notatu digniora. Sic p. 80 origo Augustinianorum Alexandro IV Pontifici adscribitur, qui diversa Eremitarum collegia, Lanfranco Septalio adjuvante colligaverit, & Augustini regulam ipsis tradiderit. Cum initio cœnobia singula a suis Episcopis dependerent, legimus p. 122, Cluniacensi cœnobio primo omnium

tanquam capiti Ordinis, plura subjecta fuisse. Etsi, quæ de causa secessus Brunonis in eremum & Carthusianorum origine narratur, Historiola Canonici mortui clamantis, commentis proxima plerisque hodie doctis, præsertim Jo. Launojo, videtur; Noster tamen Jo. Columbo Jesuitæ, qui Dissertatione de Carthusianorum initiis eam vindicavit, adductis Guilelmi Eporegiensis & aliorum antiquiorum testimoniis, p. 138 assentiri videtur. Id saltem extra controversiam positum fatetur, quod narratio hæc seculo XV non demum sit exorta.

HISTOIRE DES ORDRES MILITAIRES par Mr. HERMANT.

i. e.

HISTORIA ORDINUM MILITARIUM EQUEstrium, auctore HERMANTIO.

Rothomagi, apud Jo. Bapt. Besongne, 1698, in 8.
Constat 1 Alph. 14 plag.

Qui Religiosos Ordines non ineleganter descripserat, doctissimus Hermantius, Equestribus quoque suam operam non denegandam putavit. Hos perantiquæ originis esse existimat, Josephum quoque & Danielem inter eos *in Præfat.* referens, qui a Pharaone & Nebucadnezare Equites sint creati. Ordines ipsos sigillatim methodo chronologica recenset, initio facto ab Equitibus S. Lazari Hospitalariis, quarto, ut putat, seculo notis, & fine locato in Equitibus Ordinis S. Ludovici a Ludovico XIV institutis. In his multi occurrunt plerisque ignoti, ex quibus promulsidis loco notabimus sequentes: Equites S. Blasii, quorum origo Regibus Armeniæ adscribitur: Equites Cygni, auctore Carolo Duce Brabantiæ: Equites S. Mariæ Liliorum, a Garcia VI Navarræ Rege institutos: Hospitalarios S. Spiritus, nuper in Galliis resuscitatos: Equites Gladii, a Guidone Lusignano Rege Cypri creatos: Equites Alæ S. Michaelis, Alphonsi I Regis Lusitaniæ: Equites Montesæ ex Templariis enatos, auctoritate Jacobi II Regis Arragoniæ: Equites Cardui B. Mariæ, a Ludov. II Duce Borbonio oriundos: Equites Joannis Baptistæ & Thomæ Anconitanorum: Equites Lunæ crescentis Caroli & Renati Andega-

degavensium, Regum Neapolitanorum: Equites Draconis debellati, Sigismundi Imperatoris: Equites Ursi, Friderici II Imperatoris: Equites Navis sive Argonautas S. Nicolai, auctore Carolo Dyrrhachiensi Rege Neapolitano: Equites Histricis, Ludovici Ducis Aurelianensis: Equites Aquilæ candidæ, Vladislai Loctici, Regis Polonici: Equites S. Petri & Pauli, Leonis X Pontificis: Equites Crucis Burgundicæ, a Carolo V Imp. contra Barbaros institutos: Equites B. Virginis Lauretanæ, parente Sixto V Pontifice: Equites Charitatis Christianæ, ab Henrico III Rege Galliarum oriundos, in quem milites illustres in præliis mutilati reciperentur: Equites S. Magdalenæ, institutore Jo. Chesnello Dynasta Britannico, qui monomachias nobilium impedirent. Neque sequiori sexui locum hic denegatum videas: occurrunt enim Ordines equestres Fœminei, Ordo funiculi, ab Anna Britannica, Caroli VIII Regis Gallici vidua, & Ordo genuinæ Crucis ab Eleonora, Vidua Ferdinandi III Imperatoris, suscitati. Memorabilis est catalogus Ordinum Equestrium, qui a Georgio nomen habent p. 205 seqq. inter quos eminent Alfamenses Petri II Regis Arragoniæ, Germanici Rudolphi I & Friderici III ac Maximiliani I. Imperatorum, Alexandri VI & Pauli III Pontificum. Abbatem Justinianum, celebrem Equestrium Ordinum scriptorem, Noster iterum iterumque carpit, & ἀβλεψίας non proletariæ accusat. In Protestantium facta Ecclesiamque quo animo sit, stylo non parum iniquo, atque acerbo ostendit. Num vero & fabulæ aliquando veris narrationibus immisceantur, Lectorum esto judicium. Certe quæ de Rege Æthiopiæ Joanne, a quo successores nomen *Preste - Jean* consecuti sint, p. 266 traduntur, errorem illum vulgi sapiunt, quem Illustris *Ludolfus* in Hist. Æthiop. l. 2. c, dudum redarguit. Ornant vero hunc librum præ ceteris typi cimeliorum & insignium cuilibet Ordini propriorum, qui ab Auctore undiquaque congesti hic uno quasi intuitu visendi exhibentur.

NOTICE OU ABREGE' HISTORIQUE DES VINGT-DEUX Villes, Chefs des Dioceses de la Province de Languedoc &c.

id est,

NO-

NOTITIA SEU EPITOME HISTORICA VIGINTI & duarum Urbium, quæ caput constituunt Diœcesium provinciæ Occitaniæ. Opus posthumum FRANCISCI GRAVEROLI, Advocati & Academici Nemausensis.

Tolosæ, e typographeo Guil. Lud. Colomery, 1696, in fol. Constat plagulis 14.

Tam celebre ac decantatum Graveroli, dum viveret, in Republica literaria fuit nomen, ut erga Manes ejus injurii videremur, si elegantissimo libello serius votis nostris adlato in Actis hisce locum denegaremus. Primas hic contemplari licet umbras majoris operis, quod pro incredibili Historiæ antiquæ & modernæ, qua pollebat, cognitione, ad preces amicorum adornasset Vir egregius, nisi præmatura morte in ipso ætatis suo flore periisset. Cum autem res Occitanicæ rudes adhuc, plurimisque scriptorum erroribus, a quibus ne Catellus quidem, omnium, qui hoc argumentum excoluere, judiciosissimus, immunis habendus, involutæ deprehendantur, non vulgarem a publico gratiam se commeriturum speravit Typographus, si compendiosum tractatum prælo subjiceret, atque sic, quantum in se, curaret, ut dubiis ac desperatis controversiis a subactissimo Graveroli judicio medela adplicaretur. Singularum namque urbium, quæ cathedræ Episcopalis honore in Occitania eminent, tam secunda quam adversa fata aliaque memorabilia, in nuce hic exhiberi videas, ea styli rationumqne perspicuitate contexta, ut lectorum applausus laborem destituere nequeat. Initium facit a Tolosa, urbe totius provinciæ hodienum primaria, sicuti olim Volcarum Tectosagum ac deinceps Visigothorum metropolis fuit habita, a quibus & Roma Garonnæ vocari meruit. In nummis Galbæ *Tolosa Colonia* occurrit; incertum tamen, utrum hic demum Imperator, an Julius Cæsar coloniam istuc deduxerit; illud constat, ante Quinti Cepionis Proconsulatum urbem hanc Romanorum armis jam cessisse. Post fatalem Imperii divisionem, quæ sub Honorio contigit, Ataulphus Visigothorum Rex in hasce irrupit ditiones, cujus successor Vallia regni sedem Tolosæ stabilivit, atque ad posteros transmisit, donec domito Alarico a Clodovæo R. in victoris potestatem ea pervenit. Insequenti tem-

tempore Comitibus paruit, quorum primum Chorsonum sive Torcinum ævo Caroli Magni clarum, ultimum vero Alphonsum fratrem S. Ludovici fuisse memorat, quo, ut & Johanna conjuge ejus, sine heredibus A. 1270 mortuis, Comitatus iste, vi transactionis cum Raimundo ultimo, patre prædictæ Johannæ, A. 1228 initæ, Gallicæ coronæ coaluit. Cæteroquin urbis potentiam & incolarum numerum in tantum effert Autor, ut quadraginta armatorum millia ex solis suburbiis conscribi potuisse affirmet, adeoque minime mirandum, quare Ausonius multitudinem inhabitantium innumerabilem suo tempore fuisse dixerit. Explosia fabulis eorum, qui Tolosam Deboræ Prophetissæ, aut Trois Regis ævo, vel a Tolo seu Talasso Trojano quodam conditam ferunt, vel qui cum Forcatulo eam a Polyphemo, decem annis ante bellum Trojanum, muris cinctam, nomineque uxoris suæ Tolosam appellatam fuisse sentiunt, originem illi antiquissimam simpliciter tribuit. Archi-Episcopatus fastigium sub Johanne XXII Pontifice demum accepit, quem in finem ad Extravag. comm. *Salvator, de Præbend. & Dignit.* provocat, fallereque Bibliothecam Floriacensem asserit, quæ sub Carolo Magno, videlicet A. 800, istud eminentiæ ipsi obtigisse dicit. Circa Montem Pessulanum, (*Montpellier*) alteram a Tolosa civitatem, erroris eos statim redarguit, qui eam pro Colle Mesua Pomponii Melæ, aut Agatha Plinii, aut Sustantione quarta milliaris parte hinc dissita habent. Neque enim adeo antiqua ejus incunabula existimari debere, sed e duobus vicis sororum duarum S. Folcrandi Episcopi Lutevensis compositam esse notat, commigrantibus huc incolis Magalonensibus, quorum urbem, a Saracenis subinde infestari solitam, Carolus Martellus aut Magnus diruerat. Ita sub Francisco I accidit, ut Episcopus Magalonensis cum Clero suo, prisca sede relicta, huc se conferret, a quo tempore Episcopus Montispessulanensis audivit. Diversos olim agnovit dominos simultaneos urbs, in tres sc. partes distincta, quarum una, Vetus Monspessulanus, olim Episcopo subdita, A. 1292 Philippo Pulchro permutationis titulo cessit: altera Ballivia dicta, a Rege Majorcæ per Philippum Valesium comparata: tertia denique Baronia, quam Reges Majorcæ fiduciario jure a Regibus Galliæ dependentem olim possederunt. Academia celebris jamdudum a Jurisprudentiæ,

deinde etiam a Medicinæ studiis facta, hodieque floret, in qua Urbanus V Pontifex Jus Canonicum publice docuisse fertur. Errare autem ait Golnitium in Itinerario sub Ulyssis Belgico-Gallici nomine publicato, qui fundationem Academiæ Urbano V vendicat, cum seculo integro vetustior sit censenda; nec minus labi Casanovam, qui a Nicolao III ejus originem deducit, cum longe sit antiquior; a Nicolao IV autem confirmationem privilegiorum, A. 1289 factam, recte accersi. *Carcassona* fundator, si commentitiæ historiæ fides adhibenda, Carcas, unus e septem Eunuchis Regis Ahasveri extitit. Impudentius nugantur, qui a muliere Carcas dicta, quæ contra Carolum M. obsidionem hujus loci fortiter sustinuerit, nomen ipsi imponunt, cum plurimis ante seculis Carcassum Plinii, Καρκασσὼ Ptolomæi, & Carcasio Procopii innotuerit. Situ est munitissima, indeque evenit, ut Gothi prædam omnem, ex urbe Roma sub Alarico abductam, hic reponerent; unde Gazam Gothorum cognominatam nonnulli volunt. Carolus Calvus eam Bernardo Comiti Tolosano dedit; deinde ad Comites Barcinonenses & Reges Arragoniæ devoluta est, donec Amalaricus Petri R. filius, cum ab inimicis suis premeretur, in Ludovicum VIII Gall. R. A. 1223 eam transferret. *Nemausum* a nemoribus potius, quibus undique ambitur, quam a Nemauso filio Herculis Libyci, ceu Suidas, Stephanus & ante eos Parthenius existimavere, dictam, & ab Imperatore Augusto subjugata, ut videtur, Ægypto, Coloniam factam putat Autor, eaque ex ratione in lapidibus vetustis Coloniam Augustam appellari, & in nummis crocodilum palmæ alligatum, cum verbis COL. NEM. conspici. Illas enim notas *Coloniam Nemausum*, non vero *Collegium Nemausense*, vel quemadmodum Paradino ac Seldeno placuit, *Colligavit Nemo*, indigitare statuit. Antiquitatibus urbis dum paululum inhæret, deprecatur ab ædibus suis honorem templi Musarum, a Golnitio in Itinerario supra laudato eis ideo assertum, quoniam Pegasi imago cum inscriptione, *Procul este Profani*, magno lapidi incisa ibi cerneretur. Gryphem enim esse, non Pegasum; epigramma autem recentius seculum olere, candide fatetur. *Narbo* ab antiquis autoribus modo Narbo Martius, aut Civitas Atacinorum, modo Colonia aut Narbona Decumanorum, sive etiam Colonia Julia Paterna

voca-

vocatur. Varias urbs ea experta est vices, quandoquidem a Romanis ad Visigothos, mox ad Ostrogothos & Francos, ab his rursus ad Visigothos, ad Saracenos, & denique ad Carolum Martellum transiit. Tandem Gastonis Foxii pacto, cum Ludovico XII avunculo suo celebrato, A. 1507 Coronæ Gallicæ patrimonium auxit. Podium B. Mariæ (*le Puy*) Anicium seu Avitium a monte, cui incumbit, dictum, Velavæ quoque seu Velaunorum, quorum caput est, Civitatis nomen habet. Episcopi cum Rege divisum dominii jus in hanc urbem exercent, ideoque Comitis axioma usurpant, privilegio insuper Leonis IX, A. 1050 concesso, a jurisdictione Archi-Episcopi Bituricensis, cujus suffraganei erant, exemtionem impetrarunt, ita ut Sedi Romanæ immediate subsint. Qua de causa Joannes Borbonius, qui A. 1443 vixit, *Ecclesiæ Aniciensis, nullius provinciæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & nulli alteri in quoquam subjectæ*, Episcopus dici voluit. Bederensis Civitas (*Besiers*) quæ & Beterræ, Biterræ & Colonia Septimanorum audit, Orobo flumine adluitur. Templum in honorem Liviæ uxoris Augusti exstructum olim ostentavit, propeque abfuit, quin Julia Augusta mutato nomine vocaretur. Dura sustinuit fata, tempore belli Albigensis, in quo Simon Comes Montfortius A. 1209 eam cepit, captam incendit, atque incolarum *millia bis triplicata decem*, ut loquitur Guilielmus Brito in Philippide sua Lib. VIII. v. 538, interfecit. Posthinc crudeliter quoque fuit habita A. 1321 a Borbonio locum tenente Regis in Occitania, & civibus tantum non exuta, quæ res Carolum VII impulit, ut ad reducendos incolas, Parlamentum Tolosanum huc migrare juberet. Utica seu Uzetia (*Usez*) nugandi ansam præbuit nonnullis, ut a Catonis Uticensis filio illam fundatam confidentius affirmarent, cum tamen antiquis Geographis nomen ejus plane ignoretur. Autor vitæ S. Arnulphi urbem Astimacensem vocat, & in Notitia Provinciarum Galliæ Castrum Ucetiense demum occurrit, adeoque ejus primordia non adeo antiqua esse apparet. Nam qui illam cum Usceta A. Hirtii, urbe Africæ, confundunt, magis se deridendos propinant. Episcopus cum Rege & Duce Crussolii condominio in hanc urbem gaudet. Cunas eadem præbuit Joanni Mercero viro, quo vix alius peritior claruit linguæ Hebraicæ, quam

Parisiis maxima cum laude docuit. Hic etiam Canonici munus gessit Raimundus Jordanus, qui sub nomine Idiotæ latens scripta sua vulgavit. Albigam (*Alby*) seu Civitatem Albigensium vetustis autoribus minime notam fuisse, contra Quercetanum, Albigenses cum Helviis Jul. Cæsaris miscentem, contendit. Errorem ejus inde derivat, quod non adverterit, Albam Helviorum, de qua Plinius, civitatem esse Vivariensem, non vero Albigam, quæ nomine Albæ non nisi Matthæo Parisiensi, & Roderico Archi-Episcopo Toletano in Historia Hispanica, memoratur. Hinc nomen acceperunt Albigenses, Valdensium posteri, quorum genuina fidei dogmata in MSto rarissimo consignata servavit Autor, pro quo Colbertum centum & quinquaginta aureorum Ludovicianorum, sed frustra sibi obtulisse indicat. Archi-Episcopalis splendor urbi huic A. 1676 demum obtigit. Vivarium (*Viviers*) communiter quidem Alba Helviorum creditur, sed minus recte, utpote quod in hujus a Croco Alemannorum Rege funditus eversæ locum ab Auxonio Præsule tantum surrogatum, & prioris nomine honoratum fuit, donec pristina & vera appellatione rursus inclarescere inciperet. Difficillimum investigatu pronunciat Noster, quomodo Comitatus Vivariensis ad Imperium Germanicum pervenerit: certum tamen esse, Gilbertum Comitem Provinciæ non modo eundem feudi titulo ab Imperatore Rudolpho tenuisse (nisi hic mendum est) & Conradum II anno 1146 ejus dominum se dixisse, sed etiam Episcopos ad donationem urbis ab Imp. Conrado sequenti anno sibi factam provocasse, atque ab illo tempore Vivarium cum omnibus regalibus ad ipsos spectasse. Id ipsum largiri quoque Dupuy, acerrimum cæteroquin jurium Regis sui vindicem, dicendo superesse Bullam Gregorii X de anno 1275 ad Regem Philippum Audacem, cui alia Clementis IV sit inserta, quæ ostendat Ecclesiam & Episcopatum Vivariensem non ad Regnum Galliæ, sed ad Imperium pertinere, nullisque privilegiis a Regibus Galliæ, sed ad Imperatoribus tantum concessis frui. Nihilominus Episcopus cum Capitulo A. 1305, vitandæ molestiæ ergo, Regem Philippum Pulchrum superiorem agnovit, insigniumque Imperii vice, Gallicis in sigillo suo se inposterum usurum fidem dedit. Mimatum (*Mende*) caput est districtus Gabali-

balitani, eaque de causa Mimatum Gabalorum nuncupatur. Hic populus, teste Cæsare, sub imperio Arvernorum esse consueverat, postea autem Romanis, dein peculiari Comiti, & ulterius Episcopo suo pleno jure subjacuit, qui tamen A. 1161 Ludovici VII R. Galliæ clientelæ se submisit; ideoque successores ejus simultanei cum Rege habentur domini, & in conventu Statuum Gabalitanorum præsident. Castrum Albigensium, sive Villa Castrensis (*Castres*) juxta Autorem, ab Ortelio ejusque sequacibus male accipitur pro Cesserone, quæ potius est oppidulum *Saint Uber* dictum. Natales suos debet monasterio sub regula S. Benedicti claro, quod a Carolo Magno fundatum esse perhibent. Incolæ variis immunitatibus alios regni Gallici subditos antecellunt, inter quas hanc referre licet, quod e proximis sylvis lignorum tantum, quantum ad exstruendas ædes & calefaciendum sibi sufficit, promere possint; quodque ob adulterii crimen ad fustigationem condemnati, pœnam quinquaginta nummulis (*sous*) redimere queant. Mirandum certe, in urbe ista, ubi peccare licet vilissimo pretio, tantum continentiæ reperiri. Agatha (*Agde*) nomen esse contractum ex Ἀγαθῇ Τύχῃ, de qua Stephanus loquitur in Ethnicis, Autor nullus dubitat. Coloniam Massiliensium, & Civitatem nigram quoque, si modernis nonnullis fides habenda, dictam fuisse, meminit. Episcopus hujus loci per Bullam Innocentii III A. 1246 promulgatam, a nemine, præterquam a sede Romana, excommunicationis, suspensionis aut interdicti fulmen metuere habet. Pontiopolis (*Saint Pons de Thomieres*) ortum suum refert ad monasterium Benedictinorum, quod Pontius I Comes Tolosanus, ejusque uxor Garsinda, pietate stimulati, *ut possent evadere gehennæ incendii flammas* (ceu habet fundationis instrumentum) *& pœnas & infernorum claustra*, regnante Ludovico Ultramarino, Anno 936 hic exstruxerant. Quantæ illud fuerit dignationis, exinde colligas, quod Sanctius Arragoniæ Rex *calore Spiritus Sancti succensus* (Regis ipsissima verba sunt) Ramirum filium suum tertiogenitum *ea devotione & fide, qua obtulit Abraham filium suum Isaac*, Anno 1093 illuc miserit, diversos simul reditus & terras ditionis Oscanæ muneris loco adjungens. Idem tamen Ramirus, postquam ultra quadraginta annos inter Religiosos vixisset,

xiſſet, diſpenſante Papa, A. 1134 ſolium Hiſpanicum occupavit. Mirapicum (*Mirepoix*) ſeu Mirapicis Caſtrum, Albigenſibus olim firmum ſatis receptaculum præbuit, captum autem a Simone Montfortio, Johannis XXII Pontificis benignitate Anno 1318 Epiſcopalis mitræ decus acquiſivit, atque ad gentem Leviam, quæ encomio hereditario Mareſcalli fidei ſuperbit, diviſa cum Rege jurisdictione ſuprema, hodie pertinet. Lutava (*Lodeve*) quæ & Loteba & Lutovium, ſeculo undecimo demum e vico in urbem evaſit. Præſules olim tulit liberrimo Regalium uſu conſpicuos, quorum nunc poteſtas arctioribus limitibus circumſcribitur. Vaurium (*Lavaur*) ſive Caſtrum Vauri, inter principes urbes refertur, quæ a partibus Albigenſium ſteterunt, ideoque Patres Concilii, anno 1212 hic congregati, in literis ſuis ad Innocentium III ſcriptis, eandem ſedem Sathanæ atque erroris hæretici Primatiam vocavere. Epiſcoporum famigeratiſſimus fuit Petrus de Alliaco. Papuli fanum (*Saint Papoul*) monaſterio Ordinis S. Benedicti, quod a S. Paulo ſeu Papalo denominatur, originem ſuam adſcribit. Alecta (*Alet*) & Limozum ſeu Limoſus vicus (*Limoux*) uni Epiſcopo obedientiam præſtant, ſicuti & in conventu Statuum Occitaniæ unico ſuffragio gaudent. Montalba (*Montauban*) recentioribus urbibus annumeranda venit, ſeculo quippe duodecimo ab incolis Villæ Theodardi ſive Montis Aureoli ædificata. Urbs Guiennæ finibus continetur; Epiſcopus autem, quia ſuburbium & diœceſis inferior Occitaniæ includitur, ejus quoque Ordinibus & Suffraganeis Archi-Epiſcopatus Toloſani accenſetur. Rivi, Rivenæ, ſeu Villa de Rivis (*Rieux*) Epiſcopum aluit Joannem Pinum, Latini ſermonis callentiſſimum, cujus laudes celebrat Eraſmus in Ciceroniano ſuo. Scripſit vitam Catharinæ Senenſis, & Philippi Beroaldi præceptoris ſui, magnamque præterea Epiſtolarum farraginem adhuc ineditam. Convenæ, vel Civitas Convenarum (*Cominges*) nomen mutuata eſt a Conventu latronum ex Hiſpania elapſorum, quos Pompejus Magnus Pyrenæis montibus, quorſum ſe abdiderant, deturbavit. Jus Coloniæ & Latii ſortita duravit usque ad A. 585, quo a Guntramo Rege, ob ſuſceptum Gundebaldum, filium Clotarii ſe venditantem, funditus exſciſa fuit, ita ut milites nihil præter vacuam humum ibi relinquerent.

Quin-

Quingentos & viginti annos sic devastata jacuerat, cum S. Bertrandus Episcopus ex cineribus eam suscitaret. Sub obsequio Comitum Tolosæ diu perstitit, & post varias mutationes, quas recensere prolixum foret, sub Francisco I domanialia locupletavit. Huc usque Graveroli discursus. Alestum (*Alez*) vero, quia post mortem ejus A. 1692 Præsulem accepit, adeoque nunc vigesimum tertium Episcopatum constituit, ad ejus lucubrationes non spectat; itaque ex Catello depromenda fuit notitia urbis, de qua breviter monendum, quod diœceseos Nemausensis & in patrimonio gentis Pelettiæ quondam fuerit, & nostra demum ætate Comitatus axiomate dignosci cœperit.

INDEX AUCTORUM, quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensetur.

I. *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

Akersloot (*Th.*) *Epistola Pauli ad Galatas explicata.* 71
Anonymi Joannes Dallaus de vero usu Patrum in Epitome exhibitus. 192
Anonymi Historia Conciliorum universalium. 342
Anonymi Cogitationes novæ de primo & secundo Adamo. 483
Anquetini *Dissertatio de Maria Magdalena, a Maria Marthæ sorore, & a Peccatrice magna diversa.* 340
Baxteri (*Richardi*) *recensus memorabilium vitæ suæ, rerumque ejus tempore gestarum.* 269
Chaponelli (*Raimundi*) *Historia Canonicorum, vel Indagationes Historico-Criticæ de Ordine Canonico.* 355
Grenii (*Thomæ*) *notæ ad Jo. Sauberti Miscellanea de Sacrificiis veterum.* 507
Eduardi (*Johannis*) *Dissertationes, quibus auctoritas, stylus atque perfectio Veteris Novique Testamenti expenditur.* 135
- - - *Demonstratio existentiæ atque providentiæ Dei.* 416

R. Eli-

R. Elisa *Misna, sive Lex oralis secundaria, cum brevi Commentario.* 238
A Felde (*Alberti*) *Epistola de Dialogo Justini Martyris cum Tryphone Judæo.* 445
Goodman (*Jo.*) *Colloquia Brumalia vespertina.* 48
Goussetii (*Jacobi*) *Considerationes Theologicæ Ideæ, quam de nova versione Gallica Scripturæ S. dedit Carolus Le Cene.* 517
Hale (*Matthæi*) *Magnetismus magnus, sive Contemplationes Metaphysicæ & Divinæ e consideratione Magnetis.* 56
Henschenii (*Godofredi*) *aliorumque e Soc. Jesu Presbyterorum Acta Sanctorum Junii.*
- - - *Tomus I.* 289
- - - *Tomus II.* 347
Hermantii *Historia Institutionis Ordinum Religiosorum.* 531
S. Hilarii *Opera, aliquot aucta opusculis, illustrata studio Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.* 47
Hody (*Humphredi*) *Resurrectio ejusdem Corporis asserta.* 37
Van den Honnert (*Taco Hajo*) *Viæ Dei veraces, quas cum hominibus solet inire.* 70
Koch (*Christiani Gottlieb*) *Justini Martyris cum Tryphone Judæo Dialogus νοθεύσεως convictus.* 443
Lundii (*Danielis*) *Codex Talmudicus de Jejunio, commentariis illustratus.* 19
Marckii (*Joannis*) *Commentarius in Hoseam.* 323
- - - *in Joelem, Hamosum, Hobbadiam & Jonam.* 325
Nicholls (*Guilielmi*) *Collationis cum Deista pars III.* 273
Pezron (*Pauli*) *Historia Evangelica confirmata per Judaicam & Romanam.* 200
De la Placette (*Joannis*) *Tractatus varii ad materiam de Conscientia spectantes.* 326
Prideaux (*Humphridi*) *vera fraudis indoles in vita Mahometis demonstrata.* 214
- - - *Epistola ad Deistas.* 217
Robothami (*Caroli*) *Disquisitio in Hypothesin Baxterianam de Fœdere Gratiæ.* 62

Sau-

Sauberti (*Jo.*) *de Sacrificiis veterum Miscellanea: item de Sacerdotibus & sacris Hebræorum personis.* 507
Sibersma (*Heronis*) *Fons salutis in Catechismo Heidelbergensi monstratus.* 69
Simonis, *Episcopi Eliensis, Commentarius in Leviticum.* 376
Swartte (*Joannis*) *Vetus & orthodoxa veritas in doctrina de temporum Oeconomia & peccatorum remissione.* 129
Tillemontii *Historiæ Ecclesiasticæ*
Tomus II. - - 88
Tomus III. - - 241
Tomus IV. - - 294
Tomus V. - - 433
Tomus V. - - 473
A S. Ubaldo (*Eustachii*) *de Dei Benedictione Commentariolus, & Disquisitiones de Hymni,* Te Deum laudamus, *auctoribus &c.* 162
Whitby (*Danielis*) *Commentarius & Paraphrasis in omnes Novi Testamenti Epistolas.* 412

II. Libri Juridici.

AGeta (*Nicolai Cajetani*) *Annotationes ad Hannibalis Moles Decisiones Rem Fiscalem concernentes.* 253
Van Bynkershoek (*Cornelii*) *ad L. Lecta 40. ff. de* R. C. *Liber singularis &c.* 219
Fontanini (*Justi*) *de Masnadis aliisque servis, qui apud Longobardos fuerunt, discursus.* 282
Matthæi (*Antonii*) *Manuductio ad Jus Canonicum.* 212
Nood (*Gerhardi*) *de Fœnore & Usuris Libri tres.* 234
Pigantii (*Herculis*) *Commentarii ad Statuta Ferrariæ.* 170
Rodulfini (*Angeli*) *Allegationes, in quibus fere omnes arduæ Fideicommissorum Quæstiones tractantur.* 26
Schilteri (*Johannis*) *Institutiones Juris Publici Romano - Germanici.* 209
Textoris (*Jo. Wolfgang*) *Jus Publicum Cæsareum.* 351

III. *Libri Medici & Physici.*

Academiæ *Regiæ Scientiarum Parisiensis Commentarii Physici.* 76
Andrilli (*Mich. Angli*) *Conciliorum veterum & neotericorum de conservanda valetudine.* 81
Anonymi Praxeos Mayernianæ Syntagma alterum. 177
Berolinensis Collegii Medici Dispensatorium Brandenburgicum. 334
Bocconis (*Sylvii*) *Museum Physicum & Experimentale.* 193
- - - *Museum plantarum rariorum Siciliæ, Maltæ, Corsicæ &c.* 198
Buissiere *Epistola de Ovo in Tuba Fallopiana cadaveris fœminini dissecti reperto.* 45
Colbath (*Joannis*) *Novum Lumen Chirurgicum vindicatum.* 113
Coles (*Eduardi*) *Experimentorum ex mixtione Spiritus Sulphurei cum Alcali volatili producendi Liquidum coloris rubri.* 233
Coward (*Guilielmi*) *de Fermento volatili nutritio Conjecturæ rationales.* 225
Hale (*Matthæi*) *Magnetismus magnus.* 56
Helvetii (*Adriani*) *Tractatus de Hæmorrhagiis una cum Remedio earum specifico.* 310
Kockburn (*Guilielmi*) *Oeconomia Corporis Animalis.* 22
Lafage *Extraordinarium Arteriæ Aortæ Aneurisma detectum.* 401
Lister (*Martini*) *Exercitatio de Buccinis fluviatilibus & marinis: item de Variolis.* 85
- - - *sex Exercitationes Medicinales de quibusdam Morbis chronicis.* 102
Paulini (*Christiani Francisci*) *de Jalapa liber singularis.* 430
Piccoli (*Stephani*) *Examen Medicum Venæsectionis & Purgationis.* 83
Sinapii (*M. A.*) *Tractatus de Remedio doloris, sive materia Anodynorum.* 500
Slare (*Fr.*) *Experimentum, in quo mutatio coloris ex pallido in cæruleum fuit exhibita &c.* 74

- - - de-

- - *de productione ignis & flammæ a commistione duorum liquorum actu frigidorum.* 227
Stifferi (*Jo. Andreæ*) *Acta Laboratorii Chymici in Academia Julia.* 332
Tauvry (*Danielis*) *Praxis nova Morborum acutorum.* 320
- - - *Tractatus de Medicamentis & Methodus ea adhibendi.* 464
Testi (*Ludovici*) *de salubritate Aeris Veneti.* 165
Tretwey (*Roberti*) *Conjectura nova de Ambræ griseæ productione.* 233
Tyson (*Eduardi*) *Continuatio Anatomiæ Marsupialis Americani.* 149
Vallerii (*Nicolai*) *Tentamina Physico-Chymica circa Aquas Thermales Aquisgranenses.* 396
Wedelii (*Georgii Wolfgangi*) *Exercitationum Medico-Philologicarum Decas nona.* 422
Woodward (*Joannis*) *Tentamen circa naturalem Historiam Telluris, corporumque terrestrium.* 7

IV. Libri Mathematici.

Academiæ *Regiæ Scientiarum Parisiensis Commentarii Mathematici.* 76
Anonymi Artifex Horologiopœus. 168
Cevæ (*Joannis*) *Geometria Motus.* 164
Cevæ (*Thomæ*) *Opuscula Mathematica.* 368
Halley (*Edmundi*) *Methodus inveniendi verum momentum ingressus Solis in signa Tropica.* 228
- - - *de Iride, sive de Arcu cœlesti, Dissertatio Geometrica.* 403
De La Hire *Tractatus de Mechanica.* 97
Wallisii (*Joannis*) *Nova Methodus inveniendi paralaxin stellarum fixarum respectu orbis terræ annui.* 73

V. Libri Historici & Geographici.

*A*Nonymi *Cabala; sive Mysteria ad Rempublicam Anglicam spectantia.* 143
Anonymi Historia Ferdinandi Alvaresii Toletani, Ducis Albani. 431
Anonymi Curiosa & nova de Moscovia Relatio. 524
Bacchini (*Benedicti*) *Historia Monasterii S. Benedicti intra Padum & Larionem.* 131
Bakeri (*Richardi*) *Chronicon Regum Angliæ.* 338
Benthem (*Henr. Ludolfi*) *Ecclesiarum & Scholarum Anglicarum status.* 190
Le Blanc *Tractatus Historicus de Nummis Francorum ab initio Monarchiæ usque ad hæc tempora.* 183
Bœcleri (*Jo. Henrici*) *Liber Memorialis de Rebus Seculi XVI.* 335
Cochlæi (*Joannis*) *vita Theoderici Regis Ostrogothorum & Italiæ.* 503
Coke (*Rogerii*) *Aula & status Angliæ, qualis fuit sub postremis quatuor Regibus & Interregno.* 380
De Cruce (*Irenæi*) *Historia antiqua & recentior urbis Tergesti.* 307
Gandulphi (*Dominici Antonii*) *Fasciculus Historicus, curiosus & eruditus.* 300
Giannettasii (*Nicolai Parthenii*) *Elementa universalis Geographiæ.* 336
Graveroli (*Francisci*) *Notitia viginti & duarum urbium Occitaniæ.* 536
Hermantii *Historia Ordinum Militarium Equestrium.* 534
Kennet (*Justi*) *Historia Ambrosduni, Birini Castri, aliorumque locorum in Comitatu Oxoniensi & Buckinhamensi.* 223
A Kochow Kochowski (*Vespasiani*) *Annalium Poloniæ Climacter III.* 528

Lani.

Lani (*Georgii*) *Mausoleum Saxonicum.* 142
Magni (*Cornelii*) *Itineris Turcici Biennium secundum.* 286
Maji (*Jo. Burckardi*) *Supplementa libri memorialis J. H. Bœcleri de rebus Seculi XVI.* 335
Martinelli (*Florovanti*) *Carbonianum illustratum.* 240
De Masseville *Historia Normanniæ compendiaria.* 117
Mezger (*Josephi*) *Historia Salisburgensis.* 1
Nicholson (*Guilielmi*) *Bibliothecæ Historicæ Anglicanæ Pars II.* 257
Ovingtoni (*Joannis*) *Iter Surattam A. 1689 susceptum.* 447
Paulini (*Christiani Francisci*) *Geographia Curiosa, seu de Pagis antiquæ Germaniæ Commentarius.* 471
Peringskioldi (*Joannis*) *Additamenta & Annotationes ad Jo. Cochlæi Vitam Theoderici Regis Ostrogothorum & Italiæ.* 503
Prideaux (*Humphridi*) *Vita Mahometis.* 214
Schilteri (*Jo.*) Ἐπινίκιον *rhythmo Teutonico Ludovico Regi acclamatum, cum versione Latina & commentatione Historica.* 114
Selleri (*Abrahami*) *Antiquitates Palmyrenæ.* 89
Sylvestri (*Matthæi*) *Vita Richardi Baxteri ex ipsiusmet schedis collecta.* 269
Tanneri (*Thomæ*) *Historia Monasteriorum Angliæ & Walliæ.* 71
De la Thaumassiere (*Casp. Thomæ*) *Historia provinciæ Bituricensis in Gallia.* 33
Thorfæi (*Thormodi*) *Rerum Orcadensium Historia.* 337
Vigneul-Marville *Miscellanea Historica & Literaria.* 385
De Zarate (*Augustini*) *Historia detectæ & occupatæ ab Hispanis Peruviæ.* 505

VI. Libri Philosophici & Philologici Miscellanei.

Bos (*Lamberti*) *Animadversiones ad Thomæ Magistri Eclogas.* 314

Cevæ (*Thomæ*) *Jesus Puer. Poema.* 423

- - - *Sylvæ.* 423

De Crescimbenis (*Joannis Marii*) *Elegantia vernaculæ Poeseos.* 459

Dryden (*Joannis*) *Juvenalis & Persii Satiræ Anglicis versibus redditæ.* 513

Fardellæ (*Michaëlis Angeli*) *Animæ humanæ natura ab Augustino detecta.* 302

Giannettasii (*Nicolai Parthenii*) *Æstates Surrentinæ.* 145

Grævii (*Jo. Georgii*) *Thesaurus Antiquitatum Romanarum.*

Tomus IX. 450

Temus X. 455

Tomus XI. 490

Tomus XII. 498

Gronovii (*Laurentii Theodori*) *Marmorea Basis Colossi Tiberio Cæsari erecti illustrata.* 218

Jensii (*Joannis*) *Lectiones Lucianeæ, & Epistola super aliquot Diodori Siculi locis.* 521

Juvenalis (*Decimi Junii*) *Satiræ versibus Anglicis a Drydenio traditæ.* 513

Magistri (*Thomæ*) *Eclogæ a Nicolao Blancardo emendatæ, cum notis Lamberti Bos.* 314

Malagonellii (*Antonii*) *Orationes.* 43

Auli Persii *Flacci Satiræ Anglicis versibus redditæ a Jo. Dryden.* 513

De la Placette (*Joannis*) *Tractatus varii ad materiam de Conscientia spectantes.* 326

Du Porti (*Jacobi*) *Musæ subsecivæ, seu Poetica Stromata.* 384

Salomonii (*Jacobi*) *Agri Patavini Insceiptiones sacræ & profanæ.* 174

Sanct-Evremontii (*Caroli*) *Opuscula nova miscellanea.* 527

Sancti Bartoli (*Petri*) *Sepulcra antiqua seu Mausolea Romana & Etrusoa.* 382

Sauberti (*Joannis*) *de Sacrificiis veterum Miscellanea.* 527

Schilteri (*Jo.*) *'Επινίκιον rhythmo Teutonico Ludovico Regi acclamatum.* 114

Schudt (*Jo. Jac.*) *Trifolium Hebræo-Philologicum.* 336

Schurtz-

Schurtzfleischii (*Cour. Samuelis*) *Dissertationes Academicæ varii generis.* 425
- - - *Epistolæ nunc primum editæ.* 508
Seravalli (*Angeli*) *Orbis Humanus retectus & delineatus a Lucio Agathone Prisco.* 352
Wedelii (*Georgii Wolfgangi*) *Exercitationum Medico-Philologicarum Decas nona.* 422

INDEX RERUM NOTABILIORUM

in hoc Volumine obviarum.

EX Abysso *ascendentis continuo vaporis effectus.* 14
Abyssus *Mosaica explicata.* 13 *seqq.*
Academiæ *Arcadum in Italia origo, incrementum, politia, coloniæ, statuta.* 460. *sqq*
Academiarum *Angliæ origo.* 267
Aceti *varia genera.* 500
Acidularum *vim explorandi ratio.* 397. *sqq.*
- - - *destillatio quale Sal relinquat?* 398
Acoluthia *Officii Canonici in Ecclesia Græca.* 350
Adamantis *ortus & natura.* 147
- - - *vis refractiva.* 411
De Adamo *primo & secundo Cogitationes paradoxæ.* 483. *sqq.*
Adiciales *cœnæ quæ?* 499
Ænigma *Sibyllinum ad Chymiam tractum.* 423
Æquilibrii *demonstrationes.* 368 *sq.*
Æquinoctiorum *observatio difficilior, quam Solstitiorum.* 228
Æquivocationum *moralitas.* 331
Aer *num per poros corpus nostrum ingrediatur?* 25
- - *non Nitro, sed Salibus volatilibus, turgidus.* 75
Ab Aëre *quomodo adjuvetur sanguinis circulatio?* 77
- - *num in pulmonibus aliqua lymphæ pars secernatur?* 168
Aëris *Veneti salubritas asserta.* 165
- - *naturalis ratio ad aerem in machina pneumatica rarefactum.* 79

- - - un-

- - *undarum velocitas & ratio ad undas aqueas æqualis rationi gravitatis aëris ad aquæ gravitatem.* 76
Æschylus *emendatus.* 522
Agapetus *Synnadiensis inter Martyres relatus, Arianus fuit.* 441. *sq.*
Agathensis *Episcopi privilegium.* 541
Alba *Helviorum quæ urbs?* 540
Albani *Ducis Historia.* 431
Albigenses *unde dicti?* 540
Ex Alcali *volatilis cum Spiritu Sulphureo mixtione quomodo liquidum coloris rubri producatur?* 233
Aldii *seu Aldiones qui?* 285
Alexander (*Natalis*) *notatus.* 91
- - - *refutatus* 249. 340. *sqq.*
Alterantium *medicamentorum operandi modus.* 468
Amali *gens Gothica.* 504
Ambræ *griseæ productio.* 234
Ambrosduni *in Anglia Historia* 224
Ambrosius & *Augustinus hymni,* Te Deum laudamus, *auctores.* 163
- - - - *num cantum in Mediolanensem Ecclesiam induxerit?* 163
Amuletum *Anti - Pestilentiale.* 178
Per Analysin *corporum chymicam principia eorum valide deteguntur.* 465
Anatome *cochlearum marinarum & fluviatilium.* 85
- - *Marsupii Americani.* 149
Aneurysma *arteriæ aortæ extraordinarium.* 401
Angliæ *Historia Monastica.* 71. *sqq.*
- - *Historia editis clarorum virorum epistolis illustrata.* 143
- - *Ecclesiarum & Scholarum status.* 190
- - *Historicorum recensus.* 257. *sqq.*
- - *Reformationis Ecclesiasticæ Historiam qui condiderint?* 263
- - *Præsulum vitas qui composuerint?* 264
- - *Monasteriorum Historia.* 266
- - *Academiarum origo.* 267
- - *Regum Chronicon.* 318
- - *Regum Jacobi I. Caroli I & II Jacobi II Historia.* 380
- - *Fontes medicati.* 105
Anguli *rectilinei in quotvis partes æquales tum organicæ, tum per lineas curvas divisio.* 371
Anhaltini *Principatus Pagorum & Comitatuum Antiquitates.* 472
In Ani *pruritu remedium specificum.* 180

An icensis *Episcopus sedi Romanæ immediate subjectus.* 539

Animæ *immortalitas num ab Irenæo agnita?* 243

- - *natura explicata.* 302. *sqq.*

- - *immortalitas asserta.* 305

Animales *functiones absque fermentis explicandæ.* 23

Animalium *calor unde?* 86

- - - *nonnullorum effluvia prodigiosa.* 196

Anodynis *num infusio Thee & Caffé anumeranda?* 502

Aortæ *Arteriæ Aneurysma extraordinarium.* 401

Anti-hypochondriacorum *medicamentorum operandi modus.* 469

Antimonii *Diaphoretici præparandi modus noxius.* 333

Antimonio *affusæ aquæ pluvialis Phænomena tempore hyberno.* 78

Antiquitates *Romanorum Sepulcrales illustratæ.* 382. *sqq.*

Antiquitatum *Romanarum Thesaurus.* 450. 455. 490. 498

Antiscorbuticorum *& Anti-Venereorum medicamentorum operandi modus.* 469

S. Antonii *de Padua Historia.* 349

Antonini *Constitutio, qua omnes in orbe Romano cives sunt effecti, a quo Antonino & cur sancita?* 492. *sq.*

Apostolinorum *Ordinis origo.* 292

Apostolorum *sinceritas vindicata.* 277

Aqua *salsa num semper halitus expiret noxios?* 166

Aquæ *undulatio experimento examinata.* 76

- - *pluvialis Antimonio affusæ phænomena tempore hyberno.* 78

Aquarum *Thermalium Aquisgranensium exploratio.* 396. *sqq.*

Arabicos *libros empturis cautela opus.* 386

Arbores *subterraneæ, seu lignum fossile unde?* 13

Arcadum *in Italia Academiæ origo ac incrementum.* 460

- - - *Politia.* 461

- - - *Coloniæ.* 462

- - - *Statuta.* 462. *sq.*

Archiducis *titulum quando usurpare cœperint Austriaci?* 512

De Arenacio *Lapide observata.* 8

Arius *ipsemet, an Sectatores tantum ejus, a Concilio Hierosolymitano fuerint recepti?* 481

Armanni *qui?* 286

Armilustrum *quid Romanis?* 452

Armoniaci *Salis varii usus.* 333

Arteriarum *pulsus unde?* 23

Arteriæ *Aortæ Aneurysma extraordinarium.* 401

Ab Arteriis *potius, quam a nervis, succus nutritius.* 226

Arthritidis *causæ, prognosticon, remedia.* 112. 113. 180

Ascites *hydrops cur tam frequens in Anglia?* 103

Asiæ *urbes post terræ motum collapsæ, a Tiberio restitutæ.* 218

Asseral *potus præparatio.* 502

Astroites *quid?* 198

- - *punctatus niger.* 199

Atheismus *visibilium rerum contemplatione destructus.* 417. *sq.*

Attenuantium *medicamentorum operandi modus.* 468

Avaricum *quænam urbs?* 34

Aventinus *notatus.* 2

Augustæ *seu Imperatricis Romanæ jura.* 353

Augustales *qui fuerint apud Romanos?* 495

Augustini *Collegium Clericorum Hipponensium fueritne Monachorum?* 356

Augustinus (*Antonius*) *notatus.* 492

S. Augustinus *Hipponensis illustratus.* 302. *sqq.* 475

Augustinus *Monachus num res ecclesiasticas Britanniæ literis consignarit?* 259

In Aurium *tinnitu e lue Gallica inveterata quid prosit?* 183

Auri *dissoluti & misti variis salibus, tandemque fusi cum ferro & smiride phænomenon.* 80

Aurum *fulminans in febribus intermittentibus paulo ante paroxismum commendatur.* 178

Austriæ *vox apud veteres Historicos ambigua.* 284

Automatopoetica *ars deperdita, a Germanis denuo inventa.* 196

Banjanensium *mirus erga insecta affectus.* 448

Balneorum *Aquisgranensium exploratio.* 400

De Baptismo *Hæreticorum controversia quonam in Concilio fuerit definita?* 298

quæ fuerit Stephani Romani Pontificis sententia? 296

Barbararum *gentium perversæ consuetudinis & morum exempla.* 447. *sqq.*

Barbari *unde dicti?* 504

Baronius *notatus.* 90. 91. 94. 250. 294. 295. 435. 439. 478. 483

Basileensis *Concilii Historia.* 345

Basilii *M. Historia.* 348

Bavariæ *Historia passim illustrata.* 1. *sqq.*

Baxteri (*Richardi*) *de Fœdere Gratiæ sententia refutata.* 62

- - - *vita, fata, scripta, mors.* 269. *sqq.*

De Bedæ *Historia Ecclesiastica gentis Anglorum judicium.* 260

Bentivoglii *Cardinalis paupertas.* 389

Ber-

Bergierii (*Nicolai*) *de publicis & militaribus Imperii Romani Viis libri V in Latinam linguam translati.* 454
Ex Bestiolæ *venenatæ morsu origo Variolarum.* 86
A Bile *orti dolores colici quomodo mitigandi?* 179
Biraguis (*Franc. Mediobarbus*) *emendatus.* 92
Biterrarum, *urbis Occitaniæ, tristia fata.* 539
Bituricensis *in Gallia provinciæ Historia.* 33
- - - *Urbis antiquitas.* 33. *sq.*
- - - - *insignia.* 35
Blondellus *notatus.* 96
Boccalinus (*Trajanus*) *autor Lapidis Lydii.* 384
Borghinus (*Vincentius*) *notatus.* 286
Boyle (*Robertus*) *refutatus.* 42
Brandeburgicum *Dispensatorium.* 334
Britanniæ *Historiæ Ecclesiasticæ scriptores.* 259
Bruta *remedia sibimet invenientia.* 195
Bryonia *alba commendata in Hydrope.* 104
Bubones *pestilentiales quo remedio maturandi?* 178
Buchananus *notatus.* 339
Buckhurstii (*Thomæ*) *in Belgio gesta accusata & defensa.* 144
Bufonites *quid?* 10
Bulengerus *notatus.* 499
Burggraviorum *in Germania dignitas.* 510
Burnetius (*Thomas*) *notatus.* 139. 418
Cæsaris *jus supremum assertum ac declaratum.* 351. *sqq.*
Calculo *medetur gummi cerasorum.* 200
Calor *thermarum fontiumque calidorum unde?* 14
- - *sanguinis unde?* 23
- - *febrilis unde?* 84
- - *animalium unde?* 86
Caldaria *quæ?* 500
Cancri *non exulcerati natura & curatio.* 312
- - - *exulcerati curatio.* 313
mammarum exulcerati remedium. 179
Canones *Ecclesiæ Anglicanæ editi.* 262
Canonicorum *Historia.* 355. *sqq.*
Regularium antiquitas. 356
a Monachis discrimen. 358
Secularium origo. 357
mortuorum bona cui cedant? 359
Cantabrigiensem *inter & Oxoniensem Academiam æmulatio.* 267
Carbonianum *illustratum.* 240
Carcassonæ *origo & varii domini.* 538

Carmina *varii generis Jacobi Du Porti.* 384
Caroli II *in Angliæ regnum restitutio.* 320
Caroli *M. numismata illustrata.* 188
De Carolo *I & II Angliæ Regibus judicium.* 380
Cartesius *notatus.* 404
Casanova *notatus.* 538
Castri *Albigensium privilegia.* 541
Catechismus *Heidelbergensis explicatus.* 69
Le Cene (*Caroli*) *idea de nova versione Gallica Scripturæ S. sub examen vocata.* 517. *sqq.*
Cephalalgiæ *in febri maligna remedium.* 178
Cerasorum *gummi calculo renum medetur.* 200
Cerebrum *num ex tenuissimis tantum vasculis constetur absque glandulis?* 86
Cerevisiæ *Anglicanæ vitium.* 103
Cerinthi *hæresis.* 89
Chiliasmus *crassus oppugnatus.* 416
Chiliastas *veteres & recentiores inter quantum intersit?* 415
Chyli *a fæcibus alvinis secretio.* 23
- - *motus.* 23
Chylificatio *quomodo peragatur?* 23
Chorepiscoporum *origo.* 343
Christi *Servatoris actiones & miracula vindicata.* 274
passio quo tempore contigerit? 202. *sq.*
corona spinea unde? 422
Christianæ *religionis veritas asserta.* 217. 275
Christo *quoad carnem quo sensu infirmitates tribui possint?* 53
In Christum *fides num necessaria omnibus, qui salvari cupiunt?* 66. *sqq.*
Christus & *Apostoli cur Græcam V. T. versionem potius, quam textum Hebraicum, allegarint?* 142
bis unctus, primum a magna Peccatrice, deinde a Maria Marthæ sorore. 341
quo die Pascha postremum celebraverit? 205
Cinnabaris *vulgaris tuta usurpatio.* 181
Circi *apud Romanos facies.* 452
Circulatio *sanguinis quomodo ab aere adjuvetur?* 77
Civitatis *Romanæ jus a jure Latii diversum.* 491
Clemens *num in Episcopatu Romano immediate Petro successerit?* 92
Clemens Alexandrinus *num autor sit libri de salute divitum?* 245

quot Stromatum libros composuerit? 245
Clericorum *cœlibatus quando stabilitus?* 346
— *veteris Ecclesiæ qualis conditio?* 356
Clinopodii *minoris odor unde?* 199
Clodovæi *Francorum Regis numismata.* 186
Clypei *in prælio jactura turpis.* 137
Cobras *lapis artificialis.* 194
Cochlearum *marinarum & fluviatilium Anatome.* 85
Cœnæ *adiciales quæ?* 499
Coloniarum *Romanarum diversa conditio.* 490
Coloris *ex pallido in cæruleum mutatio.* 74
- - *rubri productio a mixtione spiritus sulphurei cum sale volatili.* 233
Colorum *Iridis theoria.* 404
Commendæ *Ordinis Teutonici quando cœperint?* 512
Conceptio *fœtus in utero quomodo fiat?* 24
Conchæ *num in terra, ubi reperiuntur, natæ?* 9. *sqq.*
Concilio *Nicæno num Osius tanquam legatus Romani Pontificis interfuerit?* 483
Conciliorum *universalium Historia.* 342
Concilium *Sinuessanum confictum.* 438
Conductor *in re conducta jus protimiseos apud Ferrarienses obtinet.* 172
De Confucio *judicium.* 391
Convenarum, *civitatis Occitaniæ, nomen & fata.* 542
Convivium *tempestivum quodnam?* 500
Cooke (*Robertus*) *Pythagoreus.* 382
Coralliorum *natura & formatio prima.* 197
A Corde *motus sanguinis arteriosi.* 23
Cornu *Ammonis quid?* 10
Corona *Christi spinea unde?* 422
Corporis *ejusdem asserta resurrectio.* 38
— *resurrectio non impossibilis.* 41. *sq.*
Creatio *mundi ex revelatione Mosis explicata.* 138. *sq.*
De Cromwello *judicium Baxteri.* 271
Cromwelli *in Anglia laudabiliter gesta.* 381
Cryſtallos *e Vitriolo Cyprino parandi modus.* 333
In Cryſtallos *diversa diversorum salium concretio.* 399
Cujacii *prudentia.* 385
De Cunha (*Rodericus*) *notatus.* 292
S. Cyprianus *unde quibusdam creditus magicis artibus operam*

ram dedisse? 294
Dalamincia *Slavorum illustrata.* 472
P. Danielis (*Gabrielis*) *de Paschate sententia examinata.* 244
Deciorum, *patris & filii, edictum contra Christianos, quod Tolosæ A. 1664 prodiit, num genuinum?* 248
Dei *Existentia a Magnetismo demonstrata.* 57
& providentia demonstrata. 416. *sqq.*
Dei gratia *Imperatorum quis primus se dixerit?* 189
Diabetis *pars affecta primaria ventriculus & intestina.* 105
- - *symptomatum ætiologia.* 106
- - *remedia.* 106
Ad Digitum *pugnare, quid?* 454
Diluvii *effectus.* 10. 12. 15
Diocletiani *persecutio Christianorum quo anno cœperit?* 434
Diodorus *Siculus illustratus.* 379
emendatus. 523
Dio *explicatus.* 453
Divinatio *ex hostiis humanis.* 379
Diureticorum *operandi modus.* 467
Dodwellus *refutatus.* 242
Dohannarum *jus in Regno Neapolitano.* 254
Doloris *natura, species & remedia.* 501
Donatiani *schismatis occasio & initium.* 473. *sqq.*
Donatistæ *num a Donato de Casis nigris, an a Donato alio nomen consecuti?* 475
Dotis *quæ ratio apud Ferrarienses.* 173
Dupinius *refutatus.* 243
Ecclesiastica *Historia a variis erroribus repurgata.* 88. *sqq.*
Ecclesiasticorum *Historicorum Angliæ recensus.* 258
Eclipsis *a Phlegonte annotata num tempore mortis Christi contigerit?* 204
Electuarii *Orvietani non omnis compositio genuina.* 195
In Elephantiasi *commendatum vinum Viperinum.* 180
Emetica *quomodo vomitum excitent?* 466
Epicarpia *antifebrilia.* 178
Επινίκιον *antiquum Teutonicum illustratum.* 114
Epiphanius *emendatus.* 90
Episcoporum *Orcadensium Historia.* 338
in Gallia electio ambigua. 345
Equites *tabulæ rotundæ.* 35
Equitum *varii Ordines.* 534
Essoniare *quid?* 213
Evangelica *Historia per Judaicam & Romanam confirmata.* 200. *sqq.*

Eu-

Eunuchus *Candaces minister quis fuerit?* 90
Euphorbii *usus in re medica.* 104
Eusebius *explicatus.* 243. 436. 438
Excalceatorum *Ordinis Eremitarum Augustini vocalis Dei cultus.* 162
Expectatione *quinam morbi curandi.* 422
Fabulæ *præcepta sapientiæ inculcantis exemplum.* 602. *sqq.*
De Fagdito *judicium.* 391
In Fallopiana *Tuba cadaveris fœminini dissecti repertum ovum.* 45
- - - - - - *reperiundi liquoris origo.* 46
In Febribus *usus auri fulminantis.* 178
- - - - *malignis num purgantia adhibenda?* 321
Febrium *malignarum naturæ & curatio.* 84
Febrifugorum *operandi ratio.* 469
Febrilis *calor unde?* 84
- - - - *cephalalgiæ remedium.* 178
Feliciffimus, *schismatis Carthaginiensis auctor, num Presbyter fuerit?* 295
Felis *Francisci Petrarchæ epitaphium.* 176
Fermentatio *humorum adstructa.* 322
Fermentum *Ventriculi quale?* 225
- - *ex Oeconomia Animali proscriptum.* 22
Ferrarienfia *statuta illustrata.* 170
Ferrarius (*Octavius*) *notatus.* 453
Feudorum *conditio in Regno Neapolitano.* 256
Fideicommissa *quando exspirent?* 27
Fideicommissorum *natura explicata.* 26. *sqq.*
Fides *in Christum num necessaria omnibus, qui salvari cupiunt?* 66. *sqq.*
Filiarum *apud Ferrarienses dura conditio.* 173
Fixarum *Parallaxin inveniendi methodus.* 73. *sq.*
Flammæ *productio a commixtione duorum liquorum actu frigidorum.* 237
Flaviæ *cur dici urbs Longobardica amaverint?* 189
Flexilineum *quid in Geometria?* 378
Fluidorum *vis refractiva varia, ejusque causa arcana.* 409
Fluoris *albi remedium.* 182
Fluviorum *in terra status naturalis.* 13
Fluxus & *Refluxus maris unde?* 14
Fœdus *gratiæ ex mente Baxteri, sub examen vocatum.* 62. *sqq.*
Fœnus & *usuram num quid intersit?* 234
Fœtus *delineatio in ovulo.* 24
Fons *prope Camberium alternis fluens*

fluens & refluens. 197
Fontium *origo.* 14
- - *calor unde?* 14
Angliæ medicatorum indoles. 105. *sq.*
Fori, *qui in Circensibus ludis?* 452
Fortuna *Redux inter Deas Viales.* 458
Fossilium *natura explicata.* 9. *sqq.* 13
Foxi (*Johannis*) *Liber de schismate Anglicano.* 264
Frigus *morbificum.* 423
Fulminantis *Auri usus in febribus.* 178
Fungorum *origo.* 198
Fungus *typhoides tuberosus Melitensis.* 194
Galischinii, *primarii in Moscovia Ministri, fata.* 524. *sq.*
Gallicam *inter & Romanam Ecclesiam dissensiones.* 343
Gallieni *nummi explicati.* 92
Gallorum *moneta antiqua qualis?* 138. *sqq.*
Gamaliel *num Christianus factus?* 89
Ganglii *remedium.* 182
Ad Gangrænam *aquæ descriptio.* 179
Gentiles *num dici possint sub fœdere gratiæ fuisse?* 64. *sqq.*
num sine fide in Christum salvari possint? 66. *sqq.*
Gentilium *fides de futura corporum resurrectione.* 38. *sqq.*
Geodes *lapis quis?* 197
Geographiæ *universalis Elementa.* 336
Geometria *motus.* 164
Geometrico - *Harmonica linearum sectio.* 370. *sqq.*
Geometricorum *quorundam Problematum solutiones.* 374
De Germaniæ *Antiquæ Pagis Commentarius.* 470
Germanicæ *linguæ usus quando in actis publicis in Germania invaluerit?* 509
Germanorum *elogium.* 391
- - *in reducenda Automato-poëtica solertia.* 166
Globo *terraqueo quæ alterationes per diluvium acciderint?* 18
Glossarium *linguæ Teutonicæ veteris a Jo. Schiltero edendum.* 116
Glossopetræ *quid?* 10
- - - *animalium partes petrefactæ.* 197
Golnitius *notatus.* 538
Gonorrhœæ *remedium.* 182
Gothorum *stirpes duæ.* 504
Græcæ & *Latinæ Linguæ convenientia exemplis declarata.* 522
Græcæ *voces & dictiones explicatæ.* 315. *sqq.*
Gratiæ *fœdus, quale Baxterus sta-*

statuit, sub examen vocatum. 62. *sqq.*
Divinæ universalitas qualis? 63. *sqq.*
Gratiani *Decretum, opus hominis privati.* 213
Graviores *cur melancholici, quam læti?* 25
Gregorii *Nazianzeni error duos Cyprianos confundentis.* 294
Gregorius *Turonensis notatus.* 186
Grossi *Turonenses qui?* 189. *sq.*
Gothici *nummi.* 423
Gruterus *emendatus.* 454

Ad Hæmorrhagias *specificum.* 312
Hæredum *substitutorum conditio.* 26. *sqq.*
De Hæreticorum *Baptismo quæ fuerit Stephani Rom. Pont. sententia?* 296
Halæ (*Matthæi*) *elogium.* 56
Harduinus *notatus.* 95. 100. 492
Harmonico-*Geometrica Linearum Sectio.* 370. *sq.*
Helmontius *refutatus.* 83
Helvetiani *Tenaculi descriptio* 313
Helviorum *Alba quæ urbs?* 540
Hercules *inter Deos Viales.* 458
Hermæ *Pastor, liber genuinus.* 91
Herodis Antipæ *itineris Romam suscepti descriptio.* 202
Hierocles, *qui Christum cum Apollonio Thyanæo comparavit, quis?* 436. *sq.*
Hieronymi *patria quæ?* 310
Hieronymus *emendatus.* 95
ubi baptizatus? 310
S. Hilarii *Operum editiones variæ.* 49. *sqq.*
scripta genuina & supposititia. 49. *sqq.*
Doctrina vindicata. 52
Historia *Salisburgensis.* 1. *sqq.*
naturalis Telluris. 7. *sqq.*
provinciæ Bituricensis in Gallia. 33
Ecclesiastica a variis erroribus repurgata. 88. *sqq.*
Ducis Albani. 431
urbis Palmyræ. 89. *sqq.*
Normanniæ. 117
Monasterii S. Benedicti intra Padum & Larionem. 131. *sqq.*
Mathildis. 132. *sqq.*
Evangelica per Judaicam & Romanam confirmata. 200. *sqq.*
Ambrosduni. 223
urbis Tergesti. 307
Seculi XVI. 335
rerum Orcadensium. 337
Conciliorum Universalium. 342

Basilii Magni. 348
S. Antonii de Padua. 349
Canonicorum. 355. *sqq.*
Regum Angliæ, Jacobi I, Caroli I & II, Jacobi II. 380
Visbeccensis Virginum Collegii. 472
Peruviæ ab Hispanis occupatæ. 505
Moscoviæ ab A. 1682 ad A. 1669. 524. *sq.*
Poloniæ ab A. 1662. ad A. 1669. 529. *sqq.*
Ordinum Religiosorum. 532
Militarium. 534
Urbium Occitaniæ. 536
Historicorum *Anglicorum Ecclesiasticorum recensus.* 257. *sqq.*
Hookii *inventa circa Pendula Horologiorum.* 170
Horologiis *aptatorum pendulorum inventor quis?* 170
Horologiopœia. 168. *sq.*
Horatius, *Juvenalis, Persius, inter se comparati.* 515
In Hoseam *Commentarius.* 323
Hugenii *circa pendula Horologiorum inventa.* 170
Humorum *in corpore nostro fermentatio adstructa.* 322
Hydrophobia *non tantum a morsu canis, sed & hominis.* 107
- - *cur insanabilis?* 108
In Hydrophobia *maxime afficitur saliva.* 107
Hydrophobiæ *remedia.* 107
Hydropis *frequentia in Anglia unde?* 103
- - *remedia.* 103. 104
- - *remedia inter locum non habet vinum emeticum.* 104
Hymni, Te Deum laudamus, *auctores.* 162
Hystericæ *affectionis remedia.* 181
- - *fœminæ cur graveolentia magis ferre possint, quam suaveolentia?* 466
De Jacobo *I Angliæ Rege judicium.* 380
Jaribolus *quodnam Syris nomen?* 102
Jejunii *ad Ebræos ritus expositio* 20
Per Ignem *transitio liberorum Levit. XVIII, quid?* 378
Ignis *subterranei effectus.* 14
Judæorum perpetui cum perpetuo Romanorum igne comparatio. 377
- - *productio a commixtione duorum liquorum actu frigidorum.* 227
De Imaginum *cultu diversorum Conciliorum decreta conciliata.* 344
Imperatricis *Romanæ jura.* 353
Imperatorum *Romanorum jus supremum assertum.* 351. *sqq.*
Imperii Rom. Germ. *quæ forma?* 212
Indorum *Rex quotannis ponderatus.* 448. *sq.*

Regis mores. 448. *sq.*
Infernalis *pœna asserta.* 281
Innocentii *XI & XII Pontificum elogium.* 44. 45
Incrassantium *medicamentorum operandi modus.* 468
Inscriptio *Syriaca.* 97
Inscriptiones *explicatæ.* 36
illustratæ. 496
Palmyrenorum explicatæ. 101
in agro Patavino obviæ illustratæ. 172
ineditæ illustratæ. 457
Erga Insecta *mirus quorundam populorum affectus.* 448
Insectorum *utilitas.* 419
Insectum *muscarum.* 80
Intestinorum *structura in animalibus diversa.* 152
S. Joannæ *insula incolarum mores.* 447
Joannes Baptista *quo tempore prædicare cœperit?* 202
Joannis Casimiri *Poloniæ Regis Historia.* 529. *sq.*
Josaphat, *vallis Joël, III. 4. ubi?* 325
Irenæus *num suo tempore unicus fuerit per Galliam Episcopus?* 243
num immortalitatem animarum negaverit? 243
num Latine scripserit? 393
Iridis *rationes phænomena, dimensiones & colores.* 78. 403
Iter *Surattam A. 1689 susceptum.* 446 *sq.*
Jubilæus *apud Judæos annus num quadragesimus nonus, an quinquagesimus?* 379
Judæi *septuaginta-viralem V. T. versionem corruperunt.* 141
num ad Christianam fidem adhuc convertendi? 414
Judæorum *de Resurrectione doctrina.* 39
Julapæ *præstantia & usus.* 430
Juniperi *oleum geminum oleo succini.* 196
Jurare *manu tertia, quarta, &c. quid?* 214
Jus *Publicum Germaniæ explicatum.* 209
Cæsareum. 351. *sqq.*
Justiniani *Novellæ emendatæ.* 493
Justini *Martyris cum Tryphone Judæo dialogus sitne genuinus, an supposititius?* 443. *sqq.*
Justinus *Martyr quis fuerit?* 95 *Sect. II.*
fueritne Chiliasta? 443
Juvenalis *cum Horatio & Persio comparatus.* 515

Lactantii *vita.* 476
scripta. 477
Lactantius *ex Africane an Italia*

lia fuerit oriundus? 476
Lactis *Secretio.* 25
Læti *cur minus graves, quam melancholici?* 25
Lami (*Bernardus*) *refutatus.* 96. 349. *sqq.*
Lapides *jam existentes num orti in creatione mundi?* 13
Lapis *di Cobras, artificialis.* 194
- - *Geodes.* 197
Latii *jus a jure civitatis Romanæ diversum.* 491
Italico diversum. 493
Latinæ *Græcæque linguæ convenientia exemplis declarata.* 522
Latinitatis *corruptæ exempla.* 428
Lepræ *remedium, vinum viperinum.* 180
In Leviticum *commentarius.* 376
Lex Lecta 40. *ff. de R. C. illustrata.* 219. *sqq.* 237
Libellatici *proprie qui fuerint?* 249
Lienis *usus.* 24
Lignum *fossile unde?* 13
Lineæ *phantasticæ & Flexilineæ quæ?*
Linearum *Sectio Geometrico-Harmonica.* 370. *sq.*
Per Lineas *Curvas Sectio Anguli rectilinei in quotvis partes æquales.* 371
Lionnii (*Hugonis*) *supremi in Gallia status administri vita.* 528
Lipsius *notatus.* 499
Liquidum *quomodo nonnulli potatores aquæ fere celeriter, ac biberunt, excernant?* 24
Ex Liquorum *duorum actu frigidorum commixtione productio ignis & flammæ.* 227
De Litania *Anglicana contentiones.* 271
De Livii *stylo judicium.* 429
Lubomirskii (*Georgii*) *fata.* 530. *sq.*
Lucas *Evangelista quis fuerit?* 92
Lucianus *emendatus.* 521. *sqq.*
Lucianus *Presbyter Antiochenus & Martyr, fueritne Arianus?* 442
Lucilla *Donatiani fœtus obstetrix.* 473. *sq.*
Ludovici *Sancti Galliæ Regis nummi illustrati.* 189. *sq.*
De Ludovico *Saltatore fabula.* 512
Ludovicus *cur olim Hludovicus?* 187
Ludovicus *XIV Rex Galliæ cum Philippo Augusto G. R. comparatus.* 117
Luis *Venereæ remedia.* 181
- - - *origo, causæ, symptomata & curatio.* 109
Lymphæ *pars aliqua an in pulmonibus ab aëre secernatur?* 168

Ma-

MAbillonii *Acta quædam in Tomo III Analectorum suppositìtia.* 440
Magliabechii (*Antonii*) *elogium.* 367. 424
Magnes *ut ad Dei cognitionem nos deducat?* 57. *sqq.*
Mahometis *libido.* 216
Mahometis *fraudes, quibus in stabilienda nova religione usus est.* 215. *sq.*
Malembensium *Afrorum instituta & mores.* 447
Manasses Ben Israel *refutatus.* 39
Mammarum *cancri exulcerati remedium.* 179
Manna *medicinalis nihil aliud quam lachryma Orni.* 194
Mansus *quid?* 282
Manumissionis *modi varii.* 285
Marcellinus *Romanus Episcopus num idolis sacrificaverit?* 438
Marcionis *hæresis quo tempore exorta?* 444. *sq.*
Marcus *Evangelista quis?* 90
Maria Magdalena *a Maria sorore Marthæ, & peccatrice magna diversa.* 340. *sqq.*
Marina *corpora quomodo in visceribus terræ fuerint recondita?* 9. *sqq.*
- - - - - - *in terra recondita pro veris fossilibus num habenda?* 10
Maris *fluxus & refluxus unde?* 14
- - *salsedo.* 14
Marmor *antiquum illustratum.* 218
Marsupialis *Americani Anatome.* 149
- - - - - - *cauda insigne medicamentum.* 159
Martialis *illustratus.* 454
Masnadæ *unde dicti, & qui?* 282. *sqq.*
Masticatio *quomodo fiat?* 23
Masticatoriorum *operandi ratio.* 467
Mathildis *conjugia & res gestæ.* 132. *sq.*
Matthæus *Parisiensis notatus.* 118
Mausolea *Romana & Etrusca.* 382
Maximus *num in depositionem Athanasii consenserit?* 481
Mechanicæ *systema.* 97. *sqq.*
Medicamentorum *operandi ratio.* 464
- - - - - - *rite adhibendorum modus.* 465
Medici *ab Atheismi infamia vindicati.* 420. *sq.*
Melancholici & *tristes cur graviores lætis?* 25
Mendacium *num aliquando licitum?* 327
in quo maxime juri Naturæ repugnet? 329
Menses *mulierum a plethora.* 25

- - *fortuitas habent periodos.* 25
Mercatorii *libri ut probent apud Ferrarienses?* 172
Mercurius *Philosophorum.* 422
Merovingicæ *stirpis Galliæ Regum nummi.* 186
Mesenterium *in Marsupiali Americano duplex.* 141
Metallorum *origo.* 15. 17
- - *transmutatio impossibilis.* 17
Methodus *inveniendi momenti ingressus Solis in signa Tropica.* 218
- - *Parallaxin Fixarum.* 73. *sqq.*
Meursius *notatus.* 218
Microcosmus *fictione a Macrocosmo desumta illustratus.* 602. *sqq.*
Militarium *Ordinum Historiæ.* 534
Millennium *Apol. XX quale?* 414. *sq.*
Minerales *succi quid?* 17
Mineralia *conchyliorum speciem exhibentia unde?* 9
Mineralium *origo.* 15. 17
Miracula *Christi vindicata.* 276
Mirpa *quid in inscriptione quadam apud Gruterum?* 496. *sq.*
Misniæ *nova editio.* 238
variæ versiones. 239
Molecho *liberos per ignem traducere, & sacrificare, diversa sunt.* 378
Monachatum *professi cur nomen mutaverint?* 213
Monachi *ut curata officia Canonicis propria occupaverint?* 358
Monasterii *S. Benedicti inter Padum & Larionem Historia.* 131. *sqq.*
Monasteriorum *Angliæ Historia.* 266
Monastici *Anglicani censura.* 72
Monetæ *quæ olim in Francia ratio?* 183. *sqq.*
Monogrammate *quando insigniri apud Francos nummi cœperint?* 189
Montanistæ *cur Phrygii dicti?* 96. *sect.* 2
Montispessulanensis *urbis origo.* 537
- - - *Episcopatus origo.* 537
- - - *Academiæ origo.* 538
Montium *origo.* 12. *sq.*
Morborum *causæ procatharctica.* 82
Moratores *qui apud Romanos?* 453
Morinus *refutatus.* 250. *sq.*
Mortuos *damnare num liceat?* 346
Moscoviæ *Historia ab A. 1682 ad A. 1689.* 524
Mosis *de creatione mundi historia*

ex-

explicata. 138. *sq.*
- - *peritia Chymica.* 422
Motus *Geometria.* 164
Mundi *creatio ex revelatione Mosis explicata.* 138. *sq.*
Muscarum *insectum.* 80
Musculi *vox quo sensu in Botanica locum habeat?* 79
Musculorum *motus unde?* 24
Musivum *pavimentum Romæ e piscina publica nuper erutum.* 383. *sq.*
NApus, *radix Norvegica.* 195
Narcotianorum *operandi ratio.* 468. 502
Neapolitani *Regni Ærarium & vectigalia.* 256
Nebula *vestis servilis species.* 284
Nemausi *urbis origo & antiquitates.* 538
Neomeniæ *Judæis binæ.* 205
Neptunus *Redux.* 458
A Nervis, *an ab Arteriis succus nutritius?* 226
Nervosus *succus exprimento probatus.* 24
Nicæno *Concilio num Osius tanquam legatus Romani Pontificis interfuerit?* 483
Nicephorus *notatus.* 93. *Sect.* 3.
Nicotianæ *decoctum aliquando noxium.* 334
Nitr[illegible]num *turgidus aer?* 75
S. Norberti *vita & translationes.* 291
Normanniæ *Historia.* 117
Norvagiæ *Regum jus in Orcadenses insulas.* 338. *sq.*
Novatianorum *Episcopi num iterum fuerint ordinandi, postquam ad Ecclesiam Catholicam reversi essent?* 250
Novatianum *schisma quando cœperit?* 249
Novilunia *Judæis duo.* 205
Numi *Gallieni explicati.* 92. *sect. III.*
- - *Vaballathi illustrati.* 100
- - *Gothici.* 423. *sq.*
- - *apud Gallos quales olim?* 183. *sq.*
Nummus *explicatus.* 538
OCcitaniæ *urbium descriptio.* 536. *sqq.*
Pro Oculis *remedium singulare.* 179
Odenathi *Augusti Historia illustrata.* 92. *Sect. III.*
Odenathus *idem qui Ignatius.* 98
Odoacer *Rex Herulorum, Gothus origine.* 505
Officii *Canonici in Ecclesia Orientali Græcorum descriptio.* 350
Olei *Terebinthinæ vis refractiva.* 411
Oleum *juniperi geminum oleo succini.* 196
Opii *operandi ratio.* 502
- - *non omnis præparatio in quolibet morbo apta.* 503

- - *fortuitas habent periodos.* 25
Mercatorii *libri ut probent apud Ferrarienses?* 172
Mercurius *Philosophorum.* 422
Merovingicæ *stirpis Galliæ Regum nummi.* 186
Mesenterium *in Marsupiali Americano duplex.* 141
Metallorum *origo.* 15. 17
- - *transmutatio impossibilis.* 17
Methodus *inveniendi momenti ingressus Solis in signa Tropica.* 218
- - *Parallaxin Fixarum.* 73. *sqq.*
Meursius *notatus.* 218
Microcosmus *fictione a Macrocosmo desumta illustratus.* 602. *sqq.*
Militarium *Ordinum Historia.* 534
Millennium *Apol. XX quale?* 414. *sq.*
Minerales *succi quid?* 17
Mineralia *conchyliorum speciem exhibentia unde?* 9
Mineralium *origo.* 15. 17
Miracula *Christi vindicata.* 276
Mirpa *quid in inscriptione quadam apud Gruterum?* 496. *sq.*
Misniæ *nova editio.* 238
variæ versiones. 239
Molecho *liberos per ignem traducere, & sacrificare, diversa sunt.* 378
Monachatum *professi cur nomen mutaverint?* 213
Monachi *ut curata officia Canonicis propria occupaverint?* 358
Monasterii *S. Benedicti inter Padum & Larionem Historia.* 131. *sqq.*
Monasteriorum *Angliæ Historia.* 266
Monastici *Anglicani censura.* 72
Monetæ *quæ olim in Francia ratio?* 183. *sqq.*
Monogrammate *quando insigniri apud Francos nummi cœperint?* 189
Montanistæ *cur Phrygii dicti?* 96. *sect.* 2
Montispessulanensis *urbis origo.* 537
- - - *Episcopatus origo.* 537
- - - *Academiæ origo.* 538
Montium *origo.* 12. *sq.*
Morborum *causæ procatharcticæ.* 82
Moratores *qui apud Romanos?* 453
Morinus *refutatus.* 250. *sq.*
Mortuos *damnare num liceat?* 346
Moscoviæ *Historia ab A. 1682 ad A. 1689.* 524
Mosis *de creatione mundi historia ex-*

explicata. 138. *sq.*
- - *peritia Chymica.* 422
Motus *Geometria.* 164
Mundi *creatio ex revelatione Mosis explicata.* 138. *sq.*
Muscarum *insectum.* 80
Musculi *vox quo sensu in Botanico locum habeat?* 79
Musculorum *motus unde?* 24
Musivum *pavimentum Romæ e piscina publica nuper erutum.* 383. *sq.*
NAput, *radix Norvegica.* 195
Narcotianorum *operandi ratio.* 468. 502
Neapolitani *Regni Ærarium & vectigalia.* 256
Nebula *vestis servilis species.* 284
Nemausi *urbis origo & antiquitates.* 538
Neomeniæ *Judæis binæ.* 205
Neptunus *Redux.* 458
A Nervis, *an ab Arteriis succus nutritius?* 226
Nervosus *succus exprimento probatus.* 24
Nicæno *Concilio num Osius tanquam legatus Romani Pontificis interfuerit?* 483
Nicephorus *notatus.* 93. *Sect. 3.*
Nicotianæ *decoctum aliquando noxium.* 334
Nitr[illegible]num *turgidus aer?* 75
S. Norberti *vita & translationes.* 291
Normanniæ *Historia.* 117
Norvagiæ *Regum jus in Orcadenses insulas.* 338. *sq.*
Novatianorum *Episcopi num iterum fuerint ordinandi, postquam ad Ecclesiam Catholicam reversi essent?* 250
Novatianum *schisma quando cœperit?* 249
Novilunia *Judæis duo.* 205
Numi *Gallieni explicati.* 92. *sect. III.*
- - *Vaballathi illustrati.* 100
- - *Gothici.* 423. *sq.*
- - *apud Gallos quales olim?* 183. *sq.*
Nummus *explicatus.* 538
OCcitaniæ *urbium descriptio.* 536. *sqq.*
Pro Oculis *remedium singulare.* 179
Odenathi *Augusti Historia illustrata.* 92. *Sect. III.*
Odenathus *idem qui Ignatius.* 98
Odoacer *Rex Herulorum, Gothus origine.* 505
Officii *Canonici in Ecclesia Orientali Græcorum descriptio.* 350
Olei *Terebinthinæ vis refractiva.* 411
Oleum *juniperi geminum oleo succini.* 196
Opii *operandi ratio.* 502
- - *non omnis præparatio in quolibet morbo apta.* 503

cor-

- - *correctores.* 333
Ex Opio *nullæ Panacea.* 502
Ophir, *quo classis Salomonis navigavit, ubi?* 137
Optati *Milevitani error excusatus.* 475
Orbis *ficta perlustratio hominis notitiam virtutumque præcepta exhibens.* 602. *sqq.*
Orcadum *Historia.* 337
Ordinum *Militarium Historia.* 532
- - *Religiosorum Historia.* 532
Origenes *num auctor sit libri de Salute Divitum, qui Clementi Alexandrino solet tribui?* 245
- - *num auctor sit dialogorum contra Marcionem.* 251
- - *num aliquando idolis sacrificaverit?* 252
Ortelius *notatus.* 541
Osius *num tanquam legatus Romani Pontificis concilio Nicano interfuerit?* 483
Ovidius *illustratus.* 454
In Ovulo *delineatio fœtus.* 24
Ovum *in Tuba Fallopiana fœminini cadaveris dissecti repertum.* 45
Oxoniensem & *Cantabrigiensem Academias inter æmulatio.* 267

Pactorum *juris stricti contractibus in continenti adjectorum quæ vis?* 223. 238
Pagani *quomodo dies gentiles ceperint?* 441
De Pagis *Germaniæ Antiquæ Commentarius.* 470
Palatinatus *Saxoniæ origo.* 510
Palatinorum *in Germania origo & munus.* 510
Palmerius *refutatus.* 523
Palmyra *unde dicta?* 95
- - *quando facta a Romanis colonia?* 95
Palmyræ *urbis Historia & Antiquitates.* 89. *sqq.*
Panaceæ *ex Opio non expectandæ.* 502
Paludes *num semper halitus emittant humano corpori noxios?* 165
Panvinius *notatus.* 452. 454
Papillarum *ulceratarum remedium.* 180
Parallaxin *Fixarum inveniendi methodus.* 73. *sq.*
Pascha *postremum quo die a Christo celebratum?* 205
Paschatis *apud Christianos festum num tempore passionis, an resurrectionis Dominicæ, an utroque, fuerit celebratum?* 244. *sq.*
Pastellus *quid?* 213
Patavini *agri inscriptiones.* 172
De Patino *(Guidone) judicium.* 385
Patricii *(Francisci) Res militaris Romana in Latinam linguam tra-*

traducta. 456
Pauli *JCti Lex Lecta 40. ff. de R.C. illustrata.* 220. 237
Pauli *Samosateni doctrina quæ fuerit?* 298
Paulus *Apostolus unde civis Romanus?* 492
Peccatrix *magna Lucæ VII quænam fuerit?* 342
De Peirerio (*Isaaco*) *judicium.* 388
Pelicanus *quomodo cutim aere repleat, seque leviorem reddat?* 81
Pendulorum *Horologiis aptatorum inventor quis?* 170
Persius *cum Juvenali & Horatio comparatus.* 515
Petavius *refutatus.* 435
Petrarchæ (*Francisci*) *sepulcrum, ejusque inscriptio.* 173
Peruviæ *ab Hispanis occupatæ Historia.* 505
Peruviani *Corticis exhibendi modus & tempus.* 108
In Peste *venæsectioni locus.* 84
Pestilentiales *bubones quomodo maturandi?* 178
Peucerus (*Casparus*) *notatus.* 511
Pezronius *refutatus.* 340. *sqq.*
Phantasticæ *lineæ quæ?* 375
Philippus Augustus, *Rex Galliæ, comparatus cum Ludovico XIV.* 117
Philippus, *qui Samariæ docuit, non fuit Apostolus.* 90
Phosphori *novi præparatio.* 81
Physici *qui Montanistis?* 247
Pistacii *maris vires.* 198
Plantarum *vires ex earum signatura cognoscendæ.* 195
- - *nonnullarum effectus singulares.* 196
- - - *effluvia prodigiosa.* 196
- - *marinarum imperfectarum origo.* 198
A Plethora *menses mulierum.* 25
Poëmata *Thomæ Cevæ.* 423. *sqq.*
Poëseos *utilitas asserta.* 426
Poëticus *stylus prosæ orationi parum conveniens.* 428
Pœnitentiæ *apud Ebræos ritus.* 21
Politianus *defensus.* 394
Poloniæ *Historia ab A. 1662. ad A 1669.* 529. *sq.*
Polycarpus *quando martyrio affectus?* 95. *Sect.* I.
Polygamia *num licita?* 280
Pontiopolitani *monasterii origo & dignatio.* 541
Præcentores *in Synagoga qui?* 19 *sq.*
Præmonstratentes *num veri Canonici?* 358
Preces *ad Deum vindicatæ.* 279
Principes *Imperii R. G. num in testamentis condendis teneantur legum Romanarum decretis?* 24
Processus *forensis apud Ferrarienses.* 172
Procopius *notatus.* 186
Prophetarum *vaticinia de genti-*

tilium vocatione impleta. 274
Pruritus *ani, testiculorum &c. remedium.* 180
Ptolemæus *notatus.* 231
Pufendorfius *refutatus.* 327
In Pulmonibus *num pars aliqua lymphæ ab aere secernatur?* 168
Punices *lapides num omnes a Vulcano eructati?* 197
Purgantia *num in malignis febribus adhibenda?* 321
Purgantium *operandi ratio.* 467
QUercetanus *notatus.* 540
Quesnellius *refutatus.* 243
Quintilius Varus *Syriæ superioris, cum Christus nasceretur, Præses.* 201
RAchitidi *veronica mas medetur.* 179
Radix *Norvegica Naput quæ?* 195
Refractiva *vis fluidorum varia, ejusque causa arcana.* 409
- - *vis Adamantis.* 411
- - *vis olei Terebinthinæ.* 411
Reinesius *notatus.* 496. *sq*
Religio *Mahometana quibus fraudibus fuerit stabilita?* 215. *sq.*
Religionis *falsæ indicia.* 217
Christianæ veritas asserta. 217. 273 *sqq.*
Religiosorum *Ordinum Historia.* 532
Reservata *Imperatoris ac Regis Romanorum explicata.* 53
Reservationum *mentalium moralitas.* 330
Sine Respiratione *cur testudo diu vivere possit?* 76
Respirationis *causa.* 25
Resurrectio *corporum asserta.* 37. *sqq.*
Romanarum *Antiquitatum Thesaurus.* 450. 455. 490. 498
Romano-Germanici *Imperii Jus Publicum.* 209
Romano-Germanicum *Imperium quando sacrum dici cœperit?* 210
Romanorum *via publica illustrata.* 455. 457
- - *civium diversa conditio.* 490
Rubigus *quodnam Numen?* 284
Ruffinus *defensus.* 479. *sq.*
S. Ruperti *ætas & vita.* 2. *sq.*
Rusticorum *apud Ferrarienses privilegium.* 172
SAbbathicus *apud Judæos annus a Jubilæo diversus.* 379
Sacrificia *Gentilium cum sacrificiis a Mose institutis comparata.* 377
Sal *Armoniacum varii usus.* 333
- - *ex destillatione Acidularum quale?* 398
- - *Nitrosum Armoniacum a Sale Salso-Muriatico diversum.* 399
Salibus *volatilibus, non nitro, turgidus aer.* 75
Salium *diversorum concretio in cry-*

cryftallos diverfa. 399
Salisburgenfis *Hiftoria.* 1. *fqq.*
Salivatio *in oculi procidentia cum fucceffu inftituta.* 181
Salmafius *notatus.* 454
- *emendatus.* 496
Salomon *Tadmoris feu Palmyra conditor, aut reftaurator.* 90
Salomonis *claffis quorfum navigaverit?* 136
Salus *æterna num cuiquam fine fide in Chriftum obtingere poffit?* 66. *fqq.*
Sanctorum *Vitæ.* 290. 348
Sanderi (*Nicolai*) *liber de Schifmate Anglicano.* 264
Sandius *notatus.* 296
Sanguineæ *maffæ principia conftitutiva.* 24
Sanguinis *arteriofi motus a corde.* 23
- - *calor unde?* 23
- - *circulatio quomodo ab aere adjuvetur?* 77
Sanguis, *anferum, nutriat?* 113
Saporum *harmonia & ab aftris dependentia.* 148
Sarcoceles *fpecificum.* 179
Satiræ *origo ac progreffus.* 514. *fq.*
- - *genuina indoles.* 517
Saxoniæ *Palatinatus origo,* 510
Scabiei *humidæ remedium.* 180
Schefferus *notatus.* 317
Schelii (*Radbodi Hermanni*) *elogium.* 459
Scorbuti *caufa.* 110
- - *remedium.* 111
Scotiæ *Regno quando & quo jure Orcades acceſſerint?* 339
Scripturæ *S. loca illuftrata.*
Gen. I. 138. fq.
III. 15. 63
Levit. I. 9. 377
VI. 13. 377
IX. 14. 377
XVII. 21. 378
XX. 2. 378
Deuter. VIII. 4. 235
I. Sam. XX. 5. 25. 27. 206
Pfalm. II. 7. 518
Joël. III. 4. 325
Amos III. 6. 326
Obad. v. 20. 326
Jon. I. 3. 326
Luc. II. 2. 201
VII. 34. 89
- 37. 341
Act. II. 23. 518
X. 35. 66
Rom. XI. 414
I. Cor. V. 9. 140
Jac. IV. 5. 140
Apoc. XX. 414
Scripturæ *S. perfectio afferta.* 135. *fqq.*
- - *Veteris Teftamenti verfio feptuaginta-viralis cur a textu Hebraico fubinde diffentiat?* 141
- - *veritas afferta.* 273 *fqq.*
Scultetus *adverfus Benedictinos defenfus.* 52
Secretionis *in animalibus mechanica.* 24
Sectio *Anguli rectilinei in quotvis*

Basilii Magni. 348
S. Antonii de Padua. 349
Canonicorum. 355. *sqq.*
Regum Angliæ, Jacobi I, Caroli I & II, Jacobi II. 380
Visbeccensis Virginum Collegii. 472
Peruviæ ab Hispanis occupatæ. 505
Moscoviæ ab A. 1682 ad A. 1669. 524. *sq.*
Poloniæ ab A. 1662. ad A. 1669. 529. *sqq.*
Ordinum Religiosorum. 532
Militarium. 534
Urbium Occitaniæ. 536
Historicorum *Anglicorum Ecclesiasticorum recensus.* 257. *sqq.*
Hookii *inventa circa Pendula Horologiorum.* 170
Horologiis *aptatorum pendulorum inventor quis?* 170
Horologiopœia. 168. *sq.*
Horatius, *Juvenalis, Persius, inter se comparati.* 515
In Hoseam *Commentarius.* 323
Hugenii *circa pendula Horologiorum inventa.* 170
Humorum *in corpore nostro fermentatio adstructa.* 322
Hydrophobia *non tantum a morsu canis, sed & hominis.* 107
- - *cur insanabilis?* 108
In Hydrophobia *maxime afficitur saliva.* 107
Hydrophobiæ *remedia.* 107
Hydropis *frequentia in Angliæ unde?* 103
- - *remedia.* 103. 104
- - *remedia inter locum non habet vinum emeticum.* 104
Hymni, Te Deum laudamus, *auctores.* 162
Hystericæ *affectionis remedia.* 181
- - *fœminæ cur graveolentia magis ferre possint, quam suaveolentia?* 466
De Jacobo *I Angliæ Rege judicium.* 380
Jaribolus *quodnam Syris nomen?* 102
Jejunii *ad Ebræos ritus expositio* 20
Per Ignem *transitio liberorum Levit. XVIII, quid?* 378
Ignis *subterranei effectus.* 14
Judæorum perpetui cum perpetuo Romanorum igne comparatio. 377
- - *productio a commixtione duorum liquorum actu frigidorum.* 227
De Imaginum *cultu diversorum Conciliorum decreta conciliata.* 344
Imperatricis *Romanæ jura.* 353
Imperatorum *Romanorum jus supremum assertum.* 351. *sqq.*
Imperii Rom. Germ. *quæ forma?* 212
Indorum *Rex quotannis ponderatur.* 448. *sq.*

Re-

Regis mores. 448. *sq.*
Infernalis *pœna asserta.* 281
Innocentii *XI & XII Pontificum elogium.* 44. 45
Incrassantium *medicamentorum operandi modus.* 468
Inscriptio *Syriaca.* 97
Inscriptiones *explicatæ.* 36
illustratæ. 496
Palmyrenorum explicatæ. 101
in agro Patavino obviæ illustratæ. 172
ineditæ illustratæ. 457
Erga Insecta *mirus quorundam populorum affectus.* 448
Insectorum *utilitas.* 419
Insectum *muscarum.* 80
Intestinorum *structura in animalibus diversa.* 152
S. Joannæ *insulæ incolarum mores.* 447
Joannes Baptista *quo tempore prædicare cœperit?* 202
Joannis Casimiri *Poloniæ Regis Historia.* 529. *sq.*
Josaphat, *vallis Joël, III. 4. ubi?* 325
Irenæus *num suo tempore unicus fuerit per Galliam Episcopus?* 243
num immortalitatem animarum negaverit? 243
num Latine scripserit? 393
Iridis *rationes phænomena, dimensiones & colores.* 78. 403
Iter *Surattam A. 1689 susceptum.* 446 *sq.*
Jubilæus *apud Judæos annus num quadragesimus nonus, an quinquagesimus?* 379
Judæi *septuaginta-viralem V. T. versionem corruperunt.* 141
num ad Christianam fidem adhuc convertendi? 414
Judæorum *de Resurrectione doctrina.* 39
Julapæ *præstantia & usus.* 430
Juniperi *oleum geminum oleo succini.* 196
Jurare *manu tertia, quarta, &c. quid?* 214
Jus *Publicum Germaniæ explicatum.* 209
Cæsareum. 351. *sqq.*
Justiniani *Novellæ emendatæ.* 493
Justini *Martyris cum Tryphone Judæo dialogus sitne genuinus, an supposititius?* 443. *sqq.*
Justinus *Martyr quis fuerit?* 95 *Sect. II.*
fueritne Chiliasta? 443
Juvenalis *cum Horatio & Persio comparatus.* 515

Lactantii *vita.* 476
scripta. 477
Lactantius *ex Africane an Italia*

lia fuerit oriundus? 476
Lactis *Secretio.* 25
Læti *cur minus graves, quam melancholici?* 25
Lami (*Bernardus*) *refutatus.* 96. 349. *sqq.*
Lapides *jam existentes num orti in creatione mundi?* 13
Lapis *di Cobras, artificialis.* 194
- - *Geodes.* 197
Latii *jus a jure civitatis Romanæ diversum.* 491
Italico diversum. 493
Latinæ *Græcaque linguæ convenientia exemplis declarata.* 522
Latinitatis *corruptæ exempla.* 428
Lepræ *remedium, vinum viperinum.* 180
In Leviticum *commentarius.* 376
Lex Lecta 40. *ff. de R. C. illustrata.* 219. *sqq.* 237
Libellatici *proprie qui fuerint?* 249
Lienis *usus.* 24
Lignum *fossile unde?* 13
Lineæ *phantasticæ & Flexilineæ quæ?*
Linearum *Sectio Geometrico-Harmonica.* 370. *sq.*
Per Lineas *Curvas Sectio Anguli rectilinei in quotvis partes æquales.* 371
Lionnii (*Hugonis*) *supremi in Gallia status administri vita.* 528
Lipsius *notatus.* 499
Liquidum *quomodo nonnulli potatores æque fere celeriter, ac biberunt, excernant?* 24
Ex Liquorum *duorum actu frigidorum commixtione productio ignis & flammæ.* 227
De Litania *Anglicana contentiones.* 271
De Livii *stylo judicium.* 429
Lubomirskii (*Georgii*) *fata.* 530. *sq.*
Lucas *Evangelista quis fuerit?* 92
Lucianus *emendatus.* 521. *sqq.*
Lucianus. *Presbyter Antiochenus & Martyr, fueritne Arianus?* 442
Lucilla *Donatiani fœtus obstetrix.* 473. *sq.*
Ludovici *Sancti Galliæ Regis nummi illustrati.* 189. *sq.*
De Ludovico *Saltatore fabula.* 512
Ludovicus *cur olim Hludovicus?* 187
Ludovicus *XIV Rex Galliæ cum Philippo Augusto G. R. comparatus.* 117
Luis *Venereæ remedia.* 181
- - - *origo, causa, symptomata & curatio.* 109
Lymphæ *pars aliqua an in pulmonibus ab aëre secernatur?* 168

Ma-

MAbillonii *Acta quadam in Tomo III Analectorum suppositititia.* 440
Magliabechii (*Antonii*) *elogium.* 367. 424
Magnes *ut ad Dei cognitionem nos deducat?* 57. *sqq.*
Mahometis *libido.* 216
Mahometis *fraudes, quibus in stabilienda nova religione usus est.* 215. *sq.*
Malembensium *Afrorum instituta & mores.* 447
Manasses Ben Israel *refutatus.* 39
Mammarum *cancri exulcerati remedium.* 179
Manna *medicinalis nibil aliud quam lachryma Orni.* 194
Mansus *quid?* 282
Manumissionis *modi varii.* 285
Marcellinus *Romanus Episcopus num idolis sacrificaverit?* 438
Marcionis *hæresis quo tempore exorta?* 444. *sq.*
Marcus *Evangelista quis?* 90
Maria Magdalena *a Maria sorore Martha, & peccatrice magna diversa.* 340. *sqq.*
Marina *corpora quomodo in visceribus terræ fuerint recondita?* 9. *sqq.*
- - - - - - *in terra recondita pro veris fossilibus num habenda?* 10
Maris *fluxus & refluxus unde?* 14
- - *salsedo.* 14
Marmor *antiquum illustratum.* 218
Marsupialis *Americani Anatome.* 149
- - - - - - *cauda insigne medicamentum.* 159
Martialis *illustratus.* 454
Masnadæ *unde dicti, & qui?* 282. *sqq.*
Masticatio *quomodo fiat?* 23
Masticatoriorum *operandi ratio.* 467
Mathildis *conjugia & res gestæ.* 132. *sq.*
Matthæus *Parisiensis notatus.* 118
Mausolea *Romana & Etrusca.* 382
Maximus *num in depositionem Athanasii consenserit?* 481
Mechanicæ *systema.* 97. *sqq.*
Medicamentorum *operandi ratio.* 464
- - - - - *rite adhibendorum modus.* 465
Medici *ab Atheismi infamia vindicati.* 420. *sq.*
Melancholici & *tristes cur graviores lætis?* 25
Mendacium *num aliquando licitum?* 327
in quo maxime juri Naturæ repugnet? 329
Menses *mulierum a plethora.* 25

explicata. 138. *sq.*
- - *peritia Chymica.* 422
Motus *Geometria.* 164
Mundi *creatio ex revelatione Mosis explicata.* 138. *sq.*
Muscarum *insectum.* 80
Musculi *vox quo sensu in Botanica locum habeat?* 79
Musculorum *motus unde?* 24
Musivum *pavimentum Romæ e piscina publica nuper erutum.* 383. *sq.*
NApus, *radix Norvegica.* 195
Narcotianorum *operandi ratio.* 468. 502
Neapolitani *Regni Ærarinm & vectigalia.* 256
Nebula *vestis servilis species.* 284
Nemausi *urbis origo & antiquitates.* 538
Neomeniæ *Judæis binæ.* 205
Neptunus *Redux.* 458
A Nervis, *an ab Arteriis succus nutritius?* 226
Nervosus *succus exprimento probatus.* 24
Nicæno *Concilio num Osius tanquam legatus Romani Pontificis interfuerit?* 483
Nicephorus *notatus.* 93. *Sect. 3.*
Nicotianæ *decoctum aliquando noxium.* 334
Nitr●num *turgidus aer?* 75
S. Norberti *vita & translationes.* 291
Normanniæ *Historia.* 117
Norvagiæ *Regum jus in Orcadenses insulas.* 338. *sq.*
Novatianorum *Episcopi num iterum fuerint ordinandi, postquam ad Ecclesiam Catholicam reversi essent?* 250
Novatianum *schisma quando cœperit?* 249
Novilunia *Judæis duo.* 205
Numi *Gallieni explicati.* 92. *sect. III.*
- - *Vaballathi illustrati.* 100
- - *Gothici.* 423. *sq.*
- - *apud Gallos quales olim?* 183. *sq.*
Nummus *explicatus.* 538
Occitaniæ *urbium descriptio.* 536. *sqq.*
Pro Oculis *remedium singulare.* 179
Odenathi *Augusti Historia illustrata.* 92. *Sect. III.*
Odenathus *idem qui Ignatius.* 98
Odoacer *Rex Herulorum, Gothus origine.* 505
Officii *Canonici in Ecclesia Orientali Græcorum descriptio.* 350
Olei *Terebinthinæ vis refractiva.* 411
Oleum *juniperi geminum oleo succini.* 196
Opii *operandi ratio.* 502
- - *non omnis præparatio in quolibet morbo apta.* 503

- - - *correctores.* 333
Ex Opio *nulla Panacea.* 502
Ophir, *quo classis Salomonis navigavit, ubi?* 137
Optati *Milevitani error excusatus.* 475
Orbis *ficta perlustratio hominis notitiam virtutumque praecepta exhibens.* 602. *sqq.*
Orcadum *Historia.* 337
Ordinum *Militarium Historia.* 532
- - - *Religiosorum Historia.* 532
Origenes *num auctor sit libri de Salute Divitum, qui Clementi Alexandrino solet tribui?* 245
- - - *num auctor sit dialogorum contra Marcionem.* 251
- - - *num aliquando idolis sacrificaverit?* 252
Ortelius *notatus.* 541
Osius *num tanquam legatus Romani Pontificis concilio Nicaeno interfuerit?* 483
Ovidius *illustratus.* 454
In Ovulo *delineatio foetus.* 24
Ovum *in Tuba Fallopiana foeminini cadaveris dissecti repertum.* 45
Oxoniensem & *Cantabrigiensem Academias inter aemulatio.* 267

Pactorum *juris stricti contractibus in continenti adjectorum quae vis?* 223. 238
Pagani *quomodo dies gentiles coeperint?* 441
De Pagis *Germaniae Antiquae Commentarius.* 470
Palatinatus *Saxoniae origo.* 510
Palatinorum *in Germania origo & munus.* 510
Palmerius *refutatus.* 523
Palmyra *unde dicta?* 95
- - - *quando facta a Romanis colonia?* 95
Palmyrae *urbis Historia & Antiquitates.* 89. *sqq.*
Panaceae *ex Opio non expectandae.* 502
Paludes *num semper halitus emittant humano corpori noxios?* 165
Panvinius *notatus.* 452. 454
Papillarum *ulceratarum remedium.* 180
Parallaxin *Fixarum inveniendi methodus.* 73. *sq.*
Pascha *postremum quo die a Christo celebratum?* 205
Paschatis *apud Christianos festum num tempore passionis, an resurrectionis Dominicae, an utroque, fuerit celebratum?* 244. *sq.*
Pastellus *quid?* 213
Patavini *agri inscriptiones.* 172
De Patino (*Guidone*) *judicium.* 385
Patricii (*Francisci*) *Res militaris Romana in Latinam linguam tra-*

traducta. 456
Pauli *JCti Lex Lecta 40. ff. de R.C. illustrata.* 220. 237
Pauli *Samosateni doctrina quæ fuerit?* 298
Paulus *Apostolus unde civis Romanus?* 492
Peccatrix *magna Lucæ VII quænam fuerit?* 342
De Peirerio (*Isaaco*) *judicium.* 388
Pelicanus *quomodo cutim aere repleat, seque leviorem reddat?* 81
Pendulorum *Horologiis aptatorum inventor quis?* 170
Persius *cum Juvenali & Horatio comparatus.* 515
Petavius *refutatus.* 435
Petrarchæ (*Francisci*) *sepulcrum, ejusque inscriptio.* 173
Peruviæ *ab Hispanis occupatæ Historia.* 505
Peruviani *Corticis exhibendi modus & tempus.* 108
In Peste *venæsectioni locus.* 84
Pestilentiales *bubones quomodo maturandi?* 178
Peucerus (*Casparus*) *notatus.* 511
Pezronius *refutatus.* 340. *sqq.*
Phantasticæ *lineæ quæ?* 375
Philippus Augustus, *Rex Galliæ, comparatus cum Ludovico XIV.* 117
Philippus, *qui Samariæ docuit, non fuit Apostolus.* 90
Phosphori *novi præparatio.* 81
Physici *qui Montanistis?* 247
Pistacii *maris vires.* 198
Plantarum *vires ex earum signatura cognoscendæ.* 195
- - *nonnullarum effectus singulares.* 196
- - - *effluvia prodigiosa.* 196
- - *marinarum imperfectarum origo.* 198
A Plethora *menses mulierum.* 25
Poëmata *Thomæ Cevæ.* 423. *sqq.*
Poëseos *utilitas asserta.* 426
Poëticus *stylus prosæ orationi parum conveniens.* 428
Pœnitentiæ *apud Ebræos ritus.* 21
Politianus *defensus.* 394.
Poloniæ *Historia ab A. 1662. ad A 1669.* 529. *sq.*
Polycarpus *quando martyrio affectus?* 95. *Sect.* I.
Polygamia *num licita?* 280
Pontiopolitani *monasterii origo & dignatio.* 541
Præcentores *in Synagoga qui?* 19 *sq.*
Præmonstratentes *num veri Canonici?* 358
Preces *ad Deum vindicatæ.* 279
Principes *Imperii R. G. num in testamentis condendis teneantur legum Romanarum decretis?* 24
Processus *forensis apud Ferrarienses.* 172
Procopius *notatus.* 186
Prophetarum *vaticinia de genti-*

tilium vocatione impleta. 274
Pruritus *ani, testiculorum &c. remedium.* 180
Ptolemæus *notatus.* 231
Pufendorfius *refutatus.* 327
In Pulmonibus *num pars aliqua lymphæ ab aere secernatur?* 168
Pumices *lapides num omnes a Vulcano eructati?* 197
Purgantia *num in malignis febribus adhibenda?* 321
Purgantium *operandi ratio.* 467
QUercetanus *notatus.* 540
Quesnellius *refutatus.* 243
Quintilius Varus *Syriæ superioris, cum Christus nasceretur, Præses.* 201
RAchitidi *veronica mas medetur.* 179
Radix *Norvegica Naput quæ?* 195
Refractiva *vis fluidorum varia, ejusque causa arcana.* 409
- - *vis Adamantis.* 411
- - *vis olei Terebinthinæ.* 411
Reinesius *notatus.* 496. *sq*
Religio *Mahometana quibus fraudibus fuerit stabilita?* 215. *sq.*
Religionis *falsæ indicia.* 217
Christianæ veritas asserta. 217. 273 *sqq.*
Religiosorum *Ordinum Historia.* 532
Reservata *Imperatoris ac Regis Romanorum explicata.* 53?
Reservationum *mentalium moralitas.* 330
Sine Respiratione *cur testudo diu vivere possit?* 76
Respirationis *causa.* 25
Resurrectio *corporum asserta.* 37. *sqq.*
Romanarum *Antiquitatum Thesaurus.* 450. 455. 490. 498
Romano-Germanici *Imperii Jus Publicum.* 209
Romano-Germanicum *Imperium quando sacrum dici cœperit?* 210
Romanorum *via publica illustrata.* 455. 457
- - *civium diversa conditio.* 490
Rubigus *quodnam Numen?* 284
Ruffinus *defensus.* 479. *sq.*
S. Ruperti *ætas & vita.* 2. *sq.*
Rusticorum *apud Ferrarienses privilegium.* 172
SAbbathicus *apud Judæos annus a Jubilæo diversus.* 379
Sacrificia *Gentilium cum sacrificiis a Mose institutis comparata.* 377
Sal *Armoniacum varii usus.* 333
- - *ex destillatione Acidularum quale?* 398
- - *Nitrosum Armoniacum a Sale Salso-Muriatico diversum.* 399
Salibus *volatilibus, non nitro, turgidus aer.* 75
Salium *diversorum concretio in cry-*

cryſtallos diverſa. 399
Salisburgenſis *Hiſtoria.* 1. *ſqq.*
Salivatio *in oculi procidentia cum ſucceſſu inſtituta.* 181
Salmaſius *notatus.* 454
- *emendatus.* 496
Salomon *Tadmoris ſeu Palmyra conditor, aut reſtaurator.* 90
Salomonis *claſſis quorſum navigaverit?* 136
Salus *æterna num cuiquam ſine fide in Chriſtum obtingere posſit?* 66. *ſqq.*
Sanctorum *Vitæ.* 290. 348
Sanderi (*Nicolai*) *liber de Schiſmate Anglicano.* 264
Sandius *notatus.* 296
Sanguineæ *maſſæ principia conſtitutiva.* 24
Sanguinis *arterioſi motus a corde.* 23
- - *calor unde?* 23
- - *circulatio quomodo ab aere adjuvetur?* 77
Sanguis, *an ſerum, nutriat?* 113
Saporum *harmonia & ab aſtris dependentia.* 148
Sarcoceles *ſpecificum.* 179
Satiræ *origo ac progreſſus.* 514. *ſq.*
- *genuina indoles.* 517
Saxoniæ *Palatinatus origo,* 510
Scabiei *humidæ remedium.* 180
Schefferus *notatus.* 317
Schelii (*Radbodi Hermanni*) *elogium.* 459
Scorbuti *cauſa.* 110
- - *remedium.* 111
Scotiæ *Regno quando & quo jure Orcades acceſſerint?* 339
Scripturæ *S. loca illuſtrata.*
Gen. I. 138. ſq.
III. 15. 63
Levit. I. 9. 377
VI. 13. 377
IX. 14. 377
XVII. 21. 378
XX. 2. 378
Deuter. VIII. 4. 235
I. Sam. XX. 5. 25. 27. 206
Pſalm. II. 7. 518
Joël. III. 4. 325
Amos III. 6. 326
Obad. v. 20. 326
Jon. I. 3. 326
Luc. II. 2. 201
VII. 34. 89
- 37. 341
Act. II. 23. 518
X. 35. 66
Rom. XI. 414
I. Cor. V. 9. 140
Jac. IV. 5. 140
Apoc. XX. 414
Scripturæ *S. perfectio aſſerta.* 135. *ſqq.*
- - *Veteris Teſtamenti verſio ſeptuaginta-viralis cur a textu Hebraico ſubinde diſſentiat?* 141
- - *veritas aſſerta.* 273 *ſqq.*
Scultetus *adverſus Benedictinos defenſus.* 52
Secretionis *in animalibus mechanica.* 24
Sectio *Anguli rectilinei in quotvis*

vis partes æquales, organica & per lineas curvas. 371
- - *Geometrico - Harmonica Linearum.* 370. *sq.*
Seldenus *notatus.* 538
Semperfreye, *qualis vox?* 210
Senectus *etiam quandoque addiscendis artibus idonea.* 386
Sepulcra *antiqua Romana & Etrusca illustrata.* 382. *sqq.*
Servitus *quam diu etiam inter Christianos locum habuerit?* 283
Serum, *non sanguis, nutrit.* 113
Siamensium *insana persuasio.* 449
Siccans *potentissimum.* 180
Simoni *Mago num statua Romæ posita?* 89
Sinuessanum *Concilium confictum.* 438
Sol *in fastigio montis Pici instar stellæ majoris apparet.* 386
Solarium *Achazi antiquissimum instrumentum Chronometricum.* 169
Solis *ingressus in signa Tropica momenti inveniendi methodus.* 228
Solidi, *qualis olim apud Francos moneta?* 183
Solstitiorum *inveniendorum methodus & cautiones.* 228
- - - *observatio facilior, quam Æquinoctiorum.* 228
Sophiæ *Moscoviticæ indoles, machinationes, fata.* 524. *sqq.*
Sozomenus *erroris convictus.* 480
Spanhemii (*Ezechielis*) *Orbis Romanus, seu ad Constitutionem Antonini Imperatoris Exercitationes.* 490
Specificorum *in re medica operandi ratio.* 470
De Spelmanno (*Henrico*) *judicium.* 261
Spiritus *vini quam noxius?* 103
- - *Sulphurei cum Alcali volatili mixtura colorem rubrum producens.* 233
Spongiæ *rosæ sylvestris vires.* 199
Stephani *Protomartyris Historia.* 89
Stephanus *Pontifex Romanus num omnium hæreticorum baptismum in nomine Jesu Christi factum habuerit pro legitimo?* 296
Sternutariorum *operandi ratio.* 467
Stomachicum *medicamentum.* 226
Strata *terræ explicata.* 8. *sqq.*
Sturmii (*Chr.*) *Thaumantiadis Thaumasia commendata.* 412
Stylus *Novi Testamenti qualis?* 426
- - *Poeticus prosæ orationi parum conveniens.* 429
Stypticorum & *adstringentium operandi ratio.* 469
Substitutionum *a testatore factarum expositio.* 26. *sqq.*
Succi *minerales quid?* 17
Succinum, *fossile quoddam naturale.* 17

- - *Petro*

- - *Petroleum concretum.* 194
Succi *nervosi probatio experimento facta.* 24
Succus *nutritius non a nervis sed ab arteriis.* 226
Sudoriferorum *operandi ratio* 467
Suetonius *explicatus.* 491
Suidas *emendatus.* 442
Surrentini *agri elogium.* 145
Symbolica *ex magnetis consideratione Theologia.* 58. *sqq.*
Synedrium *quo tempore Hierosolymis Jamnium migraverit?* 204
Syriæ *præses quis fuerit tempore nativitatis Christi?* 201
TAdmoris *urbis Historia & Antiquitates.* 89. *sq. Sect. III.*
Talmudicus *codex de Jejunio illustratus.* 19. *sqq.*
Tarsenses *num civitate Romana fuerint donati?* 492
Tarsisch *Jonæ I. 3. quid?* 326
Telluris *Historia naturalis.* 7 *sqq.*
Terebinthinæ *olei vis refractiva.* 411
Tergesti *urbis Historia & status.* 307. 309
Terra *nostra num eadem cum antediluviana?* 418
- - *antediluviana fertilior, quam nostra.* 12
Terræ *interiora explicata.* 8. *sq.*
- - *per diluvium immutata constitutio.* 12. 18
- - *antediluviana conditio.* 18
- - - *fertilitas cum ejusdem maledictione conciliata.* 12
- - *structura summa Numinis sapientiæ testis.* 14
Terræ motuum *causa.* 14. 147
Terroris *subitanei effectus.* 195
Terraqueus *globus num notabiles subierit mutationes?* 11
Tertullianus *emendatus.* 94. *Sect. II.*
- - - *quo tempore librum ad uxorem scripserit?* 246
- - - *an ab Ecclesia Catholica discesserit, cum Montanistarum sententiam amplexus esset?* 247
Testamenti *Novi stylus qualis?* 426
Testiculorum *pruritus remedium* 180
Testudo *cur sine respiratione diu vivere possit?* 76. 426
Testudinum *marinarum vis adversus morbos.* 450
Theoderici *Regis Ostrogothorum vita.* 503
Theodotus *Arianæ sectæ addictus.* 478
Theophilus *Antiochenus num auctor sit commentarii in IV Evangelistas, qui ejus nomen præfert?* 241
- - - - *auctor certus librorum ad Autolycum.* 242
Therapeutæ *Philonis qui?* 91
Thermarum *origo.* 16. *sqq.*

Thermæ *Aquisgranenses explorata.* 396. *sqq.*

Thomas Magister *illustratus, emendatus & refutatus.* 315. *sqq.*

Thomassinus *refutatus.* 356. *sq.*

Thuanus *emendatus.* 507

Tillemontius *notatus.* 284

In Tinea *qua adhibenda?* 180

Tolosæ *urbis antiquitas & magnitudo.* 535. *sqq.*

Tormenta *bellica a quibus primum inventa?* 147

Tridentini *Concilii Historia.* 6

Turcoides *quid?* 198

VAballathus *in numis & inscriptionibus Palmyrenorum quis?* 99

Valesius *notatus.* 474. 479

- - *refutatus.* 481. *sqq.*

A Vaporibus *aquæ dulcis corpora citius corrumpuntur, quam salsæ.* 167

Vaporis *ex Abysso continuo ascendentis effectus.* 14

Variolæ *ex bestiolæ venenatæ morsu.* 86

- - *contagiosæ.* 87

Variolarum *remedia.* 87

Venereæ *luis causa, symptomata, remedia.* 109. 181

Venerei *nodi quibus remediis dissolvendi?* 182

Venæsectionis *utilitas contra Helmontium defensa.* 83

- - - *etiam in Peste.* 84

Veneti *aeris salubritas asserta.* 165

Ventriculi *fermentum quale?* 225

- - *in cadaveribus observata perforatio unde?* 140

Verbum *num a Christo moriente separatum fuerit?* 54

Ad Veritatem *semper dicendam obligatio unde?* 329

Veronica *mas Rachitidi medetur.* 179

Vesuvius *mons altior olim, quam hodie.* 148

Viæ *Romanorum publicæ illustratæ.* 455 *sq.*

Victimæ *a Gentilibus Diis suis oblatæ cum victimis vero Deo offerendis comparatæ.* 377

Victimarum *humanarum Molecho oblatarum ratio.* 378

Visheccensis *Virginum Collegii Historia.* 472

Vitale *principium unde?* 86

E Vitriolo *Cyprino Crystallos parandi modus.* 333

Vivariensis *Comitatus Imperio Germanico olim subjectus.* 540

Unctiones *Christi binæ, altera a magna peccatrice, altera a Mariæ Marthæ sorore peracta.* 341

Undarum *aerearum velocitas & ratio ad undas aqueas, æquales rationi gravitatis aeris ad aquæ gravitatem.* 76

Undulatio *aquæ experimento probata.* 76

Vomitus *quomodo ab emeticis excitetur?* 466

Vopiscus *emendatus.* 99

Urinæ *sedimenta, nubecula &c. unde?* 24

Ursatus *(Sertorius) notatus.* 494

Usuræ *ex quibus causis nascantur?* 236

- - *quibus modis tollantur?* 237

Usurarum *intricata ratio explicata.* 220. *sq.*

- - *quæ ratio secundum Jus. Romanum?* 236

Uticæ, *urbis Occitaniæ, descriptio.* 539

Vulnerum *cura & remedia.* 113

VVillisius *notatus.* 105

ZEnobiæ *Palmyrenæ historia.* 91. 93

Zoophytorum *origo.* 198

F I N I S.